BIBLIOTECA VITT. EMANUELE · FONDO DEROSENSE
43
4 B
10
MG 23 01

Digitized by Google

HISTORIA
APOSTOLICA
EX ANTIQUIS MONUMENTIS
COLLECTA

OPERA ET STUDIO

ANTONII SANDINI

J. U. D. & in Seminario Patavino Bibliothecæ Cuſtodis.

Editio tertia Italica retractatior & auctior curis poſtumis Auctoris.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PATAVII, Typis Seminarii, MDCCLIV.

Apud Joannem Manfrè.

Superiorum permiſſu, & Privilegio.

Digitized by Google

Digitized by Google

CAROLO
ABBATI REZZONICO
Patritio Veneto,
CAROLI
CARDINALIS
Epiſcopi Patavini
FRATRIS FILIO

ANTONIUS SANDINUS.

CUM primum mihi mandatum eſt, ut Tibi, Adolescens Præstantissime, Tuique ſimillimo Fratri tuo Ludovico, & ſodalibus optimis & lectiſſimis An-

Google

DREÆ , ac BENEDICTO Comitibus GIOVANELLIS in Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſtudio inſervirem, ſtatim Te ipſum animus deſignavit, cui tertiam Hiſtoriæ Apoſtolicæ editionem, quam retractatiorem, & auctiorem parabam , inſcriberem , meamque voluntatem Tui ſtudioſiſſimam publico aliquo officio declararem . Neque temere id me feciſſe, quiſquam , opinor, niſi temere exiſtimaverit . Danti enim operam Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Opus convenit Eccleſiaſticum , ingredientique viam Apoſtolicam Hiſtoria debetur Apoſtolica . Et quamvis ita vivis Adoleſcens , ut ea præſtes, quæ ſæpe deſideramus in ſenibus : habebis tamen in hac , unde tua virtus incremen-

tum

tum accipiat, novuſque ſuaviſſimis & integerrimis moribus tuis, egregiæque indoli ornatus accedat. Nimirum Apoſtolos cernes Deum optimum maximum, a quo uno vera bona emanant omnia, humanis rebus omnibus anteponentes, cogitanteſque in primis animæ ſalutem, non corporis. Audies docentes, æternam vitam omni felicitate circumfluentem inquirendam eſſe, non hanc temporum ſpatiis definitam, & miſeriis ſemper obnoxiam. Videbis pro ſalute animarum, pro Chriſtianæ Eccleſiæ amplificatione, pro Dei gloria mortem ipſam alacriter ſubeuntes. Cognoſces in Petro amorem erga Chriſtum ſingularem, in Paulo vehementiſſimum Verbi

Dei prædicandi ardorem, & omnia faciendi ſe omnibus, ut omnes Chriſto lucrifaceret: intemeratam perſpicies in Joanne Virginitatem, in Thoma firmiſſimum Reſurrectionis Chriſti teſtimonium, in omnibus voluntatem ad obtemperandum divinis præceptis promtiſſimam, quæ demum una omnium regina virtutum eſt. Horum exempla ſecutus ſequeris eodem tempore exemplum EMINENTISSIMI ac REVERENDISSIMI PRINCIPIS PATRUI tui, qui ſucceſſor conſtitutus Apoſtolorum, (1) totus eſt Apoſtolicus, vivit in virtute totus, atque *irreprehenſibilis*,

quo

(1) S. Hieronymus epiſtol. 54. ad Marcellam pag. 414. *Apud nos Apoſtolorum locum Epiſcopi tenent*.

quo *uno verbo*, ut ait Chryſoſtomus, *genus omne virtutis* Paulus *expreſſit*. (2) Hanc viam, quam ille tenet urgetque in dies magis, tenenti urgentique rectiſſimus erit ad veram laudem acceſſus, offenſio nulla, nullus error. Perſta in propoſito, progredere, & divinans auguror, ſimul PATRUUM, ſimul AURELIUM PATREM tuum, magnis hunc quoque virtutibus clarum, etiam Te nepote, Te filio, celebrem utrumque apud poſteros fore. Itaque ut intelligas, Te a me tanti fieri, quanti æquum eſt, emitto Hiſtoriam Apoſtolicam tuo nomini dicatam, ut quamdiu manebit ipſe libel-

 lus

(2) S. Paulus epiſt. I. ad Timotheum cap. III. 2. S. Joannes Chryſoſtomus in eamdem epiſtolam hom. 10. pag. 1569.

lus , tandiu maneat meæ erga Te obſervantiæ monumentum . Vale.

AD

AD LECTOREM.

QUia me nova videri dicere cupio, cum pervetera dicam, ideo Hiſtoriam Apoſtolicam inter rogantem, & reſpondentem diſcuſſam exhibeo: brevem autem, & redactam in pauca: nam magis offendit nimium, quam parum. Habeò tamen mediocritatis rationem, ne brevitas defraudaſſe legentem videatur. Primum de Apoſtolis Chriſti, & Spiritus Sancti generatim atque univerſe loquor; potiora deinde cujuſque geſta ſingillatim enarro. Ubi de ſingulis egi, aliqua ſubjungo de S. Joanne Baptiſta, qui æterni Patris Apoſtolus nuncupatur. Commodius enim viſum eſt de Apoſtolis iis prius ſingulatim narrare, de quibus antea egeram in univerſum. Tum de duobus & ſeptuaginta Diſcipulis, qui a Sanctis Patribus Apoſtoli vocantur: & quoniam in horum numero Evangeliſtæ Marcus, & Lucas, ſeptemque Diaconi ab aliquibus habentur, idcirco de his etiam pauca. Ad extremum ne quid omitterem, quod ad libellum abſolvendum pertinere videretur, Titi quoque, ac Timothei virorum Apoſtolicorum vitam quam breviſſime expoſui. Utinam, *quemadmodum ait Chryſoſtomus,*

non defuiſſet, qui nobis Apoſtolorum hiſtoriam diligentiſſime traderet, non tantum quid ſcripſerint, quidve locuti ſint, ſed ut ſe ſe per omnem vitam habuerint, quid, & quando comederint, quando ſederint, quo ierint, quid diebus ſingulis geſſerint, quibus cum hominibus vixerint, & quam introierint domum, & quo navigando appulerint, atque omnia diligenter exponeret: adeo illorum omnia eximia utilitate referta ſunt. (1) *Quod quia præſtitit nemo; plurima ſunt incognita, multa incerta. Ego quidem, cum verum in occulto lateret, id maxime aſſeveravi, quodcumque mihi quam ſimillimum veri eſt viſum. Poteſt enim non ſolum aliud mihi, ac tibi, ſed mihi ipſi aliud alias videri. Si quando me interrogationibus non admodum religioſe contineo, id eo feci, quod operæ pretium videretur excedere paullulum ad rem enarrandam. Habes igitur hiſtoriam facili, & naturali quadam methodo ad juvenum ingenia, quibus ſervio, compoſitam, & quaſi indicem fontium illorum, ad quos ſi, nobis eiſdem ducibus, aliiſve, perveneris, ea, quæ expoſita ſunt, melius, non tamen majora alia cognoſces. Vale.*

PRÆ-

(1) Præfat. in Epiſtolam D. Pauli ad Philemonem pag. 1733. & 1734.

PRÆCIPUI AUCTORES

Qui Symbolam contulerunt.

A

ABdias Babylonius, ſcriptor ſpurius; Hiſtoria Apoſtolica *Exſt.* in Joan. Alberti Fabricii Codice Apocrypho Novi Teſtamenti *tom.* 1. *pag.* 402.

Alexander *Natalis*. Hiſtoria Eccleſiaſtica. *Pariſiis* 1714. *in fol.*
Commentarius in Epiſtolas S. Pauli. *Rothomagi* 1710. *in fol.*

Ambroſius S. Opera. *Pariſiis* 1642. *in fol.*

Antoninus S. Chronicon. *Nuremberga* 1484. *in fol.*

Aquinas *Thomas* S. Summa Theologica notis hiſtoricis & dogmaticis illuſtrata per Joannem Nicolai. *Lugduni* 1686. *in fol.*
Opera omnia. *Romæ* 1570. *in fol.*

Athanaſius S. Opera GL. *Pariſiis* 1627. *in fol.*

Auctor Operis imperfecti. *Exſtat* ad calcem Homiliarum S. Chryſoſtomi in Matthæum *pag.* 759.

Auguſtinus Aurelius S. Opera ſtudio Monachorum S. Mauri. *Pariſiis* 1679. *in fol.*

B

BAlduinus *Benedictus*. De Calceo antiquo. *Amſtelædami* 1667. *in* 12.

Baronius *Cæſar*. Annales Eccleſiaſtici. *Coloniæ* 1609. *in fol.*
Martyrologium Romanum illuſtratum. *Romæ* 1586. *in fol.*

Baſilius S. Magnus Cæſarienſis. Opera GL. *Pariſiis* 1638. *in fol.*

Baſnage *Jacques*. L'Hiſtoire & la Religion des Juifs. *A Roterdam*. 1707. *in* 12.

Baſnagius *Samuel*. Annales Politico-Eccleſiaſtici. *Roterodami* 1706. *in fol.*

Beda Venerabilis. Opera. *Coloniæ* 1683. *in fol.*

Bellarminus *Robertus*. Opera. *Venetiis* 1721. *in fol.*

Bernardus S. Opera *Pariſiis* 1719. *in fol.*

Beveregius *Gulielmus*. Synodicon, ſeu Pandectæ Canonum. *Oxonii* 1672. *in fol.*

Bibliotheca Maxima veterum Patrum, & antiquorum Scriptorum Eccleſiaſticorum. *Lugduni* 1677. *in fol.*

Binghamus *Joſephus*. Origines, ſive Antiquitates Eccleſiaſticæ. *Halæ* 1724. in 4.

Bochartus *Samuel*. Opera omnia. *Lugduni Bat. in fol.* 1712.

Bollandus *Joannes*. Acta Sanctorum. *Antuerpiæ* 1643. *in fol.*

Et

Et *Venetiis* 1734. *in fol.*
Bona *Joan. Cardinalis*. Opera omnia. *Antuerpiæ* 1692. *in fol.*

C

CAlmet *Auguſtin.* Commentaire ſur les livres de l' Ancien & du Nouveau Teſtament. *A Paris* 1724. *fol.*
Caniſius *Henricus*. Theſaurus monumentorum Eccleſiaſticorum, & Hiſtoricorum, ſive Lectiones antiquæ auctæ a Jac. Baſnage. *Amſtel.* 1725. *in fol.*
Capiſuccus *Raymundus*. Controverſiæ Theologicæ ſelectæ. *Romæ* 1670. *in fol.*
Caſaubonus *Iſaacus*. Exercitationes ad Baronii prolegomena in Annales, & primam eorum partem. *Genevæ* 1655. *in* 4.
Cedrenus *Georgius*. Compendium Hiſtoriarum GL. *Venetiis* 1729. *in fol.*
Ceillier *Remy*. Hiſtoire Generale des Auteurs ſacrès, Eccleſiaſtiques. *A Paris* 1729. *in* 4.
Cellarius *Chriſtophorus*. Diſſertationes Academicæ. *Lipſiæ* 1712. *in* 8.
Chronicon Paſchale, ſeu Alexandrinum GL. ſtudio Caroli du Freſne. *Venetiis* 1729. *in fol.*
Chryſologus *Petrus* S. Sermones. *Exſt.* in Bibliotheca Patrum Lugdunenſi *tom.* 7. *pag.* 844.
Chryſoſtomus *Joannes* S. Opera GL. cura Frontonis Ducæi. *Pariſiis* 1636. *in fol.*
Expoſitio perpetua in Novum Teſtamentum GL. *In Bibliopolio Commeliniano* 1617. *in fol.*
Clemens Alexandrinus. Opera commentariis illuſtrata a Gentiano Herveto *Pariſiis* 1602. *in fol.*
Clemens S. Epiſtolæ duæ ad Corinthios GL. *Cantabrigiæ* 1718. *in* 8.
Cotelerius *Joan. Baptiſta*. SS. Patrum, qui temporibus Apoſtolicis floruerunt, opera illuſtrata. *Amſteledami* 1724. *in fol.*
Cyrillus Hieroſolymitanus S. Opera GL. *Pariſiis* 1720. *in fol.*
Cyprianus *Cæcilius* S. Opera recognita & illuſtrata a Baluzio & Monacho S. Mauri. *Venetiis* 1728. *in fol.*
Recognita & illuſtrata a Joanne Fello; accedunt Annales Cyprianici Pearſonii, & Diſſertationes Cyprianicæ Dodvvelli. *Amſtel.* 1700. *in fol.*

D

DAcherius *Lucas*. Spicilegium veterum Scriptorum. *Pariſiis* 1723. *in fol.*
Damaſcenus *Joannes* S. Opera GL. ſtudio Michaelis Lequien. *Pariſiis*

Digitized by Google

Pariſiis 1712. *in fol.*

Et interprete *Jacobo Billio Ibid.* 1577. *in fol.*

Dandulus *Andreas* Venetorum Dux. Chronicon Venetum. *Exſt.* inter Scriptores Rer. Italic. Muratorii. *tom.* 12. *pag.* 1.

Dionyſius Areopagita. Opera GL. *Lutetiæ* 1644. *in fol.*

Ducangius *Carolus*. Gloſſarium ad Scriptores mediæ & infimæ Græcitatis. *Lugduni* 1688. *in fol.*

Dupin *Ludovicus Ellies*. Nouvelle Bibliotheque des auteurs Eccleſiaſtiques. *A Paris* 1690. *in* 4.

E

EPiphanius S. Opera GL. illuſtrata a Petavio. *Pariſiis* 1622. *in fol.*

Eſtius *Gulielmus*. Annotationes in præcipua ac difficiliora Sacræ Scripturæ loca. *Antuerpiæ* 1699. *in fol.*

Commentaria in Epiſtolas D. Pauli. *Coloniæ* 1631. *in fol.*

In quatuor libros Sententiarum. *Neapoli* 1720. *in fol.*

Euſebius. Hiſtoria Eccleſiaſtica GL. cum interpretatione ac notis Valeſii. *Pariſiis* 1678. *in fol.*

Et Joanne Chriſtophorſono interprete. *Coloniæ* 1570. *in fol.*

Chronicon S. Hieronymo interprete. Exſt. inter Opera D. Hieronymi editionis Veronenſis tom. 8.

Demonſtratio Evangelica GL. cum interpretatione & notis R. M. *Coloniæ* 1688. *in fol.*

Euthymius Zigabenus Monachus. Commentaria in quatuor Evangelia *Exſt.* in Bibliotheca Patrum Lugdunenſi *tom.* 19. *pag.* 475.

F

FAbricius *Joannes Albertus*. Bibliotheca Eccleſiaſtica. *Hamburgi* 1731. *in fol.*

Codex Apocryphus Novi Teſtamenti ibid. 1719. *in* 8.

Salutaris Lux Evangelii toti Orbi per divinam gratiam exoriens. *Hamburgi* 1731. in 4.

De Vita, & Morte Moſis. *Ibid.* 1714. *in* 8.

Florentinius *Franc. Maria*. In Martyrologium Hieronymianum. *Lucæ* 1668. *in fol.*

Fontaninus *Juſtus*. Hiſtoria Litteraria Aquilejenſis. *Romæ* 1742. *in* 4.

G

GAudentius S. Brixianus. In varia Scripturæ loca tractatus, ſeu ſermones. *Exſt.* in Bibliotheca Patrum Lugd. *tom.* 5. *pag.* 942.

Got-

Gotti *Vincentius Ludovicus*. Veritas Religionis Chriſtianæ: *Romæ* 1735. *in* 4.

La Vera Chieſa. *Bologna* 1719. *in* 4.

Grabius *Joannes Erneſtus*. Spicilegium SS. Patrum. *Oxoniæ* 1714. *in* 8.

Gregorius Magnus S. Opera ſtudio Monachorum S. Mauri. *Pariſiis* 1705. *in fol.*

Gretſerus Jacobus. Opera. *Ratisbonæ* 1734. *in fol.*

H

HArduinus. *Joannes*. Conciliorum collectio regia maxima. *Pariſiis* 1715. *in fol.*

De Baptiſmo quæſtio triplex. De baptiſmo pro mortuis. De baptiſmo in vino. De baptiſmo in nomine Chriſti. *Pariſiis* 1687. *in* 4.

Hieronymus S. Opera. *Pariſiis* 1643. *in fol.*

Hilarius S. Opera ſtudio Monachorum S. Mauri *Veronæ* 1738. *in fol.*

Huetius *Petrus Daniel*. Origeniana præpoſita Origenis commentariis in Sacras Scripturas. *Rothomagi* 1668. *in fol.*

I

JAnſenius *Cornelius* Epiſcopus Gandavenſis. Commentaria in ſuam Concordiam, ac totam Hiſtoriam Evangelicam. *Lugduni* 1590. *in fol.*

Joſephus Flavius. Opera GL. ſtudio Havercampi. *Amſtel.* 1726. *in fol.*

Irenæus S. Opera GL. illuſtrata per Joan. Erneſtum Grabe. *Oxoniæ* 1702. *in fol.*

Ittigius *Thomas*. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ primi, & ſecundi ſelecta capita. *Lipſiæ* 1709. & 1711. *in* 4.

Juſtinianus *Petrus*. Rerum Venetarum Hiſtoria. *Venetiis* 1560. *fol.*

Juſtinus S. Martyr. Opera GL. ſtudio Federici Sylburgii. *Coloniæ* 1686. *in fol.*

L

LAbbe *Philippus*. Sacroſancta Concilia ad regiam editionem exacta. *Pariſiis* 1672. *in fol.*

Nova Bibliotheca Manuſcriptorum Librorum, continens hiſtorias, Chronica &c. *Pariſiis* 1657. *in fol.*

Lactantius Firmianus. Opera cum notis variorum ſtudio Servatii Gallæi. *Lugd. Bat.* 1660. *in* 8.

De

De Mortibus perſecutorum cum notis Baluzii, & variorum cura Pauli Bauldri. *Trajecti ad Rhenum* 1693. *in* 8.

Lambertinis *Proſper Cardinalis de*, nunc ſummus Pontifex *Benedictus XIV.* De Servorum Dei beatificatione, & Beatorum canonizatione. *Patavii typis Seminarii*. 1743. *in fol.*

Inſtitutiones Eccleſiaſticæ. *Romæ* 1747. *in fol.*

Launojus *Joannes*. Opera. *Coloniæ* 1731. *in fol.*

Leo Oſtienſis. Chronica Monaſterii Caſinenſis continuata a Petro Diacono. *Exſt.* tom. 4. Scriptor. Rer. Italic. *pag.* 151.

Leo S. Magnus. Opera cum notis & diſſertationibus Paſchaſii Queſnel. *Lugduni* 1700. *in fol.*

Lucianus. Opera GL. *Amſtelodami* 1687. *in* 8.

Lupus *Chriſtianus*. Opera. *Venetiis* 1724. *in fol.*

M

Mabillonius *Joannes*. Vetera Analecta. *Pariſiis* 1723. *in fol.*

Acta Sanctorum Ordinis S. Benedicti. *Lutetiæ* 1666. *in fol.*

Maldonatus *Joannes*. Commentarii in quatuor Evangeliſtas. *Venetiis* 1597. *in fol.*

Marca *Petrus* de. De Concordia Sacerdotii & Imperii ex editione Stephani Baluzii. *Francofurti* 1708. *in fol.*

Marie *Honoré* de Sainte. Reflexions ſur les Regles, & ſur l'uſage de la Critique. *A Paris* 1713. *in* 4.

Menardus *Hugo*. Notæ & obſervationes in librum Sacramentorum S. Gregorii: *Exſt.* tomo 3. operum ejuſdem S. Gregorii pag. 274.

Menologium Græcorum ex interpretatione Guillielmi Cardinalis Sirleti. *Exſt.* in Antiquis lectionibus Caniſii tom. 3. *part.* 1. pag. 409.

Aliud juſſu Baſilii junioris Imp. conſcriptum. *Exſt.* apud Ughellum tom. 10. Italiæ *parte* 2. *pag.* 245.

Montfaucon *Bernardus de*. Palæographia Græca. *Pariſiis* 1708. *in fol.*

Collectio nova Patrum & Scriptorum Græcorum Euſebii Cæſarienſis, Athanaſii, Coſmæ Ægyptii *Pariſiis* 1707. *tom.* 2. *in fol.*

Diarium Italicum. *Ibid.* 1702. *in* 4.

Moſchus *Joannes*. Pratum Spirituale. *Exſt.* in Vitis Patrum Roſvveydi *pag.* 857.

Muratorius *Ludovicus Antonius*. Rerum Italicarum Scriptores. *Mediolani* 1733. *in fol.*

N

Nazianzenus *Gregorius* S. Opera GL. *Lutetiæ* 1609. *in fol.*

Nicephorus Calliſtus. Hiſtoria Eccleſiaſtica GL. interpre-

prete Lango, recognita à Frontone Ducæo. *Lutetiæ 1630. in fol.*

Nourry *Nicolaus le*. Apparatus ad Bibliothecam Maximam veterum Patrum Lugduni editam. *Pariſiis 1703. in fol.*

O

OEcumenius. Commentaria GL. in Acta Apoſtolorum, Pauli epiſtolas, & epiſtolas Catholicas. *Lutetiæ 1631. in fol.*

Optatus S. Milevitanus. De Schiſmate Donatiſtarum, ſtudio L. Elliès Dupin. *Lutetiæ 1700. in fol.*

Origenes Adamantius. Opera GL. ſtudio Caroli Delarue. *Pariſiis 1733. in fol.*

Eadem Latine. *Baſileæ 1571. tom. 2. in fol.*

P

PAlladius Galata. Hiſtoria Lauſiaca. *Exſt.* in Vitis Patrum Roſvveydi *pag.* 709.

Paulinus S. *Pontius* Nolanus. Opera ſtudio Joannis Baptiſtæ le Brun. *Pariſiis 1685. in 4.*

Pearſon *Joannes*. Critici Sacri. *Amſtelædami 1698. in fol.*

Petavius *Dionyſius*. Theologica Dogmata. *Lutetiæ 1644. in fol.*

Petrus Alexandrinus. Canones. *Exſt.* in Pandectis Bevaregii *tom. 2. part. 1. pag. 8.*

Photius Patriarcha Conſtantinopolitanus. Bibliotheca GL. *Rothomagi 1653. in fol.*

R

REnaudotius *Euſebius*. Liturgiarum Orientalium collectio. *Pariſiis 1716.* in 4.

Rivetus *Andreas*. Opera Theologica. *Roterodami 1651. in fol.*

Rocaberti *Joan. Thomas*. Bibliotheca Maxima Pontificia. *Romæ 1695. in fol.*

Rufinus Aquilejenſis Presbyter. Interpretatio Euſebii. *Baſileæ 1544. in fol.*

Expoſitio in Symbolum Apoſtolorum. *Eſtat* cum operibus S. Cypriani edit. Venetæ 1728. pag. CLXXIX. & ad calcem S. Cypriani editionis Felli pag. 154. & inter opera S. Hieronymi tom. 9. pag. 63.

S

SAlmaſius *Claudius*. Notæ in Tertulliani librum De Pallio. *Lutetiæ 1622. in 8.*

Sa-

Sauſſajus *Andreas*. Martyrologium Gallicanum. *Pariſiis* 1637. *in fol.*

Sirmondus *Jacobus*. Opera varia. *Venetiis* 1728. *in fol.*

Socrates Scholaſticus, & Hermias Sozomenus Hiſtoria Eccleſiaſtica GL. cum interpretatione ac notis Valeſii. *Pariſiis*. 1686. *in fol.*

Suarez Franciſcus. De Religione. *Lugduni* 1630. *in fol.*

Synopſis Criticorum, aliorumque Sacræ Scripturæ Interpretum. *Ultrajecti* 1686. *in fol.*

T

Theodoretus Cyri Epiſcopus. Opera GL. cura Jacobi Sirmondi. *Lutetiæ* 1642. *in fol.*

Ejuſdem, & Evagrii Hiſtoria Eccleſiaſtica GL. ex interpretatione Valeſii. *Pariſiis* 1673. *in fol.*

Theodorus Studita. Epiſtolæ GL. *Exſt.* in Operibus Sirmondi *tom.* 5.

Theophylactus. Commentarii GL. in quatuor *Evangelia*. *Lutetiæ* 1635. *in fol.*

In Epiſtolas D. Pauli. *Londini* 1636. *in fol.*

Tertullianus. Opera cum annotationibus Nic. Rigaltii. *Lutetiæ* 1675. *in fol.*

Tillemont Le Nain *Sebaſtien* de. Memoires pour ſervir a l' Hiſtoire Eccleſiaſtique des ſix premiers ſiecles. *Paris* 1701. *in* 4.

V

Venantius Fortunatus. Opera. *Exſt.* in Bibliotheca Patrum Lugdunenſi *tom.* 10. *pag.* 520.

VValafridus *Strabo*. De rebus Eccleſiaſticis. *Exſt. tom.* 15. Bibl. Patrum *pag.* 181.

Z

Zonaras *Joannes*. Annales GL. *Venetiis* 1729. *in fol.*

IN-

INDEX

Eorum, de quibus agitur in hoc volumine.

DE *Apoſtolis in univerſum*. pag. 1
De S. Petro Apoſtolorum Principe. 65
De S. Paulo. 103
De S. Andrea. 147
De S. Jacobo, cui Majori *cognomen.* 152
De S. Joanne Apoſtolo, & Evangeliſta. 160
De S. Philippo. 189
De S. Bartholomæo. 195
De S. Thoma. 200
De S. Matthæo Apoſtolo, & Evangeliſta. 214.
De S. Jacobo, qui cognomento Parvus, *ſeu* Minor *perhibetur.* 222
De S. Thaddæo. 237
De S. Simone Cananæo. 243
De Juda Iſcariothe. 247
De S. Matthia. 262
De S. Barnaba. 269
De S. Joanne Baptiſta. 280
De duobus & ſeptuaginta Diſcipulis. 301
De S. Marco Evangeliſta. 307
De S. Luca Evangeliſta. 321
De ſeptem Diaconis. 334

De

De S. Stephano Protomartyre. 339

De S. Philippo, qui eſt Evangeliſta *dictus* 343

De Nicolao. 346

De S. Tito D. Pauli diſcipulo, Cretenſium Epiſcopo. 350

De S. Timotheo D. Pauli Diſcipulo, Antiſtite Epheſiorum. 353

NOI

Digitized by Google

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, e Approvazione del *P. F. Paolo Tomaſo Manuelli Inquiſitore Generale del Sant' Offizio di Venezia* nel libro intitolato: *Hiſtoria Apoſtolica ex antiquis monumentis collecta, opera & ſtudio Antonii Sandini &c. con aggiunte Manuſcritte dell' Autore*, non v' eſſer cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza a *Gio: Manfrè Stampatore di Venezia*, che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. 8. Settembre 1753.

(Gio. Emo Proc. Rif.
(
(Alviſe Mocenigo 4. Cav. Proc. Rif.

Regiſtrata a carte 25. n. 169.

Gio. Girolamo Zuccato Segr.

Adì 11. Settembre 1753.

Regiſtrato nel Magiſtrato Eccellentiſſimo degli Eſecutori contro la beſtemmia.

DE

DE
APOSTOLIS
IN UNIVERSUM.

I. *Quid intelligis nomine Apoſtolorum?*

℞. EX veteri Chriſtianæ Eccleſiæ more illos *duodecim viros* intelligo, quos *Servator ac Dominus noſter Jeſus Chriſtus haud multo poſt Evangelicæ prædicationis initium* (1) *ſibi adjunxit, & præ reliquis diſcipulis ſuis ſolos Apoſtolorum nomine, quaſi præcipuo quodam honoris titulo, inſignivit,* (2) mandans, ut pro ſe legatione fungentes, in univerſum Orbem irent, & omni creaturæ Evangelium prædicarent, credentibuſque æternum in Cælis regnum pollicerentur: facta inſuper eiſdem poteſtate ægros ſanandi, mortuos ad vitam revocandi, Dæmones ejiciendi, *ut magnitudinem promiſſorum probaret magnitudo ſignorum.* (3)

Baronius ad an. 32. §. 5.

Matth. XXVIII. 19. Marci XVI. 15.

A II.

(1) Anno Chriſti 32. prædicationis ejus 2. Æræ Vulgaris 27.

(2) Euſebius lib. 1. Hiſt. Eccl. extremo cap. 10. pag. 21.

(3) D. Hieronymus Commentariorum in Matthæum lib. 1.

II. *Unde ita appellantur, & quo ordine recenſentur?*

℞. Apoſtoli *ex officio ſortiti vocabulum, Latino ſermone* Deſtinati *nuncupantur*, ut ſcribit S. Gaudentius in Præfatione ad Benevolum. (4) S. Auguſtinus quoque multo ante ſcripſerat eodem modo, in Evangel. Joannis Tract. 54. §. 3. *Sicut*
Cap. X. 2. *græce* Angeli, *latine* nuntii *vocantur; ita græce* Apoſtoli, *latine* miſſi *appellantur*. Id ipſum eſt in Tertulliani libro de præſcript. hæretic. cap. 20. & in S. Cypriani epiſtola 81. *Duodecim autem Apoſtolorum nomina* ita recenſet S. Matthæus: *Primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater ejus, Jacobus Zebedæi, & Joannes frater ejus, Philippus, & Bartholomæus, Thomas, & Matthæus publicanus, Jacobus Alphæi, & Thaddæus, Simon Cananæus, & Judas Iſcariotes*. Omnes Evangeliſtæ
Cap. III. 16. Petrum primo loco ponunt, Judam poſtremo, reliquos non eodem ordine recitant. Nam Marcus, qui *quidem ex dignitate ipſos ordine collocavit*, (5)
Cap. VI. 13. Matthæum ſeptimum ponit, quod facit etiam Lucas: Matthæus vero ſe ipſum octavum numerat. (6)

III.

1. cap. 10. pag. 15. tom. 6. Idem paullo ante: *Benignus & clemens Dominus ac magiſter non invidet ſervis atque diſcipulis virtutes ſuas. Et ſicut ipſe curaverat omnem languorem, & omnem infirmitatem; Apoſtolis quoque ſuis tribuit poteſtatem, ut curarent omnem languorem & omnem infirmitatem in plebe.*

(4) In Bibliotheca Patrum tom. 5. pag. 944. & ſerm. 17. pag. 968. *Apoſtolus eſt, qui miſſus a Deo eſt: Deſtinatus enim nuncupatur Apoſtolus*. Deſtinare ſiquidem eſt nuntios mittere, ut apud Suetonium in Galba cap. 16. *Legationem ad prætorianos cum mandatis deſtinaverunt*.

(5) Joannes Chryſoſtomus in Matthæum hom. 33. pag. 313.

(6) Cajetanus Comment. ad recitatum D. Matthæi locum:

III. *Secundum Petrum quinam primas tenuerunt?*

℟. Secundum Petrum *duo apicem Apoſtolatus tenuerunt*, Jacobus, cui *Majori* cognomen, & Joannes; ut ſcribit S. Chryſoſtomus hom. 33. in Matthæum: quamquam Joannes ex ejuſdem Chryſoſtomi ſententia *non ſolum illis; qui poſt illum numerantur, verum etiam fratre* (Jacobo) *major erat*. (7) Origenes contra Celſum lib. 2 §. 64. ſcribit, Jeſum, *cum in excelſo monte transfigurandus eſſet, non ſecum Apoſtolos omnes duxiſſe, ſed Petrum, Jacobum, & Joannem ſolos, utpote qui ſoli videndæ ejus gloriæ pares erant, poterantque Moyſen & Eliam in gloria conſpicuos contemplari, eos colloquentes, & cæleſtem vocem e nube emiſſam audire.* Hos *Evangelii Scriptura electis electiores in-* Pag. 313. & 314.

 ducit,

tum: *Solus Petrus ordine dignitatis inſignitur & deſcribitur primus, ad inſinuandum, valde ſpectare ad Chriſtianam notitiam, ſcire Primatum Petri, nulliuſque momenti eſſe; noſſe ordinem Apoſtolorum inter ſe. Ac ſi aperte dixiſſet. Scitote Petrum primum, quidquid ſit de aliis. Propter quod nullum ſcripſit, ſecundum, aut tertium.* Tam apertum pro confirmando *Primatu* Petri teſtimonium ut eluderet Beza, commentus eſt, *vocabulum* Primus *ab aliquo additum, qui Primatum Petri vellet ſtabilire. Nihil enim ſequitur, quod cohæreat.* Idem tamen fatetur, exemplaria omnia conſentire, ac proinde ea commentationem ſuam non admittere, atque adeo refellere. Etiam Grotius, quem unum reliquis omnibus Heterodoxis oppono, ita loquitur de Petro in hunc D. Matthæi locum: tom. 6. Critic. Sacr. pag. 376. *Princeps haud dubie collegii a Chriſto deſignatus ad retinendam corporis compagem.* Chryſoſtomus hom. 33. in Matth. pag. 313. Matthæus *etiam Thomam, ſe quidem multo inferiorem, priore loco, & ante ſe numeravit.* Vide Bellarminum lib. 1. de Rom. Pont. cap. 18.

(7) Idem tamen hom. 26. in Acta Apoſtol. pag. 636. *Quoniam autem & alius Jacobus erat frater Domini, propter hoc aſſignavit dicens fratrem Joannis. Vides, quod hi tres ſummi erant, maxime autem Petrus, & Jacobus.*

ducit, ut ait Euſebius in Eſaiam. (8) Clemens quoque Alexandrinus apud eumdem Euſebium lib. 2. Hiſt. Eccl. cap. 1. teſtatur, Petrum, Jacobum, & Joannem cæteris Apoſtolis a Domino præpoſitos fuiſſe. Quem excellentiæ, præſtantiæque ordinem, ut modo dictum eſt ex Chryſoſtomo, ſecutus D. Marcus Evangeliſta Jacobum & Joannem Andreæ antepoſuit. Quod pariter facit S. Lucas in Actis Apoſtolorum. cap. I. 13. Cap. III. 17.

Marc. III. 13. Luc. VI. 13.

IV. *Ob ullamne ingenii dotem e ceterorum Diſcipulorum numero electi ſunt?*

℞. Haudquaquam. *Quia* Chriſtus *idiotas elegit, ut confunderet mundum*, ut ait D. Auguſtinus in Joan. tract. 7. §. 17. qui etiam lib. 18. de Civit. Dei cap. 49. *Elegit Diſcipulos*, inquit, *quos & Apoſtolos nominavit, humiliter natos, inhonoratos, illiteratos, ut quidquid magnum eſſent, & facerent, ipſe in eis eſſet, & faceret.* (9) Id ipſum de

(8) In Bernardi de Montfaucon Collectione nova Patrum & Scriptorum Græcorum tom. 2. pag. 422.

(9) Idem S. Auguſtinus ibid. lib. 22. cap. 5. *Et ipſe modus, quo mundus credidit, ſi conſideretur, incredibilior invenitur, Ineruditos liberalibus diſciplinis, & omnino, quantum ad iſtorum doctrinas attinet, impolitos, non peritos grammatica, non armatos dialectica, non rhetorica inflatos, piſcatores Chriſtus cum retibus fidei ad mare hujus ſæculi pauciſſimos miſit, atque ita & ex omni genere tam multos piſces, & tanto mirabiliores, quanto variores etiam ipſos philoſophos cæpit.*

Chryſoſtomus hom. 33. in Metth. p. 314. *Apoſtolorum omnium primus, & quaſi vertex indoctus ille erat ac rudis. Animadvertamus autem quo & quos miſit*, Iſtos, *inquit*, duodecim miſit Jeſus: *quos iſtos dicit? Piſcatores ſcilicet & publicanos. Quatuor enim erant piſcatores* (Petrus, Andreas, Jacobus, & Joannes) *duo publicani, Matthæus, & Jacobus: unus etiam proditor*, Judas Iſcariotes. Hæc S. Chryſoſtomus, *Jacobum una cum Matthæo ſtatuens publicanum, eo quod eſſet Matthæi publicani frater, ab eodem cum illo Alphæo patre pro-*

Google

de Joanne Evangeliſta habet Hilarius Pictavienſis l. 2. de Trinitate §. 13. & D. Lucas non modo Joannem, ſed etiam Petrum Principem Apoſtolorum fuiſſe homines *ſine litteris*, *& idiotas* teſtatur. (10) Act. IV. 13.

V. *Quo ordine vocati ſunt?*

℞. *Quo ordine vocati ſint omnes duodecim Apoſtoli, in Evangeliſtarum narrationibus non apparet, quandoquidem non tantum ordo vocationis, ſed nec ipſa vocatio commemorata eſt omnium, ſed tantum Philippi, & Petri, & Andreæ, & filiorum Zebedæi, & Matthæi publicani, qui etiam Levi vocatur. Singillatim tamen ab eo nomen & primus, & ſolus Petrus accipit. Nam filios Zebedæi non ſingillatim, ſed ſimul ambos appellavit filios tonitrui.* (11) *Cur autem non de omnibus ſcripſit, quo modo vo-*

prognatus; uti Theodoretus in Pſal. 67. 28. pag. 659. tom. I. *eumdem Jacobum Capharnao adſcribit, quod Jeſus ibidem Matthæum fratrem ejus ex telonio vocaſſet.*

(10) S. Ambroſius l. 5. in Luc. cap. 6. pag. 83. *Adverte cæleſte conſilium: Non ſapientes aliquos, non divites, non nobiles, ſed piſcatores, & publicanos, quos dirigeret, elegit, ne traduxiſſe prudentia, ne redemiſſe divitiis, ne potentiæ, nobilitatiſque auctoritate traxiſſe aliquos ad ſuam gratiam videretur; ut veritatis ratio, non diſputationis gratia prævaleret. Eligitur & Judas, non per imprudentiam, ſed per providentiam.* Quod ſi quis dicat, electum a Chriſto Matthæum *de telonio divitem, de uſuris locupletem, lucris ſæculi onuſtum*, huic reſpondet S. Petrus Chryſologus ſerm. 28. dixiſſe Chriſtum Matthæo, *Veni, ſequere*; non dixiſſe, *affer ad me; quia Matthæum, non Matthæi ſacculos requirebat*. Bibl. Patr. tom. 7. p. 867. & 868.

Chryſoſtomus hom. 3. in epiſt. 1. ad Cor. p. 340. *Tanquam indoctos accuſemus Apoſtolos. ipſa enim accuſatio eſt encomium... iſti enim rudes, & agreſtes, & imperiti expugnarunt ſapientes, & potentes, & tyrannos, & qui gloriabantur divitiis, & gloria, & omnibus externis, perinde ac ſi non eſſent viri.*

(11) S. Auguſtinus de Conſenſu Evangeliſtarum lib. 2. cap. 17. §. 39.

vocati ſunt, ſed de Petro, Jacobo, Joanne, atque Philippo ſolum, de ceteris vero nihil? Quia iſti maxime in humili artificio atque infami verſabantur. Quid enim publicano pejus, aut piſcatura humilius? Philippum etiam non fuiſſe inſignem, a patria ejus planum fieri poteſt. (12)

VI. *Quotuplex fuit eorum vocatio?*

℞. *Trina fuit vocatio Apoſtolorum*, ut docet D. Thomas in Matthæum cap. 4. pag. 14. *Primo enim vocati ſunt ad Chriſti familiaritatem, & illud dicitur* Joann. 1. *Et hoc in primo anno prædicationis Chriſti. Nec obſtat, quod dicitur poſt:* Aſcenderunt cum eo Diſcipuli ejus in Cana Galilææ, *quia ſecundum Auguſtinum non tunc erant Diſcipuli, ſed futuri erant, ſicut ſi dicatur, quod Paulus Apoſtolus natus fuerit in Tharſo Ciliciæ, cum tunc non eſſet Apoſtolus; vel dicendum, quod loquitur de aliis Diſcipulis, qui vocantur omnes credentes in Chriſto. Secundo vocati fuerunt ad Diſcipulatum: & de iſta dicitur* Luc. 5. *Tertia vocatio fuit, ut totaliter Chriſto adhærerent: & de iſta hic dicitur, quod patet* ſecundum Auguſtinum, *quia* Luc. 5. *de hoc habetur:* (At illi &c.) *Ergo habebant navim, & curabant de ea, quaſi ad eam redituri. Hic vero dicit:* (At illi relictis omnibus &c.) *Et ideo dicendum, quod de ultima ſequela loquitur hic.* (13)

VII.

(12) S. Joannes Chryſoſtomus Hom. 31. in Matthæum pag. 294.

(13) S. Hieron. eiſt. 4. pag. 37. & 38. *Apoſtoli de piſcatione Lacus Geneſareth ad piſcationem hominum tranſierunt. Tunc habentes patrem, rete, naviculam, ſecuti Dominum protinus omnia reliquerunt, portantes quotidie crucem ſuam, & ne virgam quidem in manu habentes.* Idem ep. 26. cap. 5. pag. 170. *Apoſtoli quantum ad divitias nihil, quantum ad voluntatem totum mundum pariter reliquerant.* Et Epiſt. 35. pag. 212. *Nemo Apoſtolis pauperior fuit, at nemo tantum pro Domino dereliquit.*

VII. *Unde oriundi ſunt?*

℟. A Galilæa. Hinc & Angeli viros Galilæos Act. I. 11.
appellarunt, & Judæi diverſarum nationum Gali- II. 7.
læos eſſe affirmarunt, vehementer mirantes, quod Bar. ad
ii nihilominus ita dicerent, ut ſua quiſque lingua an. 32.
loquentes audiret. *Quod vero ad ſtirpem pertinet:* §. 7.
ipſorum aliqui ex tribu Juda, ceteri autem ex tribubus Zabulon, & Nephtalim fuiſſe putantur, ſecundum quod prædictum habetur in Pſalmo 67. Principes Juda, duces eorum: principes Zabulon, principes Nephtalim. *Putantur enim, qui dicti ſunt* fratres Domini, *ex tribu Juda fuiſſe, unde & ipſe Dominus ſecundum carnem ducebat originem: ceteri vero, quod in terra Zabulon, & Nephthalim habitarent, ex iiſdem tribubus fuiſſe prognati: id S.* Pag. 33.
Hieronymus in Eſajam cap. 9. *Theodoretus in cit.* Pag. 659.
Pſalmum 67. *atque alii complures affirmant.* (14) Tom. I.

VIII. *Præter duodecim a Chriſto ſelectos Apoſtolos ſuntne alii?*

℟ Tres ſunt. S. Matthias in locum Judæ pro-

(14) Baronius ad an. 32. §. 7. ubi etiam hæc habet: *Ceterum Galilæis inſitam a natura*, Joſephus de bello Judaico Lib. 3. cap. 2. *teſtatur animoſitatem quandam, qua intrepidi ſemper ingentem animi vim roburque corporis in omnibus præferrent*. Nam, *inquit*, & pugnaces ſunt ab infantia Galilæi, & omni tempore plurimi, neque aut formido umquam viros, aut eorum regiones penuria occupavit. *Hinc videas Petrum ingentes ſumentem ſpiritus, ſolum adverſus cohortem militum intrepide gladium evaginaſſe, ſervum Principis Sacerdotum vulneraſſe, longeque his audaciora experturum, niſi verbis Domini cohibitus eſſet.*

Auctor Commentar. in epiſt. B. Pauli ad Epheſ. cap. 1. in Append. ad Opera S. Ambroſii pag. 235. *Nullus ex gentibus ad Apoſtolatum electus eſt: dignum enim erat ex his eligi prædicatores, qui ante ſperaverant ſalutem, quæ illis promiſſa erat in Chriſto.*

Digitized by Google

ditoris ab Apoſtolis ſuffectus, Paulus, & Barnabas inſtinctu Spiritus Sancti Apoſtolatu deinde initiati. Itaque ſunt, qui dicant, D. Joannem Baptiſtam Apoſtolum fuiſſe æterni Patris, (15) duodecim ſupra memoratos Filii, Paulum, & Barnabam Spiritus Sancti.

IX. *Fueruntne matrimonio conjuncti?*

Bar. ad an. 57. §. 66. ℞. *Petrum ſolum invenio maritum per ſocrum*, ait Tertullianus in libro de Monogamia c. 8. (16) Eamdem ſententiam clarius explicat Hieronymus adverſ. Jovin. lib. 1. cap. 14. *Quoniam excepto Apoſtolo Petro non ſit manifeſte relatum de aliis Apoſtolis, quod uxores habuerint: & cum de uno ſcriptum ſit, ac de ceteris tacitum; intelligere debemus ſine*

(15) Hieronymus in cap. 1. ad Gal. pag. 120. *Unde & nos poſſumus intelligere, Joannem quoque Baptiſtam & Prophetam, & Apoſtolum appellandum: ſiquidem ait Scriptura:* Fuit homo miſſus a Deo, cui nomen erat Joannes.

Auguſtinus tract. 5. in Joan. probat, non a Deo Patre, ſed a Filio ſimul & Patre S. Joannem Baptiſtam miſſum fuiſſe. Quo fit, ut etiam Filii Apoſtolus dici poſſit.

(16) Idem Tertullianus eodem loco ſubjicit e veſtigio: *Monogamum præſumo per Eccleſiam, quæ ſuper illum ædificata omnem gradum ordinis ſui de Monogamis erat collocatura. Ceteros cum maritos non invenio, aut ſpadones intelligam neceſſe eſt, aut continentes. Nec enim ſi penes Græcos communi vocabulo cenſentur mulieres & uxores pro conſuetudinis facilitate (ceterum eſt proprium vocabulum uxorum) ideo* Paulum *ſic interpretabimur, quaſi demonſtret uxores Apoſtolos habuiſſe. Si enim de matrimoniis diſputaret (quod in ſequentibus facit, ubi magis* Apoſtolus *aliquod exemplum nominare potuiſſet) recte videretur dicere*: Non enim habemus poteſtatem uxores circumducendi, ſicut ceteri Apoſtoli & Cephas? *At ubi ea ſubjungit, quæ de victuaria exhibitione abſtinentiam ejus oſtendunt dicentis:* Non enim poteſtatem habemus manducandi & bibendi? *non uxores demonſtrat ab Apoſtolis circumductas, quas & qui non habent, poteſtatem tamen manducandi & bibendi habent, ſed ſimpliciter mulieres, quæ illis eodem inſtituto, quo & Dominum comitantes miniſtrabant.*

ſine uxoribus eos fuiſſe, de quibus nihil tale Scriptura ſignificat. (17) Ambroſius tamen ſentit, non tantum Petro, ſed etiam Andreæ uxorem fuiſſe, & quidem ſororem uxoris ipſius Petri. Nam comment. in Lucam cap. 4. pag. 71. *Fortaſſis*, ait, *in typo mulieris illius ſocrus Simonis, & Andreæ variis criminum febribus caro noſtra languebat*. Hoc ipſum, ut annotavit Joannes Erneſtus Grabius ad Spicilegium SS. Patrum pag. 330. legitur etiam in Fragmento, quod Helecæ Epiſcopi Cæſarauguſtani nomine editum eſt, pag. 109. Editionis Cæſarauguſtanæ; *S. Petrus*, inquit Au-

(17) Idem Hieronymus loc. cit. *Petrus, & ceteri Apoſtoli, ut ei ex ſuperfluo interim concedam, habuerunt quidem uxores, ſed quas eo tempore acceperant, quo Evangelium neſciebant. Qui aſſumti poſtea in Apoſtolatum reliquerunt officium conjugale. Nam cum Petrus ex perſona Apoſtolorum dicit ad Dominum*: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: *reſpondit ei Dominus*: Amen dico vobis, quoniam nemo eſt, qui dimiſerit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios propter regnum Dei, qui non recipiat multo plura in ſæculo iſto, & in ſæculo futuro vitam æternam. Et Epiſt. 34. ad Julianum extremo cap. 2. pag. 209. *Cur qui in ſæculo primus es, non & in Chriſti familia primus ſis? an quia uxorem habueris? habuit & Petrus, & tamen cum reti eam & navicula dereliquit*. Et Epiſt. 50. ad Pammachium extremo cap. 8. pag. 395. *Apoſtoli vel virgines, vel poſt nuptias continentes*. Falſus autem Ambroſius in Epiſt. 2. ad Cor. cap. 11. pag. 446. ſcripſit. *Omnes Apoſtoli, exceptis Joanne & Paulo, uxores habuerunt*. Commentaria enim hæc in Epiſtolas D. Pauli non ſunt D. Ambroſii, ſed cujuſdam Hilarii Sardi ſecta Luciferiani, & Anabaptiſtæ, quem propterea S. Hieronymus falſe irridens *Deucalionem Orbis* appellat, adverſ. Lucifer. cap. 9. pag. 430. Vide Clementem Alexandrinum lib. 3. Strom. pag. 448. & lib. 7. pag. 741. Euſebium lib. 3. Hiſt. Eccl. cap. 30. Nicephorum lib. 2. cap. 44. Chryſoſtomum lib. 1. de compunctione cordis cap. 8. Coteletium in S. Ignatii epiſt. ad Philadelphienſes annotat. 27. 28. pag. 77. 78. Bellarminum lib. 1. de Clericis cap. 20. & Vicentium Ludovicum Gotti in colloquiis Theologico-Polemic. colloquio 4. ex iis, quæ ſunt de cælibatu ſacrorum miniſtrorum.

Auctor, *in honore habetur in Hiſpaniis, & ejus uxor* Concordia *paſſa ſub* Nerone *non multo prius, quam ipſe pateretur. Fuit hæc (ut docet* Maximus *in commentariis ad epiſtolam* S. Petri) *filia* Ariſtobuli *vel* Zebedæi, *&* Salomes *Socrus etiam* Andreæ, *qui duxit alteram ſororem* Concordiæ, *&* Jacobi, *&* Joannis. Ad Apoſtolatum tamen evecti conjuge abſtinuere. (18)

X. *Quando, & quo Baptiſmo abluti ſunt?*

Act. IX. 18. ℟. *Scriptum eſt, quando baptizatus ſit Apoſtolus Paulus, & ſcriptum non eſt, quando baptizati ſint alii Apoſtoli: veruntamen etiam ipſos baptizatos intelligere debemus...... ſive baptiſmo Joannis, ſicut nonnulli arbitrantur, ſive, quod magis credibile eſt, baptiſmo Chriſti.* (19) Chriſtus enim apud Joan-
Cap. XIII. 10. nem lotos illos & mundos eſſe affirmat. Itaque Ambroſius in Lucam cap. 18. a Chriſto baptizatos pro certo ponit: *Laverat eos Jeſus; lavacrum*
Pag. 188. *aliud non quærebant. Uno enim Chriſtus baptiſmate omnia ſolvit baptiſmata.* Similia habet Hilarius Pictavienſis in Matth. cap. 20. §. 4. ubi ſcribit,

Apo-

(18) Petrus ex uxore ſua dicitur ſuſcepiſſe filiam *Petronillam nomine*. Baronius ad an. 69. §. 33. videtur affirmare, *Petronillam* fuiſſe filiam Petri ſpiritualem duntaxat, eodem prorſus modo, quo idem Petrus Epiſt. 1. cap. V. 13. Marcum filium ſuum appellavit. De Petronilla habes multa in Actis Sanctorum die 31. Maji pag. 769. & ſeq.

(19) S. Auguſtinus epiſt. 265. alias 108. §. 4. & 5. Ex eodem Auguſtino illud eſt certum, Apoſtolos ante paſſionem Domini fuiſſe baptiſmo expiatos. Inquit enim epiſt. 44. alias 163. cap. 5. *Quomodo poterant Euchariſtiam accipere nondum baptizati? aut quomodo Petro volenti, ut totum ſe lavaret, reſponderit*: Qui lotus eſt ſemel, non eum oportet iterum lavari, ſed eſt mundus totus? Joan. XIII. 10.

Chryſoſtomus in Acta hom. 24. videtur ſignificare, Apoſtolos non fuiſſe baptizatos ante diem Pentecoſtes, in qua ſententia eſt etiam Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 3. §. 9.

Apoſtolos ſecutos eſſe Chriſtum *in regeneratione*, *in lavacro baptiſmi*, *in fidei ſanctificatione*, *in adoptione hereditatis*. Jam intelligis ex his, infirmari, atque adeo excludi, quod ex Euodio Nicephorus Lib. 2. cap. 3. & ex libro quinto Hypotypoſeon S. Clementis Joannes Moſchus ſeptimi ſæculi ſcriptor in Prato Spirituali extremo cap. 176. docet, Petrum tantummodo a Chriſto baptizatum, a Petro Andream, & filios Zebedæi Jacobum & Joannem, ab his reliquos Apoſtolos. (20) D. Thomas 3. p. q. 38. art. 6. ad 2.

XI. *A quo, & quo tempore Sacerdotes creati?*

℟. Ab ipſomet Chriſto, & quidem eo tempore, quo, celebrata cum ipſis Agni Paſchalis cœna, & ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento inſtituto, eiſdem præcepit, ut tali modo ſui memoriam celebrarent, & confecta ſub utraque ſpecie Euchariſtia, ſacrificium offerrent. Atque hoc non ſolum pluribus auctoribus dico, ſed etiam certum affirmo, nixus graviſſimo Tridentinæ Synodi teſtimonio, quæ aliter ſentientibus anathema infligit. (21) Bar. ad an. 34. §. 45. Luc. XXII. 19. Seſſ. 22. cap. 1. & can. 2.

XII.

(20) Euodius ille, ex cujus epiſtola *Lumen* inſcripta, veteribuſque omnibus ignota, ut Baronius ad an. 71. §. 13. animadvertit, quædam deſcribit Nicephorus, eſt ſuppoſitus, & alius ab Euodio, qui Eccleſiam Antiochenam proximus poſt Petrum adminiſtravit. Niſi enim ita eſſet, aliquis ex antiquis Patribus id cognitum habuiſſet; alii aliter de baptiſmate Apoſtolorum non ſenſiſſent; & S. Auguſtinus id oppoſuiſſet Novatiano illi, ad quem refellendum memoratam epiſtolam 265. ad Seleucianam ſcripſerat, neganti, Petrum baptizatum fuiſſe. Locum vero S. Clementis ex quinto Hypotypoſeon jampridem amiſſarum, quam fideliter Moſchus protulerit, ignoro. Hoc unum ſcio, quod conſtat inter doctiſſimos, S. Clementem Alexandrinum apocryphis nonnumquam uti.

(21) Anaſtaſius Bibliothecarius in Annotat. ad Concilium

XII. *Quando hanc memoriam celebrare cœperunt, & quis omnium primus celebravit?*

℞. Nulla hujus rei in Scripturis Sanctis, nulla in antiquis Scriptoribus, quantum ego quidem ſcio, mentio invenitur. Audent tamen recentiores ſuas opiniones, conjectando rem vetuſtate obrutam, interponere. Alii putant, Apoſtolos triduum illud, quo Chriſtus mortuus fuerat, utpote mœſtos, a celebratione abſtinuiſſe; ubi vero ad vitam rediit, ſtatim Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium peregiſſe: in quam ſententiam ab adjunctis diſſerit Raynaudus de prima Miſſa Sect. 1. cap. 2. (22) Alii vero exiſtimant, non auſos fuiſſe tantum Myſterium peragere, donec accepto Spiritu Sancto digniores redderentur, qui Sanctiſſimam laudis, gratiarum actionis, & propitiationis Hoſtiam immolarent. Opinio hæc probabilior viſa

au-

lium Conſtantinopolitanum IV. Oecum. VIII. apud Harduinum tom. 5. Conc. pag. 941. *Nota, quod Apoſtoli Sacerdotes prædicentur a Sancta Synodo, etiam ex tum, quando his dictum eſt*: Quemcunque ligaveritis ſuper terram, erit ligatus, vel ſolutus & in Cœlis. *Ergo Petrus, qui hoc ſpecialiter ante omnes audire meruit, primus Sacerdos effectus eſt*. Eam, quæ inter memoratas ſententias eſſe videtur, & non eſt, repugnantiam ſic tollit D. Thomas in 4. ſent. diſt. 24. quæſt. 2. art. 3. ad 2. *Dominus diſcipulis dedit ſacerdotalem poteſtatem quantum ad principalem actum ante paſſionem in cœna, quando dixit:* Accipite, & manducate. *Unde ſubjunxit*: Hoc facite in meam commemorationem: *ſed poſt reſurrectionem dedit eis ſacerdotalem poteſtatem quantum ad actum ſecundarium, qui eſt ligare, & abſolvere.*

(22) Innocentius I. epiſt. 25. ad Decentium cap. 4. §. 7. apud Petrum Couſtant. in Epiſtolis Romanorum Pontificum tom. 1. pag. 859. & apud Labbeum tom. 2. Conc. pag. 1246. *Conſtat, Apoſtolos biduo illo* (feria ſexta, & Sabbato majoris hebdomadæ) *& in mærore fuiſſe, & propter metum Judæorum ſe occuluiſſe. Quod utique non dubium eſt, in tantum eos jejunaſſe biduo memorato, ut traditio Eccleſiæ habeat iſto biduo ſacramenta penitus non celebrari.*

auctori Eminentiſſimo Cardinali Bona lib. 1. Rer. Liturg. cap. 5. §. 1. tum quod Lex antiqua, ut affirmant Theologi probatiſſimi, uſque ad Pentecoſten viguerit, nova nondum ſatis promulgata: tum quod in Actis Apoſtolorum nulla mentio fiat de *communicatione fractionis panis*, niſi poſtquam Cap. II. 42. afflati ſunt Spiritu ſancto. Huic piiſſimi Cardinalis ſententiæ ſuffragantur Heſychius, Beda, & Paſchaſius Radbertus. (23) Primum igitur Chriſtianæ Eccleſiæ Sacrificium Hieroſolymis in ipſomet cœnaculo, ubi Spiritus Sanctus illapſus eſt in Apoſtolos, oblatum crediderim, non quidem a Jacobo fratre Domini, ut cenſet Genebrardus, De Apoſt. Liturg. ſed a Petro Apoſtolorum Principe, ut ſcribunt Demochares, Pamelius, aliique. Neminem enim Tom. 2. de Miſſ. cap. 5. id decebat magis, quam Petrum, quem *omnibus Apoſtolis, cunctiſque Eccleſiæ Patribus* Chriſtus *præpoſuit, & cui conſortium potentiæ ſuæ tribuit divina dignatio*. (24) Tom. 1. Liturg. Latin.

XIII.

(23) Heſychius ſeu Iſychius in Levit. lib. 2. cap. 9. *Tunc Chriſtus ſacrificium ſuum innoteſcere cœpit, ex quo Spiritus adveniens Parthos, & Medos, & Elamitas & omnium gentium primitias ad Apoſtolorum Cœnaculi ſuperiora collegit*. In Bibl. Patr. Lugd. Tom. 12. pag. 87.

Beda Homilia in Feſtivitate Sancta Pentecoſtes, pag. 42. tom. 7. *Novum in ea/ſacrificium Domino ipſi quoque Apoſtoli, mox accepto dono Spiritus, obtulerunt, cum euangelizantes his, qui convenerant, plurimos converterunt ad fidem, & hos fonte baptiſmatis renovatos, ac Spiritus gratia ſanctificatos, vivas utique Novi Teſtamenti primitias ad communionem Dominici Altaris obtulerunt*.

Paſchaſius Radbertus De Corpore & Sanguine Domini cap. 21. *Ex quo renovati ſunt Sancti Apoſtoli per adventum Sancti Spiritus de Cælis, & inebriati muſto caritatis; ex eo ſane credimus, hunc Calicem in Eccleſia conſecratum*. In Bibl. Patr. tom. 14. pag. 746. 747. Vide Lambertinum Inſtitut. 21. pag. 50.

(24) S. Leo ſerm. 3. cap. 2. pag. 53.

XIII. *Celebraruntne pane azymo, an fermentato?*

Her. 30. §. 25. Ad An. 34. §. 46. ℟. *Ritum conficiendi in azymis, & non in fermentato ſervatum eſſe ab Apoſtolis, ac eorum ſucceſſoribus*, ſcribit ex Epiphanio Baronius. Certe ſecutos exemplum Chriſti, qui azymis uſus Euchariſtiæ Sacramentum confecit atque inſtituit, ad fidem pronius videtur. Neque ita commoda eſt eorum collectio, qui in contrariam partem diſputant hoc modo: Adhibuit Chriſtus panem azymum, azymus autem id temporis panis erat communis: imitati igitur Apoſtoli Chriſtum conſecrarunt panem communem, qualis tempore Apoſtolorum non erat azymus, ſed fermentatus. Ac me quidem rationes & conjecturæ in eam potiſſimum ſententiam ducunt, Eccleſiam Latinam ſemper, Græcam vero primis Chriſti ſæculis ex *Traditione* Apoſtolica azymos conſecraſſe, & quod inde conſequitur, Apoſtolos pane azymo ad Chriſti memoriam celebrandam uſos eſſe. (25)

XIV. *Quo ritu celebrarunt?*

℟. *Mos Apoſtolorum fuit, ut ad ipſam ſolummodo Orationem Dominicam oblationis hoſtiam conſecrarent*, quemadmodum ſcribit S. Gregorius Magnus ad Joannem Syracuſanum Epiſcopum epiſt. 12. libri 9. Sed *hæc verba orationes alias excludunt, non Evangelica verba ad conſecrationem ſemper adhibita.* (26)

(25) Vide Diſſertationem noſtram X. quæ eſt *de Azymo Latinorum*, & XI. quæ eſt *de azymo Græcorum*. Nam res eſt ejuſmodi, ut paucis verbis explicari non poſſit. Multo vero magis conſule Honoratum a S. Maria diſſert. 4. & 5. vol. 2. ejus libri, cui titulus *Reflexions ſur les regles, & ſur l' uſage de la Critique*. Profiteor enim, me legiſſe neminem, qui de re intricatiſſima magis concluſe apteque diceret.

(26) Sane Hieronymus lib. 3. Dialogorum adverſus Pelagianos cap. 8. *Apoſtolos*, ait, *quotidie Orationem Dominicam ſolitos dicere in Sacrificio*, *ſed non addit ſolam*. (27) *Imo a temporibus fere Apoſtolicis longas preces in liturgiæ celebratione fuiſſe recitatas teſtatur Juſtinus Martyr Apolog.* 1. *in fine*. Euchariſtiam ... prolixe exequitur, *inquit*, atque ubi ille preces & gratiarum actiones abſolvit, populus, qui adeſt, omnis fauſta approbatione acclamat dicens, Amen ... Præſidens vero (*Epiſcopus*) poſtquam gratiarum actionem perfecit (*Euchariſtiam*) ... qui apud nos vocantur Diaconi atque miniſtri diſtribuunt. (28) Eruditiſſimus & piiſſimus Pag. 596.

(26) Monachi Ordinis S. Benedicti e Congregatione S. Mauri in recitatum S. Gregorii locum pag. 940.

Bona lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 5. §. 3. *Gregorius Magnus morem Apoſtolorum fuiſſe ſcribit, ſola oratione Dominica oblationis hoſtiam conſecrare, additis procul dubio verbis Conſecrationis*. Et lib. 2. cap. 15. *Illa dictio exceptiva* ſolummodo *aut irrepſit in textum Gregorii, aut ad alias Orationes reſtringenda eſt, quæ conſecrationem antecedunt & ſubſequuntur. Nam verba, quibus Chriſtus hoc ſacrificium inſtituit, Apoſtoli procul dubio recitabant, non miſſa memoria paſſionis ejus, ſicut ille præcepit*: Hoc facite in meam commemorationem.

(27) Idem Bona ibid.

Verba Hieronymi ſunt hæc pag. 596. *Sic docuit Apoſtolos ſuos, ut quotidie in corporis illius ſacrificio credentes audeant loqui*: Pater noſter, qui es in cælis, ſanctificetur nomen tuum.

Leo VII. in Epiſt. ad Gallos & Germanos apud Harduinum tom. 6. Conc. pag. 578. *Poſt hæc conſuluit: Si Dominica Oratio in benedictione ciborum debet uſitari. Quod fieri non oportet, quia in ſanctificatione corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti hanc ſolummodo orationem Sancti Apoſtoli decantabant*.

(28) Iidem Monachi e Congregatione S. Mauri loco citato.

Vualafridus Strabo De rebus Eccl. cap. 22. Bibl. Patr. tom. 1. pag. 191. *Quod nunc agimus multiplici orationum, lectionum, cantilenarum, & conſecrationum officio, totum hoc Apoſtoli, & poſt ipſos proximi (ut creditur) orationibus & com-*

mus Bona lib. 1. Rer. Liturgic. c. 5. §. 3. inter ſeſe conciliat ſcriptores, quorum alii brevem, alii longam ſacrificandi rationem Apoſtolis tribuunt. Exiſtimat enim, breviſſimum fuiſſe in Eccleſia ab initio Miſſæ celebrandæ ritum ob multas ſuccreſcentium in dies hoſtium inſidias: poſtea aucto Chriſtianorum numero cœpiſſe Apoſtolos adhibere lectiones ſacras, preces, ceremonias, ex quibus Fidelium pietas atque amor exardeſceret, tantique Sacrificii dignitas ac majeſtas commendaretur. (29)

XV.

commemoratione paſſionis Dominicæ, ſicut ipſe præcepit, agebant ſimpliciter. Unde circa domos ſecundum ſuperius commemorata teſtimonia frangebant panem. Quod etiam alia ſententia Lucas declarat dicens: Una autem Sabbati cum conveniſſemus ad frangendum panem, *& reliqua. Et relatio Majorum eſt ita primis temporibus Miſſas fieri ſolitas, ſicut modo in Paraſceve Paſchæ (in quo die apud Romanos Miſſæ non aguntur) communicationem facere ſolemus, id eſt præmiſſa Oratione Dominica, & ſicut ipſe Dominus noſter præcepit, commemoratione paſſionis ejus adhibita eos corpori Dominico communicaſſe & ſanguini, quos ratio permittebat. Proficiente debinc religione amplius aucta ſunt a Chriſti cultoribus officia Miſſarum, quod vel pax præſtita latius terminos propagavit Eccleſiæ, vel Sanctorum copia uſu facta eſt convaleſcente frequentior.*

Rodulphus Tungrenſis De Canonum obſervantia propoſitione 23. tom. 26. Bibl. Patr. pag. 314. *Ab initio cum adhuc eſſet novella Eccleſia, Apoſtoli cum ſanctificatione Crucis & Oratione Dominica, prout in quibuſdam ſcripturis veteribus reperitur, & in quotidianis veſtibus & ligneis calicibus celebrabant.* Quod ait de veſtibus quotidianis, graviorum Patrum auctoritatibus mox afferendis rejicitur.

(29) S. Auguſtinus Epiſt. 149. §. 16. perpendens & explanans hæc Pauli verba ad Tim. epiſt. 1. c. 2. *Obſecro primum fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones*, cenſet, quatuor Miſſæ partes a D. Paulo deſignatas fuiſſe. *Sed eligo in his verbis intelligere, quod omnis, vel pæne omnis frequentat Eccleſia, ut* Precationes *accipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud, quod eſt in Domini menſa, incipiat benedici*: Orationes, *cum benedicitur & ſanctificatur & ad diſtributionem* com-

XV. *Qua lingua?*

℞. Ea lingua, qua uſus Chriſtus Dominus tantum Sacramentum inſtituit. Uſum autem ad id fuiſſe lingua Syro-Chaldaica, argumentari licet ex verbis ab ipſo in cruce prolatis idioma purum Syro-Chaldaicum ſonantibus: *Eli Eli lamma Sabactani*. Cum vero totum Sacrificium, ut modo dixi, Oratione Dominica & verbis Conſecrationis ab Apoſtolis perageretur, haud equidem ambigam, Apoſtolos Sacrum facientes ea lingua uſos eſſe, qua ipſis Chriſtus divinam illam precationis formulam tradiderat, & qua conſecratum panem ipſis porrigens dixerat: *Accipite & comedite: Hoc* Matth.
eſt Corpus meum, quod pro vobis datur: Hoc facite XXVI.
in meam commemorationem. Poſtea tamen non ſo- v. 26.
lum Chaldaico, ſed etiam Græco, ac Latino ſer- Luc. XXII.
mone Sacrum celebrare ſolitos, argumento ſunt 19.

 an-

comminuitur, quam totam petitionem omnis Eccleſia Dominica oratione concludit......, Ideo in hujus ſanctificationis præparatione exiſtimo, Apoſtolum juſſiſſe fieri orationes. Interpellationes *autem ſive* poſtulationes *ſiunt, cum populis benedicitur...... Quibus peractis, & participato toto Sacramento*, Gratiarum actio *cuncta concludit*.

S. Baſilius De Spiritu Sancto cap. 27. pag. 351. tom. 2. *Invocationis verba cum conficitur panis Eucharistiæ & poculum benedictionis, quis Sanctorum in ſcripto nobis reliquit? Nec enim his contenti ſumus, quæ commemorat Apoſtolus aut Evangelium, verum alia quoque & ante & poſt dicimus tamquam multum habentia momenti ad myſterium, quæ ex traditione citra ſcriptum accepimus.*

D. Thomas 2. 2. quæſt. 83. art. 17. *Dicit Gloſſa* 1. *Timot.* 2. *quod in Miſſa* obſecrationes ſunt, quæ præcedunt conſecrationem, *in quibus quædam ſacra commemorantur*: Orationes ſunt in ipſa conſecratione, *in qua mens maxime debet elevari in Deum*. Poſtulationes autem ſunt in ſequentibus petitionibus: Gratiarum actiones in fine.

Vide Bonam lib. 2. Rer. Liturgic. cap. 13.

antiquæ Liturgiæ, Latina, Græca, & Chaldaica lingua conſcriptæ. (30)

XVI. *Qua veſte?*

℟. Veſte, crediderim, a profana & communi ſi non forma & nomine, ſpecie ſaltem ac nitore diverſa atque diſtincta. Sciebant enim Apoſtoli, & a Sacerdotibus Veteris Legis peculiares veſtes ad Sacrificia Dei juſſu adhibitas, & Sacerdotium Chriſti Sacerdotio Veteris Legis longe multumque anteſtare: atque ideo conſentaneum eſt credere, ſicut illi in Moſaico, ſic Apoſtolos in Sacerdotio Chriſti indumentis ad id comparatis uſos eſſe, ut etiam ex veſtium haud communium apparatu tanti Myſterii excellentia ac præſtantia Fidelibus innoteſceret. Ejus generis fuiſſe videtur aurea illa lamina, quam in fronte geſtavit tum Joannes, ut ex Polycrate Epheſiorum Epiſcopo refert Euſebius lib. 5. Hiſt. cap. 24. tum Jacobus, frater Domini, ut ex Clemente Alexandrino narrat Epiphanius hær. 29. §. 4. Ex hoc item genere fuiſſe creditur penula, quam Troade apud Carpum ſe reliquiſſe, Paulus ſcribit ad Timotheum Ep. II. cap. IV. 13. Plures enim ſunt, qui arbitrentur, eam fuiſſe Planetam ſeu Caſulam. (31)

Alii

(30) Cardinalis Bona lib. 1. Rerum Liturgicarum, cap. 5. §. 4. *Aſſerendum itaque videtur, Apoſtolos, eorumque ſucceſſores eo idiomate in ſingulis regionibus uſos, quod tunc illis commune & vernaculum erat; & ita Hieroſolymis Chaldaice, Antiochiæ vero, Alexandriæ, & in aliis Græcorum Civitatibus Græce, Romæ autem & in toto Occidente Latine celebraſſe.* Vide doctiſſimum Meratum in obſervationibus ad Theſaurum Sacrorum Rituum Gavanti tom. 1. part. 1. pag. 37.

(31) Baronius ad an. 58. §. 69. *Penulam dici veſtem ſacram, apud Græcos Chriſtianos ſcriptores ſæpius teſtatum habetur, ſic dictam, quod uno interjectu totum ambiret, a* φαίνομαι

Alii vero Planetam Petri, & veſtem ſacram Joannis Evangeliſtæ nihil hæſitantes proferunt. Nam Planetæ S. Petri Antiochia Pariſios delatæ, & in templo S. Genovefæ collocatæ meminit in Vita S. Hugonis Cluniacenſis alter Hugo, ejus æqualis

B 2 apud

μαι *&* ὅλον, *quod tota conſpiciatur : quam &* Planetam *dicere conſuevimus a* πλάνη, *quod circumerrans totum ambiat corpus, ſicut eſſe ſolent, quæ antiquiores in Eccleſiis aſſervantur.*

Ferrarius, qui olim ſubſcripſerat eorum ſentententiæ, qui negant, penulam fuiſſe veſtem ſacram, Lib. 1. De re veſtiaria cap. 37. revocat ſe. *Hæc olim opinabamur, cum nondum penulæ figuram in antiquis monumentis videre contigiſſet, decepti etiam clarorum virorum auctoritate, qui penulam veſtimentum apertum eſſe docuerunt. Sed poſtquam non una penulæ imago in manus venit, mutare opinionem cogimur, veſtemque ſacrificantium cum Baronio penulam fuiſſe fatemur.* Agit idem de penulis toto libro ſecundo partis ſecundæ, ubi & penulæ figuram exhibet admodum ſimilis Planetæ Sacerdotali.

Cæſar Bulengerus lib. 1. De veſt. Pontif. Epiſc. cap. 20. poſtquam retulit, hanc *Penulæ* vocem ab antiquis ſcriptoribus Græcis Latiniſque non una ratione explicari, ſubjicit, eam fuiſſe veſtem ſacram obtegentem corpus Sacerdotis totum, ideoque dictam *Planetam a voce* πλάνη. Vide Bonam lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 5. §. 2. & cap. 24. §. 1. & 8. & Meratum loco citato pag. 36. quibuſcum velim ea conferas, quæ ſcribit Lambertinus Inſtitut. 21. pag. 91.

Sed verius eſt, penulam D. Pauli nihil aliud eſſe, quam veſtem illam Græcorum, & Latinorum, qua pluviæ, & frigori arcendo utebantur. S. Hieronymus adverſus Pelagianos lib. 3. extremo cap. 1. pag. 591. *Putaſne, Apoſtolum eo tempore, quo ſcribebat :* Lacernam, *ſive* penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer, ac libros, & maxime membranas, *de cæleſtibus cogitaſſe myſteriis, & non de iis, quæ in uſu communis vitæ, vel corporis neceſſaria ſunt ?* Similes ſunt Hieronymo Chryſoſtomus, ac Theophylactus. Alter enim hom. 10. in Pauli epiſt. II. ad Timotheum pag. 1685. alter in eamdem epiſt. cap. IV. 13. pag. 591., τὸν φαιλόνην *penulam* Pauli, ἱμάτιον *pallium* interpretantur, veſtem nimirum corpori protegendo.

apud Surium, die 29. Aprilis, ſubjiciens ea uſum Hugonem ſanaſſe Paralyticum. (32) Tunicam autem, ſeu veſtem ſacram Joannis ad Gregorium Magnum tranſmiſſam, ſcribit Joannes Diaconus in ejus Vita lib. 3. cap. 59. Sed nihil attinet, hujuſmodi hiſtorias, quæ ſubleſtæ fidei ſunt, commemorare. Res tota confici poteſt præclare illa D. Auguſtini regula lib. de baptiſmo cap. 24. *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur*. Ex hac enim neceſſario ſequitur, Apoſtolis, & viris Apoſtolicis ſacra indumenta auferri non poſſe, niſi liqueat, a quo primum fuerint introducta. Hoc autem cum incompertum ſit, efficitur, uſum veſtium ſacrarum ab Apoſtolis manaſſe, atque ideo Apoſtolos ipſos Sacra facturos veſtes a profanis diſtinctas induiſſe. Quod ita perſuaſum fuit Patribus Concilii Tridentini, ut affirmaverint, Eccleſiam Sacroſancto Miſſæ Sacrificio adhibuiſſe *veſtes, aliaque id genus multa ex Apoſtolica diſciplina & traditione*. (33)

Seſſ. 22. de Sacrif. Miſſæ cap. 5.

XVII.

(32) De eadem Petri Planeta, *quæ veterum relatione in præfata creditur eſſe Eccleſia* S. Genovefæ, meminit etiam Hildebertus Epiſcopus Cenomanenſis in Vita ejuſdem S. Hugonis Abbatis Cluniacenſis cap. 4. apud Bollandum die 29. Aprilis pag. 641.

(33) Hanc Traditionem ſæculo tertio confirmat decretum Stephani Papæ, qui anno 260. mortem pro Chriſto ſubiit. *Hic conſtituit, Sacerdotes & Levitas veſtibus ſacratis in uſu quotidiano non uti, & niſi in Eccleſia tantum:* ut eſt in Libro Pontificali apud Labbeum tom. 1. Conc. pag. 728. & apud Baronium ad an. 260. §. 6. Sæculo quarto Euſebius lib. 10. Hiſt. Eccleſ. cap. 4. *Amici & Sacerdotes Dei, qui ſacra tunica talari induti, & cœleſti gloriæ corona decorati, divinaque unctione delibuti, & Sacerdotali Sancti Spiritus veſte amicti eſtis*. S. Hieronymus lib. 1. Dialog. adverſus Pelag. pag. 565. *Quæ ſunt, rogo, inimicitiæ contra Deum, ſi tunicam habuero mundiorem, ſi Epiſcopus, Preſ-*

by-

Digitized by Google

XVII. *Exſtat ne aliqua Apoſtolorum Liturgia?*

℟. *Eccleſias ab Apoſtolis inſtitutas formam aliquam & ritum offerendi Sacrificium ab iiſdem accepiſſe, nemo, opinor, inficias iverit, cui nota ſit Sacrificii cum religione inſeparabilis & intrinſeca connexio*. (34) *An vero Liturgiæ, quæ nomine quorumdam Apoſtolorum inſcriptæ circumferuntur, legitimæ ſint, diſquiritur*. (35) Nonnulli Liturgias Petri, Jacobi, Matthæi, & Marci omnes ad unam rejiciunt, tamquam ſubdititias: (36) quidam vero illam Jacobi excipiunt, conanturque argumentis, quæ ab adverſariis afferri ſolent, occurrere. (37) Ego primis accedo, atque ut accedam,

B 3 fa-

byter, & Diaconus, & reliquus Ordo Eccleſiaſticus in adminiſtratione ſacrificiorum cum candida veſte proceſſerint? Idem in Ezechielem cap. 44. pag. 476. *Religio divina alterum habitum habet in miniſterio* (Altaris,) *alterum in uſu vitaque communi*. Qua de re aliis deinceps ſæculis ſancti Patres alii, & Concilia teſtantur. Vide Lambertinum Inſtitut. 21.

(34) S. Baſilius in libro de Spiritu Sancto cap. 27. pag. 352. tom. 2. *In primordiis Eccleſiæ certos ritus præſcripſerant Apoſtoli & Patres*. Cæleſtinus I. epiſt. 21. ad Epiſcopos Galliarum cap. 11. §. 12. apud Petrum Couſtant in Epiſtolis Romanorum Pontificum tom. 1. pag. 1193. *Obſecrationum Sacerdotalium Sacramenta reſpiciamus, quæ ab Apoſtolis tradita, in toto mundo atque in omni Eccleſia uniformiter celebrantur*.

(35) Bona lib. 1. Rerum Liturgicarum cap. 8. §. 1.

(36) Bona in primis loco mox allato. Rivetus lib. 1. Critici Sacri cap. 3. pag. 1071. & 1072. tom. 2. Operum Theologicorum. Dupinus Diſſertat. Præliminari ad Biblia lib. 2. cap. 6. §. 8. pag. 97. Gulielmus Cave in Hiſtoria Litteraria Scriptorum Eccleſiaſticorum in Jacobo pag. 10. Oudinus de Scriproribus Eccleſiaſticis tom. 1. pag. 3. ex Riveto. Natalis Alexander in Hiſt. Eccl. Sæc. I. cap. 12. art. 3. pag. 39. tom. 3. Ceillier in Hiſtoria Generali Auctorum Sacrorum lib. 2. cap. 2. art. 7. pag. 507. tom. 1.

(37) Allatius epiſt. 1. ad Nihuſium inſerta Symmictis, quæ

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

faciunt hæc. Primum enim populus in Liturgia Jacobi canit *Triſagium*, hymnum, qui in Ecleſia ſæculo tantum quinto cani cępit: (38) deinde ibi leguntur nomina *Metropolitarum*, *Patriarcharum*, *Subdiaconorum*, *Monachorum*, *Religioſorum*, & alia multo poſt nata & excogitata: poſtremo, ut cetera omittam, Sacerdotes ibidem *commemorant*, Deoque commendant *omnes Reges fideles*, *Chriſtianos veros*, *qui Eccleſias*, *& Monaſteria Dei in quatuor mundi partibus ædificaverunt & fundaverunt*. (39) At nondum erant Reges fideles, & Monaſteria. His adde locum S. Baſilii, preces, quæ in conſecratione Euchariſtiæ adhibentur, ad Traditionem non ſcriptam referentis. *Invocationis verba*, inquit, *cum conficitur panis Euchariſtiæ*, *& poculum benedictionis*, *quis ſanctorum in ſcripto nobis reliquit? Nec enim his contenti ſumus*, *quæ commemorat Apoſtolus aut Evangelium*, *verum alia quoque & ante & poſt dicimus*, *tamquam multum habentia momenti ad myſterium: quæ ex Traditione citra ſcriptum accepimus*. (40) Neque vero S. Proclus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, qui medio circiter ſæculo quinto vixit, Jacobum annumerans iis, qui *ſacroſanctæ Miſſæ editionem ſcriptis demandarunt:* (41) neque Synodus *Trullana* can. 32. ex Ja-

quæ extant ad calcem Geneſii pag. 29. edit. Venetæ. Bona lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 8. §. 3. Bellarminus, & Labbeus de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Jacobo, qui tamen omnes fatentur, *a poſterioribus ita locupletatam eſſe*, *ut non ſit facile dijudicare*, *quæ pars ejus Liturgiæ S. Jacobum habeat auctorem*.

(38) Vide annotationem 3. ad S. Felicem III. in Vitis Pontificnm Romanorum deſcriptis a nobis pag. 131.

(39) Euſebius Renaudotius in Liturgiarum Orientalium collectione tom. 2. pag. 31. 34. 35. 36. 37.

(40) In memorato libro de Spiritu Sancto cap. 27. pag. 351. tom. 2.

(41) Proclus Conſtantinopolitanus de div. Miſſa pag. 580.

Jacobi Liturgia probans, vinum aqua mixtum in Sacrificio Miſſæ offerendum eſſe, (42) quidquam habent momenti ad Liturgiam illam eidem Jacobo vindicandam: Qui enim ſunt auctoritate; & antiquitate idonei teſtes, fragmentum illud Liturgicum, quod præſefert nomen S. Procli; verum ac legitimum opus ejus eſſe? Certe Vincentius Riccardus; qui Procli Opera collegit & illuſtravit; hoc ſolum dicit; id crediditſſe Baronium; Lindanum, Caniſium; alioſque recentiores: Synodum autem *Trullanam* ſeu *Quiniſextam a majoribus* dictam *erraticam*, ut ait Baronius ad an. 692. §. 7. *omni penitus auctoritate carentem* (43) quis audeat Magni Baſilii auctoritati anteponere? (44):

 XVIII.

580. apud Ceillier in Hiſt. Generali Auctorum Sacrorum lib. 2. cap. 2. art. 7. pag. 510. tom. 1. *Multi quidem & alii divinæ Eccleſiæ paſtores & doctores; qui ſacris ſucceſſerunt Apoſtolis, ſacroſanctæ Miſſæ editionem ſcriptis demandantes; tradiderunt Eccleſiæ; quorum primi; iique præclariſſimi cenſentur; beatus nimirum Clemens; ſummi illius Apoſtolorum principis diſcipulus, & ſucceſſor, qui ſacris Apoſtolis ei dictantibus illam edidit: & divus Jacobus, qui Hieroſolymitanam Eccleſiam nactus eſt in ſortem, ejuſque primus à primo, magnoque illo ſummo Pontifice Chriſto Deo noſtro fuit conſtitutus Epiſcopus:*

(42) Apud Labbeum tom. 6. Conc. pag. 1157. & apud Harduinum tom. 3. Con. pag. 1674.

(43) Vide annotationem 1. ad Sergium Papam I.

(44) Theodorus Balſamon Patriarca Antiochenus in Reſponſis ad interrogationes Marci Patriarchæ Alexandrini Reſpon. I. apud Leunclavium lib. 5. Juris Græco-Romani pag. 362. & 363. *Dicimus nos neque a Sacra Scriptura, neque a Canone Synodice edito edoctos fuiſſe; ſacrum Miniſterium a S. Apoſtolo Marco traditum. Solus enim 32. canon ſanctæ & œcumenicæ Synodi coactæ in Trullo magni palatii ait; a S. Jacobo Dei fratre myſticum Sacrificium fuiſſe compoſitum. Attamen 85. canon ſanctorum, & omni laude celebrium Apoſtolorum, & 59. canon Laodicenæ Synodi enumerantes Veteris Teſtamenti & Novi, ipſoſque Apoſtolicos libros, qui in uſu nobis eſſe debent; nullam Sacrificii S. Jacobi, vel S. Marci mentionem faciunt. Neque etiam Conſtantinopolis Eccleſia ullo modo eas liturgias agnoſcit. Pronuntiamus igitur non eſſe has recipiendas:*

XVIII. *Epiſcopatus Ordinem a quo acceperunt?*

℞. Sententias invenio tres: Una ſolum Petrum a Chriſto Epiſcopum conſtitutum decernit, alios a Petro: Altera non modo Petrum, ſed etiam Jacobum, & Joannem a Chriſto, atque ab his reliquos ad Epiſcopale munus evectos docet: Tertia omnes ab ipſomet Chriſto Epiſcopatu initiatos defendit. Nullam cur affirmem habeo; ſecundæ ut magis credam, facit Clemens Alexandrinus apud Euſebium lib. 2. Hiſt. Eccl. cap. 1. & Hieronymus de Scriptor. Eccl. cap. 2. Ille enim, Jacobum cognomine *Juſtum* a Petro, Jacobo, & Joanne, hic ab Apoſtolis ordinatum Epiſcopum Hieroſolymorum memoriæ prodidit. (45)

XIX. *Tradiditne Chriſtus ſcriptam Apoſtolis Doctrinam ſuam?*

Joan. XIV. 26. ℞. *Apoſtolis ſcriptum nullum tradidit Chriſtus*, ut ait S. Chryſoſtomus in Matthæum hom. 1. *ſed pro litteris Sancti Spiritus ſe illis daturum gratiam repromiſit*. Ille, *inquit*, ſuggeret vobis omnia. *Atque ut diſcas, quia hoc multo ſit melius, audi Dominum per Prophetam loquentem:* Et diſponam, *inquit*, vobis teſtamentum meum. Dabo legem meam in mente eorum, & in corda eorum perſcribam eam: & erunt omnes docibiles Dei: *Paulus quoque hanc eminentiam deſignando dicebat, ſe ac-*

Jerem. XXXI. 33. & Joan. VI. 45. 2. ad Cor. III. 3.

(45) Et fallitur, & alios fallit Theologus Jacobus Hyacinthus Serry exercitat. 51. §. 7. ſcribens, *Apoſtolos autem & Sacerdotes, & Epiſcopos creavit Chriſtus, dum dixit eis:* Hoc facite in meam commemorationem, *uti declarat Synodus Tridentina*. Docet enim Synodus Tridentina ſeſſ. 22. de ſacrificio Miſſæ can. 2. Apoſtolos Sacerdotes tantum, non etiam Epiſcopos tunc creatos. V. annotation. 16. ad S. Jacobum minorem.

accepiſſe legem non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus.

XX. *Cedo tempus, quo Spiritu Sancto afflati ſunt.*

℞. Die Pentecoſtes, ſeu quinquageſimo, ut ſcribit Lucas, & nemo unus ignorat. Sed quoniam diſtinguitur Pentecoſtes in alteram, quæ a Judæis poſt diem quinquageſimum ab immolatione Agni Paſchalis, & alteram, quæ a Chriſtianis diebus pariter quinquaginta poſt Chriſti reſurrectionem celebrari conſuevit: idcirco dubium inter Scriptores eſt, utram Lucas intellexerit. Si primam ſignificare voluit, die Sabbati, ſi alteram, die inſequente Dominico hora ab ortu Solis tertia, Spiritus Sanctus e Cælo in Apoſtolos ignis ſpecie delapſus eſt: cujus virtute ita omnes repleti ſunt, ut qui antea *propter metum Judæorum* incluſi, domi ſe continebant, audacter exinde, & libere Evangelium curæ ſuæ commiſſum diſpergerent, rati nihil ſibi felicius accidere poſſe, quam ut digni haberentur, qui pro Chriſto contumelias, vincula, tormenta, cruces perferrent, vitamque profunderent. (46)

Act. II. 1. 15. Baron. ad an. 34. §. 239.

Joan. XX. 19.

XXI.

(46) Hoc pacto Apoſtoli receperunt perfectiſſimum Sacramenti Confirmationis effectum, ob eamque cauſſam poſtea Sacramentum ipſum non ſuſceperunt, quia iterari non poteſt. Suarez in 3. Part. D. Tom. tom. 2. diſput. 18. ſect. 3.

S. Leo epiſt. 11. alias 81. cap. 1. loquens de Die Dominica: *Tantis divinarum diſpoſitionum myſteriis eſt conſecrata, ut quidquid eſt a Domino inſignius conſtitutum, in hujus diei dignitate ſit geſtum. In hac mundus ſumſit exordium, in hac per reſurrectionem Chriſti & mors interitum, & vita accepit initium. In hac Apoſtoli a Domino prædicandi omnibus gentibus Evangelii tubam ſumunt, & inferendum univerſo mundo Sacramentum regenerationis accipiunt. In hac, ſicut B. Joannes Evangeliſta teſtatur, congregatis in unum diſcipulis, ja-*

nuis

XXI. *Aſſigna locum*.

℞. Eſt id omnino verum, Apoſtolos tum Hieroſolymis fuiſſe. Mandaverat enim illis Chriſtus,
Act. I. 4. *ab Hieroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent promiſſionem Patris*. At cujus eſſet domus illa, in cu-
13. jus cœnaculum Apoſtoli convenerant, quadruplex opinio eſt: Alii Joannis Evangeliſtæ fuiſſe putant; quidam Simonis leproſi; nonnulli Joſephi ab Arimathia, aut forte Nicodemi; plures demum, quod eſt vero ſimilius, Joannis, cui *Marco* cognomen
Act. XII. 12. erat, fuiſſe contendunt. In ea enim conventus ſuos agere ſolebant, ut ex D. Luca intelligi ma-
Bar. ad an. 34. §. 236. xime poteſt, narrante, D. Petrum e carcere, in quo Herodis Agrippæ juſſu detinebatur, Angeli ope noctu liberatum ſtatim tamquam ſolitum hoſpitium petiiſſe *domum Mariæ matris Joannis, qui cognominatus eſt Marcus, ubi erant multi congregati, & orantes*: quam domum ob id ipſum, & alia ibidem peracta myſteria, in Templum poſtea converſam, teſtatur S. Cyrillus Hieroſolymitanus Ca-
Pag. 176. tech. 16. §. 5. & Epiphanius *de menſuris & ponderibus* §. 14. (47)

XXII.

nuis clauſis cum ad eos Dominus introiſſet, inſufflavit, & dixit: Accipite Spiritum Sanctum. quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum detinueritis, detenta ſunt. *In hac denique promiſſus a Domino Apoſtolis Spiritus Sanctus advenit.*

(47) Idem Epiphanius tradit, Eccleſiam hanc in quadam Sionis parte conſtructam. Ejus Eccleſiæ porticum quarto Chriſti ſæculo innixam fuiſſe columnæ, ad quam ligatus Chriſtus flagellis cæſus eſt, ſcribit Hieronymus ad Euſtochium, epiſt. 27. cap. 4. pag. 176. Et Nicephorus de Helena Magni Conſtantini matre loquens l. 8. c. 30. pag. 597. *Ceterum in Urbem ſanctam reverſa, in Sion ampliſſimum longe lateque conſtruxit Templum, in cujus poſtico domum circumcluſit, in qua foribus clauſis propter metum Judæorum diſcipuli fuerant congregati: in qua etiam ſacra cœna peracta, ſa-*

XXII. *Aliine præter Apoſtolos accepere Spiritum Sanctum?*

℟. Certe ita dicunt Chryſoſtomus, Hieronymus, Auguſtinus, qui quidem in Joan. tract. 92. §. 1. ait: *Venit die Pentecoſtes Spiritus Sanctus in centum viginti homines congregatos, in quibus & Apoſtoli omnes erant.* (48) In quibus pariter numerandos eſſe duos & ſeptuaginta Diſcipulos, haud abnuerim: quandoquidem etiam hi dono linguarum egebant, cum a Chriſto miſſi deberent ejus doctrinam externis gentibus tradere. Quibuſcum fuiſſe Mariam Chriſti matrem, aliaſque mulieres, & cognatos tum Mariæ, tum Chriſti, & indicat Lucas, ita de illis, qui erant in cœnaculo, ſcribens: *Hi omnes erant perſeverantes in oratione cum mulieribus, & Maria matre Jeſu, & fratribus ejus:* & apud eundem Lucam confirmat Petrus teſtimonio illo Joelis. *Effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem &c.* Ex quo facile perſpicitur, omnis ſexus, omniſque ætatis homines, non ſolos Apoſtolos, divini hujus beneficii participes fuiſſe. (49)

Act. I. 14.

Act. II. 17.

XXIII.

ſacraque pedum lotio, nec non Spiritus Sancti in cœnaculo adventus: in qua primus quoque Hierarcha & Epiſcopus Jacobus renunciatus eſt. In eo templo marmorea quoque fuit columna, ad quam, cum flagellis cæderetur, alligatus eſt Salvator.

(48) Chryſoſtomus hom. 4. in Act. pag. 477. tom. 4. *An* Spiritus *in duodecim venit tantum, non etiam in ceteros? Nequaquam, ſed venit etiam in illos centum viginti. Neque enim temere Petrus allegavit Propheta* (Joelis II. 28.) *teſtimonium*: Effundam &c.

Hieronymus epiſt. 27. pag. 176. *Monſtrabatur locus, ubi ſupra centum viginti credentium animas Spiritus Sanctus deſcendit, ut Joelis vaticinium compleretur.*

Auguſtinus ſerm. 27. cap. 1. *Duodecim elegit, & in centum viginti Spiritum miſit.*

(49) S. Chryſtoſtomus in Act. hom. 3. pag. 470. Erant ſer-

XXIII. *Omniumne linguarum ſcientiam Spiritus Sanctus Apoſtolis largitus eſt?*

℞. Utrum Apoſtoli ſcirent nationum omnium ſermone loqui, an ſuo uſi ab cujuſque nationis hominibus intelligerentur, dubitatum eſt. Sed ipſa Scripturæ verba: *Repleti ſunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui variis linguis*, ſeu ut multo clarius eſt in autographo Græco: ἑτέραις γλώσσαις *alienis linguis*: ſatis ſuperque oſtendunt, Apoſtolos locutos eſſe linguis etiam exoticis, non patria tantum & vernacula, quæ ipſis Syriaca Hieroſolymitana fuiſſe exiſtimatur. (50) Quare Auguſtinus ſerm. 359. §. 1. *Locuti ſunt, implente & donante Spiritu Sancto, linguis omnium gentium. Inde dictum:* Non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum. Et Hieronymus epiſt. 54. ad Marcellam: *Decima die, poſt aſcenſum Domini, hoc eſt, quinquageſima poſt reſurrectionem, Spiritum Sanctum deſcendiſſe, linguaſque credentium eſſe diviſas, ita ut unuſquiſque omnium gentium ſermone loqueretur.* Eſt ejus opinionis Gregorius Magnus hom. 30. in Evangel. Cyrillus Catech. 17. §. 16. Theodoretus in cap. 14. Epiſt. 1. ad Cor. & Gregorius Nazianzenus orat. 44. (51) in-

Bar. ad an. 34. §. 242.

Act. II. 4.

Pag. 414.

D. Tho. 2. 2. qu. 176. Art. 1.

Act. II. 14.

ferme centum viginti. *Fortaſſis Septuaginta, quos ſelegerat, aut alii quoque probiores, qualis eſt hic Joſeph, Matthias, mulieres, quæ a Galilæa ſecutæ fuerant illum, ſimul & ubique adfuerant.*

(50) S. Paulus I. ad Cor. cap. XIV. 18. *Gratias ago Deo meo, quod omnium veſtrum lingua loquor.*

(51) Hyacinthus Serry exercitat. 63. §. 6. *Nunc quod ad alterum inſtitutæ diſputationis caput attinet, ea Divo Gregorio Nazianzeno ſententia ſtetit Oratione 44. in eo prodigium illud fuiſſe poſitum, quod propria duntaxat lingua loquentes Apoſtoli Syro-hebræa, a variarum nationum populis intelligerentur. Qua de cauſſa in Actibus Apoſtolicis cap. 2. obſervatum*

Inficias tamen non iverim, Petri una lingua loquentis ſermonem a variis lingua & natione hominibus, qui erant Hieroſolymis, fuiſſe perceptum, idemque potuiſſe contingere aliis Apoſtolis pro concione dicentibus ad populos, qui non ejuſdem linguæ ſocietate conjungerentur. (52) Quod item poſtea uſuvenit D. Antonio Patavino Romæ ad *diverſarum gentium multitudinem* Pontificis juſſu verba facienti: *nam beati viri linguam ita inſtruxit gratia Spiritus Sancti, ut ſinguli, & aperte audirent, & plane intelligerent idioma regionis ſuæ, in quo*

tum ſit, diverſarum nationum populos inclamaſſe: Quomodo nos audivimus unuſquiſque linguam noſtram, in qua nati ſumus? *Et infra*: Audivimus eos loquentes noſtris linguis magnalia Dei: *quaſi id audirent illi tantum, non item ipſimet Apoſtoli loquerentur.*

S. Gregorius Nazianzenus Orat. 44. pag. 715. & 716. *At vero linguis externis, ac non vernaculis Apoſtoli loquebantur, ſingularique miraculo ſermo ab his, qui non didicerant, proferebatur: ſignumque illud infidelibus erat, non fidelibus, ut infidelium accuſator eſſet; ſicut ſcriptum eſt*: Quoniam in aliis linguis, & in labiis aliis loquar populo huic, ac ne ſic quidem exaudient me, dicit Dominus. Audiebant autem. *Verum hic paulum conſiſte, atque ambige quo modo diſtinguenda ſit oratio. Textus enim nonnullam ambiguitatem habet interpunctione dirimendam. Verum enim audiebant ſua quiſque dialecto, ita ut verbi gratia vox quidem unâ emitteretur, multæ autem audirentur, ſic videlicet pulſato ac perſtrepente aere, pluribuſque vocibus, ut magis perſpicue dicam, ex una voce effectis: an potius in hoc verbo*, Audiebant, *punctum ſtatuendum eſt: atque hæc verba*: Loquentes ſuis linguis, *cum his, quæ ſequuntur, jungenda ſunt, ut ſic legatur*, Loquentes linguis, *propriis ſcilicet, audientium, hoc eſt externis: qui etiam ſenſus mihi magis arridet. Nam illo quidem modo eorum potius, qui audiebant, quam qui verba faciebant, hoc miraculum fuerit: at hoc ſenſu eorum qui loquebantur, qui etiam temulentiæ inſimulabantur, haud dubie quia ipſi per Spiritus operationem novi miraculi aliquid circa voces deſignabant,*

(52) Vide Lambertinum De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 3. cap. 48. §. 7. & 8.

quo & nati & educati fuerunt, quemadmodum eſt in ejus vita apud Surium die XIV. Junii.

XXIV. *Cur igitur Apoſtoli habuerunt interpretem?*

Bar. ad an. 45. §. 35.36.37. ℞. Duplici de cauſa. Primum ut quæ ipſi loquentes ad Gentem aliquam, puta, ad Romanos, latine dixiſſent, interpretes propria cujuſque lingua exponerent iis, qui ex alia gente, latini ſermonis ignari, concionibus interfuiſſent; deinde vero ut captu difficilia ab Apoſtolis prolata explicarent. Quamvis enim Apoſtoli dabant operam, ut audientium utilitati conſulerent; interdum tamen divino Spiritu abrepti ſublimius loquebantur, quam ut intelligi poſſent ſine interprete, juxta
1. Ad Cor. XIV. 2. illud D. Pauli: *Spiritus loquitur myſteria*. Donum autem interpretandi fuiſſe a Deo perinde, ac do-
XII. 8. 10. num linguarum, docet idem Paulus: *Alii per Spiritum dantur genera linguarum, alii interpretatio ſermonum*. (53)

XXV.

(53) Interpretis officium diu in Eccleſia perduraſſe, teſtis eſt Epiphanius in Expoſitione Fidei Catholicæ §. 21. pag. 1104. ubi in Ordinibus Eccleſiaſticis numerat interpretes: *Poſt illos omnes deinceps Exorciſtæ ſequuntur, & linguarum interpretes tam in lectionibus, quam in concionibus*.

Petrus habuit interpretem Marcum, & Glauciam, ut & Paulus Titum; quemadmodum narrat Clemens Alexandrinus l. 7. Strom. pag. 749. & Hieronymus epiſt. 150. quæſt. 11. Petrum interpretis operam adhibuiſſe etiam in ſcribendis epiſtolis, ibidem pag. 809. tradit Hieronymus, qui ex eo, quod ſtilus epiſtolarum ejus diverſus ſit, & minime conſtans, colligit, *pro neceſſitate rerum diverſis eum uſum interpretibus*; quin addit, Marci Evangelium Petro *narrante*, *& illo ſcribente compoſitum*. Paulus vero, referente eodem Hieronymo, idcirco utebatur interprete, quod *divinorum ſenſuum majeſtatem digno non poterat græci eloquii explicare ſermone*.

Neque inde ſequitur, linguarum donum Apoſtolis magno uſui non fuiſſe. Nam donum illud in eo poſitum erat, ut qua-

XXV. *Quinam præter Apoſtolos omnigena linguarum ſcientia donati ſunt?*

℞. Ii omnes, quos in Cœnaculo una cum Apoſtolis manentes Spiritus Sanctus afflavit. De illis enim generatim ſcriptum eſt : *Repleti ſunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui variis linguis.* Act. II. 4. Cujus doni participes Deus id temporis etiam eos fieri voluit, qui ab Apoſtolis Spiritum Sanctum accepiſſent, quamvis ad munus Apoſtolicum minime electi eſſent; quin Ethnicos ipſos ad Chriſtum converſos, ut eſt apud Lucam in Actis : *Obſtupuerunt ex Circumciſione Fideles, qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritus Sancti effuſa eſt. Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum.* Act. 10. 45. XIX. 6. (54)

XXVI.

quavis lingua, cum opus eſſet, familiariter loquerentur, non autem ut elegantiſſime dicerent. D. Thomas 2. 2. quæſt. 176. art. 1. ad 1. *Ideo ſufficienter & Paulus, & alii Apoſtoli fuerunt inſtructi divinitus in linguis omnium gentium, quantum requirebatur ad fidei doctrinam: ſed quantum ad quædam, quæ ſuperadduntur humana arte ad ornatum & gratiam locutionis, Apoſtolus inſtructus erat in propria lingua, non autem in aliena.*

(54) Auguſtinus ſerm. 267. cap. 2. *Omnes, qui aderant* (in Cœnaculo) *unam linguam didicerant. Venit Spiritus Sanctus: impleti ſunt, cœperunt loqui linguis variis omnium gentium, quas non noverant, nec didicerant; ſed docebat ille, qui venerat; intravit, impleti ſunt, fudit. Et tunc hoc erat ſignum; quicunque accipiebat Spiritum Sanctum, ſubito impletus Spiritu linguis omnium loquebatur, non illi ſolum centum viginti. Docent nos Litteræ ipſæ.: poſtea crediderunt homines, baptizati ſunt, acceperunt Spiritum Sanctum, linguis omnium gentium locuti ſunt.*

Divino hoc linguarum dono affecti ſunt Fideles uſque ad initium ſæculi III. S. Irenæus, qui obiit anno Chriſti 202. lib. 5. cap. 6. *Perfectos dicit* Apoſtolos *eos, qui perceperunt Spiritum Dei, & omnibus linguis loquuntur per Spiritum Dei, quemadmodum & ipſe loquebatur. Quemadmodum*

&

XXVI. *Quandonam provincias ſortiti, Chriſti legatione etiam apud Ethnicos fungi cœperunt?*

℟. Incertum diverſi Auctores faciunt. Anno Chriſti quarto & quadrageſimo id contigiſſe, cenſet Baronius ad annum eumdem §. 13. & 20. (55) Illud videtur pro certo habendum, Apoſto-

& multos audivimus fratres in Eccleſia, prophetica habentes chariſmata, & per Spiritum univerſis linguis loquentes.

(55) Lucas cap. XXIV. 46. 47. *Oportebat prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hieroſolyma.*

Tertullianus de Præſcript. Hæretic. cap. 20. *Apoſtoli primo per Judæam conteſtata fide in Jeſum Chriſtum, & Eccleſiis inſtitutis; dehinc in orbem profecti eamdem doctrinam ejuſdem fidei Nationibus promulgarunt.* S. Chryſoſtomus in Matth. hom. 70. pag. 606. *Apoſtoli Judæis primo prædicaverunt, longoque temporis ſpatio cæſi & flagellati in Judæa manentes: ac demum ab ipſis propulſi in gentes profecti ſunt.* Apollonius antiquus Theologus apud Euſebium l.5. c. 18. *tanquam ex veterum Traditione hæc refert: Dominum Apoſtolis ſuis præcepiſſe, ne intra duodecim annos Hieroſolymis excederent.* Et Clemens Alexandrinus lib. 6. Strom. pag. 636. *Præterea dicit Petrus, Dominum dixiſſe Apoſtolis: Si quis ergo velit ex Iſrael duci pœnitentia, & propter nomen meum credere in Deum, remittentur ei peccata poſt duodecim annos.* Si verum id eſſet, a Paſcha anni 46. annus duodecimus inchoaretur. *Sed*, ut ait Baronius ad an. 39. §. 22. *majoris eſſe fidei Acta Apoſtolorum a Luca conſcripta quavis auctoritate majorum, nemo negarit.* In his autem cap. 8. 9. & 10. habetur, longe antequam anni illi evolverentur, Petrum, & Joannem Samariam petiiſſe, ipſum vero Petrum Syriam, Palæſtinam peragraſſe, & carcere ab Angelo eductum, Judæa, nedum Hieroſolymis exceſſiſſe. Quod ſi ille ſignificare voluit, non debuiſſe Apoſtolos eo intervallo temporis in provincias longinquas ſe conferre, jam & ipſe, qui Apollonii locum recitat, nullam ejus auctoritatis rationem habet. Scribit enim in Chronico, S. Petrum anno Domini 44. *Romam profectum eſſe.* Quare non contemnenda videtur Papebrochii conjectura, qui in Conatu Chronico-Hiſtorico Diſſertat. 2. tom. 7. Maji pag. 79. num. 2. opinatur, hunc erro-

Digitized by Google

ſtolos, haud ita multo poſt baptizatum a Petro Centurionem Cornelium, ex Judæorum regione profectos *acceptam a Chriſto diſciplinam fideliter nationibus aſſignare* cœpiſſe. (56) Tunc enim per viſum lintei, omne animantium genus complectentis, ter Cœlo demiſſi, juſſus eſt Petrus, ac proinde ceteri Apoſtoli, cæleſtem Chriſti doctrinam etiam cum Gentibus communicare, & *virtutibus atque ſermonibus divini amoris incendia concitare*. (57) Suſceperunt igitur, ut verbis Magni Leonis utar, *imbuendum Evangelio mundum diſtributis ſibi terrarum partibus*, vel ſortito, ut Serm. 80. c. 3.

C So-

errorem eſſe vel Apollonii, vel ipſius Euſebii annos *duodecim* pro *duobus* ſcribentis. Vide Bollandianos ad diem XV. Julii pag. 10. §. 2. & Diſputationem noſtram ſecundam ad Vitas Pontificum Romanorum a nobis deſcriptas pag. 20. Petrus de Natalibus in Cathalogo Sanctorum lib. 6. cap. 99. *Diviſio Apoſtolorum ad prædicandum Idibus Julii celebratur*.

Bollandiani ad eumdem Julii diem §. 1. num. 1. pag. 6. *Quamvis antiqui Eccleſiæ Patres, aliique tum Græci, tum Latini ſcriptores de hac Apoſtolorum Diviſione ſæpius meminerint, tamen nec certum Feſtum diem eidem aſſignant..., Saltem ſæculo XII. antiquior videtur Feſtivitatis inſtitutio*.

(56) Tertullianus de Præſcript. Hæretic. cap. 6. pag. 204. Origenes in Numeros hom. 11. §. 3. pag. 305. tom. 2. *Non ſolum hujus Cæſarienſis Eccleſiæ, ſed fortaſſis & omnium gentium primitiæ Cornelius appellandus eſt: primus enim credidit ex gentibus, & primus Sancto Spiritu repletus eſt. Et ideo recte primitiæ gentium appellabitur*.

Etiam Auguſtinus in Pſal. 96. §. 13. docet, ante Cornelium non fuiſſe ex Gentibus non circumciſis, qui crediderit, & baptizatus fuerit.

Calmetus in Act. extremo cap. 10. obſervat, modum ipſum & rationem, qua hiſtoria ejus converſionis & baptiſmi ibidem narratur, ſatis probare, neminem ante illum accepiſſe Spiritum Sanctum, & Baptiſmum.

(57) S. Auguſtinus de vera religione cap. 3. §. 4. Chryſoſtomus in Act. hom. 22. pag. 609. *Linteum hoc eſt terra, beſtiæ autem in illa, gentiles*. Viſum hoc explanat Auguſtinus in Pſal. 103. ſerm. 3. §. 2. & ſerm. 266. §. 6. alias 5. inter editos ex majoris Cartuſiæ MSS.

Lib. 1. c. 19. Socrati, aliiſque placuit, vel potius ſigno voluntatem Spiritus Sancti indicante. (58) Spiritus enim Sanctus, ut ait Hieronymus in Eſajam extremo cap. 34. *congregavit eos, deditque eis ſortes, atque diviſit*. Antequam tamen dividerentur, & diverſi abirent, eodem divino Spiritu afflati convenientes Hieroſolymam (59) Chriſtianæ Fidei formulam componendam cenſuerunt, ut eadem *per omnes gentes æqualiter prædicarent*, (60) eamque Symbolum appellarunt, ſive quia in eam omnes contulerunt, ſive quia ea veluti nota & teſſera quadam Chriſtianos internoſcerent, ut docet Rufinus expoſitione in Symbolum Apoſtolorum. (61)

Pag. 121.

XXVII.

(58) Vide Bollandianos ad diem XV. Julii pag. 9. num. 12.

(59) Venantius Fortunatus in Expoſitione Symboli tom. 10. Biblioth. Patr. pag. 592.

(60) S. Juſtinus Apolog. 2. pag. 78. *Hieroſolymis duodecim viri profecti ſunt in mundum, atque ii quidem indocti, & minime eloquentes: Dei autem virtute omni hominum generi denuntiaverunt, a Chriſto miſſos ſe eſſe, qui cunctos Verbum Dei docerent*.

(61) Concilium Florentinum extrema ſeſſione 21. apud Labbeum tom. 13. Conc. pag. 322. & apud Harduinum tom. 9. pag. 259. *Teſſera quidem vocatur, quoniam ſignum ex compacto quodam eſt factum. Nota vero, quia per illud deſignatur, quod creditur: & quoniam ſigno baptiſmatis diſcernitur Chriſtianus a non Chriſtiano, vocat illud Athanaſius Symbolum ſanctificationis*.

Rufini verba ſunt hæc: *Tradunt majores noſtri, quod poſt aſcenſionem Domini, cum per adventum Spiritus Sancti ſupra ſingulos quoſque Apoſtolos igneæ linguæ ſediſſent, ut loquelis diverſis variiſque loquerentur, per quod eis nulla gens extranea, nulla linguæ barbaries inacceſſa videretur & invia; præceptum eis a Domino datum hoc, ad prædicandum Dei verbum ad ſingulas quemque proficiſci nationes. Diſceſſuri itaque ab invicem normam ſibi prius futuræ prædicationis in commune conſtituunt, ne forte alii alio adducti, diverſum aliquid his, qui ad fidem invitabantur, exponerent. Omnes igitur in uno poſiti, & Spiritu Sancto repleti, breve iſtud futuræ ſibi præ-*

Digitized by Google

XXVII. *Singuline ſingulos Articulos Symboli pronunciarunt?*

℞. Non admodum repugno, quin ita ſentias. Video enim id placuiſſe viris magnis commotis præſertim auctoritate Leonis in Epiſtola 27. ad Pulcheriam Auguſtam: *Siquidem*, ait, *ipſius Catholici Symboli brevis, & perfecta confeſſio, quæ* Bar. ad an. 44. §. 17.

C 2 duo-

prædicationis indicium in unum conferendo, quod ſentiebat unuſquiſque, componunt, atque hanc credentibus dandam eſſe regulam ſtatuunt. Symbolum autem hoc multis & juſtiſſimis ex cauſſis appellari voluerunt. Symbolum *enim Græce &* indicium *dici poteſt &* collatio, *hoc eſt quod plures in unum conferunt. Id enim fecerunt Apoſtoli in his ſermonibus, in unum conferendo, quod unuſquiſque ſenſit.* Indicium *autem, vel* ſignum *idcirco dicitur, quia in illo tempore, ſicut Paulus Apoſtolus dicit, & in Actibus Apoſtolorum refertur, multi ex circumeuntibus Judæis ſimulabant ſe eſſe Apoſtolos Chriſti, & lucri alicujus vel ventris gratia ad prædicandum proficiſcebantur, nominantes quidem Chriſtum, ſed non integris traditionum lineis nuntiantes. Idcirco iſtud* indicium *poſuerunt, per quod agnoſceretur is, qui Chriſtum vere ſecundum Apoſtolicas regulas prædicaret.* Juſtus Fontaninus Hiſtoriæ Litterariæ Aquilejenſis lib. 5. cap. 14. pag. 382. *Dupinum in tomo V. Bibliothecæ quinto ſæculo primum & ſolum Rufinum Apoſtolos Symboli auctores feciſſe affirmantem hinc ſpiſſi erroris jure arguit Matthæus Petitdierius in Animadverſionibus tom. I. pag. 96.*

Caſſianus lib. *6.* de Incarnat. cap. 3. *Quod Græce σύμβολον dicitur, Latine* collatio *nominatur.* Collatio *autem ideo, quia in unum collata ab Apoſtolis Domini totius catholicæ legis fide, quidquid per univerſum divinorum voluminum corpus immenſa funditur copia, totum in Symboli colligitur brevitate perfecta.*

S. Maximus hom. in traditione Symboli Bibl. Patr. tom. *6.* pag. 42. *Apoſtoli exemplum ſequentes Eccleſiæ Dei, quam adverſum malitiam diabolici furoris armabant, myſterium Symboli tradiderunt, ut quia ſub uno Chriſti nomine credentium erat futura diverſitas, ſignaculum Symboli inter fideles, perfidoſque ſecerneret.* Plura in hanc rem Joſephus Binghamus in Originibus ſive Antiquitatibus Eccleſiaſticis lib. 10. cap. 3. §. 1. pag. 62. vol. 4.

duodecim Apoſtolorum totidem eſt ſignata ſententiis, tam inſtructa ſit munitione cæleſti, ut omnes hæreticorum opiniones ſolo ipſius poſſint gladio obtruncari. (62) Illud te monitum volo, ſermones duos, in quibus Apoſtoli ſuum ſinguli articulum pronunciantes inducuntur, olim nomine S. Auguſtini editos, non eſſe Auguſtini, & a Monachis Benedictinis inter ſuppoſititios in Appendice eſſe relatos. * Νοθείαν ſuam prodit alter, qui eſt 241. diſſentiens ab altero, qui eſt 240. Nam præter Thomam, Thaddæum ſeu Judam, & Matthiam alii non eodem modo, neque eodem ordine ſuos Articulos pronunciant. (63)

* Spuritatem.

XXVIII. *Certumne eſt, hoc Symbolum traditum eſſe ab Apoſtolis?*

℟. Imo certo certius. Præter modo recitatum teſtimonium Rufini, qui Symbolum ab Apoſtolis in unum congregatis, & divino Spiritu inſtinctis compoſitum, docet ex traditione majorum, probat id, hac in re Rufino conſentiens, S. Hieronymus epiſt. 61. extremo cap. 9. *In Symbolo fidei, & ſpei noſtræ*, ait, *quod ab Apoſtolis traditum non ſcribitur in charta & atramento, ſed in tabulis cordis carnalibus, poſt confeſſionem Trinitatis, & unitatem Eccleſiæ, omne Chriſtiani dogmatis Sacramentum carnis reſurrectione concluditur.* (64) His

Pag. 461.

(62) Hinc vides, erraſſe Collectorem Lipſienſem, qui in Supplementis ad Nova Acta Eruditorum anno 1737. editis, tom. 2. ſect. 4. pag. 184. recenſens Hiſtoriæ Apoſtolicæ editionem primam ita ſcribit: *Symbolum ab Apoſtolis compoſitum eſſe credit, nec repugnat, quin ſinguli ſingulos articulos Symboli pronuntiarint, auctoritate innixus* Baronii *in Annalibus*. Non enim ego nitor auctoritate Baronii, ſed Leonis Magni, qua viros magnos permotos novi.

(63) Vide Joannis Alberti Fabricii Codicem Apocryphum Novi Teſtamenti part. 3. pag. 339.

(64) *Fuit illud ad quintum uſque ſæculum in uſu ac mo-*

re

His paulo antiquior Ambroſius lib. 1. epiſt. 7. ad Siricium Pontificem; *Credatur*, inquit, *Symbolo Apoſtolorum, quod Eccleſia Romana intemeratum ſemper cuſtodit & ſervat*. (65) Etiam Tertullianus Fidei regulam Eccleſiæ præſcriptam ab Apoſtolis prædicat multis locis. (66) Quid Irenæus, qui magis etiam, quam Tertullianus *vicinus fuit Apoſtolorum temporibus*, (67) & *cum Polycarpo* Pag. 186. tom. 5.

C 3 Jo-

re poſitum, ut Apoſtolorum Symbolum, Oratio Dominica, aliaque complura Fidei arcana Fidelium cordi, non chartæ committerentur. Norunt omnes, quam accurate, quoties de Euchariſtia ſermo incidebat, circumſpicerent Sancti Patres, ne quam emitterent voculam, qua myſterium non ethnicis modo, ſed vel etiam catechumenis prodi poſſet. Quin ad Decentium, eumque Epiſcopum ſcribens Innocentius, ea, quibus Confirmationis Sacramentum confertur, verba dicere ſe non poſſe, *ait*, ne magis prodere, quam ad conſultationem reſpondere *videretur*. Petrus Couſtant in Præfat. ad Epiſt. Rom. Pont. part. 2. §. 51. pag. LVI.

(65) *Symbolo ab Apoſtolis tradito plangimus hæc verba fuiſſe ſublata, quæ nobis totius ſpem vitæ ſalutiſque promittunt:* Cæleſtinus Papa I. epiſt. 13. ad Neſtorium apud Petrum Couſtant in Epiſtolis Romanorum Pontificum tom. 1. pag. 1119. §. 4. apud Harduinum tom. 1. Conc. pag. 1303. & apud Labbeum tom. 3. pag. 357. Cæleſtini quoque ſucceſſor Sixtus III. epiſt. 5. §. 3. ſcribit Neſtorii commentis *de ſymbolo primum inter Apoſtolos tradito derogari*, apud eumdem Couſtant pag. 1255. Harduinum 1707. Labbeum 1177.

(66) De Virginibus velandis cap. 1. pag. 173. *Regula fidei una omnino eſt, ſola immobilis, & irreformabilis, credendi ſcilicet in unicum Deum omnipotentem, mundi conditorem, & filium ejus Jeſum Chriſtum, natum ex Virgine Maria, crucifixum ſub Pontio Pilato, tertia die reſuſcitatum a mortuis, receptum in Cælis, ſedentem nunc ad dexteram Patris, venturum judicare vivos & mortuos per carnis etiam reſurrectionem*. Et de præſcript. Hæretic. cap. 13. 21. & 37. pag. 215. *Quicumque in ea regula incedimus, quam Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli a Chriſto, Chriſtus a Deo tradidit.*

(67) S. Baſilius de Spiritu Sancto cap. 29. pag. 558. S. Auguſtinus lib. 1. contra Julianum Pelagianum cap. 3. §. 5. *Irenæus Lugdunenſis Epiſcopus non longe a temporibus Apoſtolorum fuit.* Vide noſtram Diſputationem 3. ad Vitas Pont. Rom. a nobis deſcriptas pag. 25.

Joannis Evangeliſtæ diſcipulo (68) *familiariter eſt verſatus?* (69) Nonne ſui ævi hæreticis opponit *fidem eam ab Apoſtolis, eorumque diſcipulis acceptam, quæ eſt in unum Deum Patrem omnipotentem, qui fecit Cælum, & terram, & in unum Jeſum Chriſtum, Filium Dei, noſtræ ſalutis cauſſa incarnatum, & in Spiritum Sanctum?* (70) quæ verba ſatis indicant, illum loqui de Symbolo Apoſtolorum. Eorum autem, qui contra dicunt, *præcipua argumenta*, ſi forte ſcire cupias, *ſunt*, primum, *quod Symboli mentio in* Actis Apoſtolorum *nulla occurrat:* ſecundum, *quod priorum trium Eccleſiæ ſeculorum Patres de eodem alte ſileant:* tertium *denique, quod prima Symbola in verbis nonnihil diſſideant.* (71) *Unde colligunt, non Apoſtolos ipſos, ſed priſcos Epiſcopos Symbolum e præcipuis*

(68) S. Hieronymus de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 17. pag. 279. S. Maximus in Scholiis ad epiſt. 7. S. Dionyſiii Areopagitæ tom. 2. Bibl. Patrum pag. 354. *S. Polycarpus Smyrnæ in Aſia fuit Epiſcopus, & diſcipulus S. Joannis Evangeliſtæ, uti teſtatur Irenæus libro tertio adverſus falſi nominis ſcientiam.*

(69) Irenæus ipſe de ſe in Epiſtola ad Florinum apud Euſebium lib. 5. Hiſt. Eccl. cap. 20. pag. 152. & apud Nicephorum lib. 4. cap. 30. pag. 329.

(70) Lib. 1. contra Hæreſes cap. 10. ex interpretatione Billii, & editione Renati Maſſuet, qui annotat hæc: *Symbolum Apoſtolicum hic indigitat Irenæus, cujus ſingulos pæne articulos refert, ut ad eorum amuſſim hæreticorum placita deinceps exigat.*

(71) Specimen diſcriminum inter prima Symbola habes apud Ceillierium in Hiſtoria Generali Auctorum Sacrorum lib. 3. cap. 3. pag. 521. Symbolum vulgare: *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, creatorem Cæli, & terræ:* Aquilejenſe; *Credo in Deum Patrem omnipotentem, inviſibilem, & impaſſibilem;* Orientale: *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem:* Romanum: *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* Plurium vero Symbolorum collectionem ſi velis, habes apud Binghamum in Originibus, ſive Antiquitatibus Eccleſiaſticis lib. 10. cap. 4. pag. 79. vol. 4.

puis Fidei capitibus conflaſſe. (72) At Lucas in Actis, teſte D. Hieronymo, *multa hiſtoriographi licentia prætermiſit*, (73) ut qui ne ſcripti quidem ab ſe Evangelii meminit: atque ob eam fortaſſe cauſſam Symbolum non memorat, quia non ſcripto traditum eſt ab Apoſtolis, ſed Fidelium memoriæ commendatum, ut patet ex Rufini, & Hieronymi teſtimoniis: quæ etiam cauſſa eſt, cur, relatum non fuerit in canonem, ſeu numerum ſacrarum Scripturarum. (74) Illud alterum omnino falſum eſt. Nam Irenæus, cujus verba ſupra poſita ſunt, ſæculo Chriſtianæ Eccleſiæ altero claruit. Denique ſola Eccleſia Romana Symbolum Apoſtolicum ſemper cuſtodivit integrum & intemeratum, recitavitque eo ordine, iis verbis, ac ſententiis, quibus traditum eſt ab Apoſtolis. Aliæ Eccleſiæ aliqua interdum addiderunt majoris explicationis gratia adverſus hæreſes inſurgentes. (75) Hinc prima Symbola non-

 nihil

(72) Monachi Ordinis S. Benedicti e Congregatione S. Mauri in citatum D. Ambroſii locum, qui apud ipſos eſt in epiſt. 42. §. 5. pag. 967.

(73) Comment. in Epiſt. ad Galatas cap. 2. tom. 6. pag. 128. Vide noſtram Diſputationem I. ad Vitas Pontificum Romanorum a nobis deſcriptas pag. 6.

(74) Hieronymi teſtimonium jam recitavimus, Rufini eſt hujuſmodi, Expoſitione in Symbolum Apoſtolorum: *Idcirco hæc non ſcribi chartulis atque membranis, ſed retineri cordibus tradiderunt, ut certum eſſet, neminem hæc ex lectione, quæ interdum pervenire etiam ad infideles ſolet, ſed ex Apoſtolorum traditione didiciſſe*.

S. Petrus Chryſologus ſerm. 61. de Symbolo Apoſtolorum tom. 7. Bibl. Patr. pag. 892. *Monemus, ne quis committat litteris, quod eſt cordi mandaturus, ut credat*.

(75) Rufinus memorata expoſitione in Symbolum Apoſtolorum: *Verum priuſquam incipiam de ipſis ſermonum virtutibus diſputare, illud non importune commonendum puto, quod in diverſis Eccleſiis aliqua in his verbis inveniuntur adjecta. In Eccleſia tamen Urbis Romæ hoc non deprehenditur factum, quod ego propterea eſſe arbitror, quod neque hæreſis ulla*

nihil diſſident inter ſe, quæ diſſenſio nihil obſtat, cum non ex Symbolo Aquilejenſi, aut Orientali dirimenda ſit, ſed ex ſolius Romanæ Eccleſiæ Symbolo, quod ipſiſſimum eſt Apoſtolorum.

XXIX. *Præter Fidei Symbolum edideruntne alias Chriſtianæ Doctrinæ regulas?*

℞. Haud equidem dubitem, Apoſtolos diſciplinam Eccleſiarum, quas inſtituerant, certis quibuſdam regulis ſanxiſſe: ſed nulla ad nos pervenit præter illam, quam in Concilio Hieroſolymitano condiderunt, decernentes, ut Chriſtiani immunes eſſent Circumciſione, & Moſaicis ceremoniis; abſtinerent tamen idolothytis, ſanguine, ſuffocato, & fornicatione. Canones enim, & Conſtitutiones, quæ Apoſtolorum nomine inſcribuntur, longe poſt tempora Apoſtolorum in lucem prodierunt.

Act. XV. 20. 28.

XXX. *Iſti Canones atque Conſtitutiones quonam tempore prodierunt?*

Bar. ad an. 102. §. 9.

℞. Suppoſitæ Apoſtolorum Conſtitutiones Clemen-

ulla illic ſumſit exordium; & mos ibi ſervatur antiquus, eos, qui gratiam baptiſmi ſuſcepturi ſunt, publice, id eſt fidelium populo audienti ſymbolum reddere, & utique adjectionem unius ſaltem ſermonis, eorum, qui præceſſerunt in fide, non admittit auditus. In ceteris autem locis, quantum intelligi datur propter nonnullos hæreticos addita quædam videntur, per quæ novellæ doctrinæ ſenſus crederetur excludi. Nos tamen illum ordinem ſequimur, quem in Aquilejenſi Eccleſia per lavacri gratiam ſuſcepimus. Ex poſtremis hiſce verbis, ſatis conſtat, iſtud Rufini opuſculum perperam & injuria ab aliis Cypriano, ab aliis Hieronymo adſcriptum fuiſſe, cum neuter *in Aquilejenſi Eccleſia lavacri gratiam ſuſceperit*. Ceterum in ſententiam noſtram diſputat etiam Chriſtianus Lupus differtat. de Symbolo Apoſtolico, & Nicæno pag. 177. tom. 1. & pag. 385. tom. 2.

mentis Romani Pontificis titulo prodiiſſe exiſtimantur quarto Chriſti ſæculo, aut etiam ſerius. Canones vero Apoſtolicos poſt annum Æræ vulgaris 258. & ante Nicænam I. Synodum anno 325. celebratam editos volunt aliqui. Alii, quibus magis crediderim, poſt memoratum Nicænum Concilium vulgatos contendunt, tum quod Canones tertius, & ſeptimus eadem ſtatuant, quæ duntaxat ex eo tempore in Eccleſia uſurpari cœpta videntur; tum quod Fulgentius Ferrandus Carthaginienſis Eccleſiæ Diaconus, qui anno 533. claruit, eos in ſuam *Breviationem Canonum* non retulerit.

XXXI. *De Canonibus hiſce & Conſtitutionibus quodnam eſt Eruditorum judicium?*

℞. Diverſi diverſa de Canonibus ſentiunt. Omnes, qui ſunt numero quinque & octoginta, Apoſtolornm eſſe, contendit Turrianus in primis. Triginta quinque poſtremos reſpuit Bellarminus de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Clemente, & Baronius ad an. 102. §. 14. Ego iis potius aſſentior, qui omnes ad unum Apoſtolis abjudicant; idemque judicium pluribus Auctoribus de Apoſtolicis etiam Conſtitutionibus ferendum cenſeo. (76)

XXXII. *Quodnam eſt de iiſdem judicium Eccleſiæ?*

℞. Canones perinde, atque Conſtitutiones, licet has ab hæreticis depravatas eſſe fateatur, ſuſcepit Eccleſia Orientalis can. 2. Synodi Trullanæ, ſeu Quiniſextæ anno 692. celebratæ, ut eſt apud Labbeum tom. 6. Conc. pag. 1140. Eccleſia vero Occidentalis, Conſtitutionibus omnino re-

(76) Vide Thomæ Ittigii Hiſtoriam Eccleſiaſticam cap. 1. §. 22. pag. 46.

rejectis, quinquaginta duntaxat priores Canones vix tandem admiſit. Hos enim, omiſſis reliquis triginta quinque, in quos caderet cenſura Gelaſii, (77) hos, inquam, utpote ſingulari veteris Eccleſiæ doctrina refertos, ſexto Chriſti ſæculo ineunte ſuæ Collectioni inſeruit Dionyſius Exiguus, ac demum Romana Eccleſia probavit, ut ex Concilio Lateranenſi habito ſub Stephano III. anno 769. aperte colligitur. (78)

XXXIII. *Quid ſentis de novem Canonibus, qui ab Apoſtolis in Concilio Antiocheno editi dicuntur?*

℟. Idem omnino, ac de Canonibus Apoſtolicis. Non enim modo Concilium iſtud Antiochenum, & Canones illi novem a nullo memorantur antiquorum, ſed etiam abſurda, falſa, & Apoſtolis injurioſa continent. Scribit quidem Innocentius I. epiſt. 18. cap. 1. de Eccleſia Antiochena loquens: *Ubi & nomen accepit Religio Chriſtiana, & quæ conventum Apoſtolorum apud ſe fieri celeberrimum meruit:* Nemo tamen non videt, lo-

Apud. Lab. t.2. Conc. pag.1269.

(77) *Liber Canonum Apoſtolorum apocryphus* dicitur a Gelaſio in Concilio, cui ſeptuaginta Epiſcopi interfuerunt, Romæ anno 494. celebrato, apud Labbeum tom. 4. Conc. pag. 1265. Quod tamen non ita accipiendum eſt, quaſi omnes Gelaſius rejecerit. Nam Petrus de Marca l. 3. de Concordia c. 2. §. 7. *Variæ ſunt claſſes apocryphorum in Notitia Gelaſii, ut obſervarunt viri eruditi, cum non tantum figmenta hæreticorum veniant in hunc cenſum; ſed etiam opuſcula tractatorum, in quibus ſunt nævi quidam.* Canones igitur Apoſtolici tamquam nævo aliquo aſperſi, & ab Apoſtolis non collecti, inter apocrypha a Gelaſio recenſentur. Vide Remigii Ceillier Hiſtoriam generalem auctorum ſacrorum & Eccleſiaſticorum tom. 3. cap. 32. 33.

(78) Ita habet act. IV. apud Harduinum tom. 3. Conc. pag. 2015. *Non amplius ſuſcipiantur Apoſtolorum Canonum prolata per S. Clementem, niſi quinquaginta capita, quæ ſuſcepit Sancta Dei Catholica Romana Eccleſia.*

locum hunc eſſe corruptum, & *pro ſe*, non *apud ſe*, legendum eſſe. Palam namque eſt, eum loqui de Concilio Hieroſolymitano, quod unum merito dixeris *Conventum Apoſtolorum celeberrimum:* qui cum pro Eccleſia Antiochena celebratus ſit, nempe ad dirimendam controverſiam, num Circumciſio ſervanda eſſet, Antiochiæ excitatam; omnino dicendum eſt, Innocentium ſcripſiſſe *pro ſe*, non *apud ſe*. (79)

XXXIV.

(79) *Hos Canones primus publicavit Franciſcus Turrianus lib.* 1. *pro Canonibus Apoſtolicis adverſus Centuriatores Magdeburgenſes cap.* 25. *Poſt Turrianum, ſed quodammodo mutatos, dant Baronius ad an.* 102. §. 19. *atque exinde Binius Tom. I. Conc. & Labbeus Tom. I. pag.* 62. *nam Harduinus velut ſpurios in ſua editione prætermiſit. Spurios eſſe docet Joan. Dalæus lib.* 3. *de pſeudepigraphis Apoſtolicis* cap. 22. 25. *cujus argumenta breviter repetunt Antonius Pagi in Critica Baroniana ad an.* 56. *& Natalis Alexander Hiſt. Eccleſ. ſæc. I. Diſſertat. XX.* Joannes Albertus Fabricius in Codice Apocrypho Novi Teſtamenti part. 3. pag. 336.

Benedictus Bacchinius in Diſſertat. de Eccleſiaſticæ Hierarchiæ originibus part. 1. cap. 3. §. 6. pag. 206. nomine *Conventus Apoſtolorum celeberrimi*, intelligit, *Eccleſiam, in qua primum extra terram Synedrii Apoſtolici jus omne emicuit, quod antea Hieroſolymis tantum fuerat viſum.*

Petrus Couſtant tom. 1. Epiſt. Rom. Pont. annotat. in cit. epiſt. Innocentii I. pag. 851. *Apoſtolorum conventum Antiochiæ celebratum etiam Gregorius Piſinuntenſium Epiſcopus in Niceno* II. *Concilio to.* 7. *Concil. Lab. pag.* 63. c. *non tantum laudat, ſed & canonem pro imaginibus ex eo profert. Eruditi tamen nullum ibi Apoſtolorum conventum habitum cenſent. Qua de re vide Tillemontium tom.* 1. *Hiſt. Eccl. p.* 525. *Sed is Innocentii locus ſaltem argumento eſt, non recens fuiſſe ſcriptum illud, quod pro Antiocheno Concilio ab Apoſtolis celebrato prædictus Epiſcopus laudavit: adeoque ſpernendam non eſſe quam ille pro imaginibus ex eo protulit auctoritatem: non quo canon ille Apoſtolis vere adjudicetur, ſed quo non recentior ſeculo* IV. *eſſe veriſimiliter credatur.*

XXXIV. *Explica mihi Concilium Apoſtolorum Hieroſolymitanum.*

℞. Cum eſſet, ut modo dixi, Antiochiæ orta
Act. XV. diſſenſio, quibuſdam ex Judæa profectis Circumciſionem æternæ beatitati conſequendæ neceſſariam propugnantibus, Paulo autem, & Barnaba negantibus, conſulendos ea de re Apoſtolos Chriſtiani cenſuerunt. (80) Miſſi Hieroſolymam
Ann. Ch. 51. Paulus, & Barnabas, & quidam etiam ex iis, qui contra hos dicebant. Convenerunt itaque Apoſtoli Petrus, Paulus, Joannes, Jacobus, Barnabas, & ſeniores Diſcipuli, ut delatam ad ſe cauſam cognoſcerent, & quid opus eſſet facto, decernerent. (81) Quæſtione in partem utramque diſceptata, ſurrexit Petrus, veluti Concilii princeps, & quaſi increpans pronuntiavit, non eſſe Ethnicis, qui Chriſto nomen darent, jugum illud imponendum, quod Judæi ipſi ferre non potuiſſent. (82) Jacobus, probata Petri ſententia, adjecit, cavendum eſſe, ut abſtinerent ſe ab idolothy-

(80) Diſſenſionem hanc ortam auctore Cerintho, tradit S. Epiphanius hær. 28. §. 2. pag. 111.

(81) S. Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromat. pag. 512. exiſtimat, Apoſtolos omnes huic Concilio interfuiſſe, quod omnium nomine Epiſtola Synodalis ſcripta ſit: *Dicit enim Apoſtolus:* Omnia alia ex macello emite nihil interrogantes, *convenienter exceptioni eorum, quæ oſtenduntur in generali omnium Apoſtolorum Epiſtola, quæ, quod ita* viſum ſit Spiritui Sancto, *ſcripta quidem eſt in Actis Apoſtolorum.*

(82) D. Hieronymus epiſt. 89. ad S. Auguſtinum, pag. 633. *In ſententiam ejus Jacobus Apoſtolus, & omnes ſimul Presbyteri tranſierunt. Hæc non debent eſſe moleſta lectori, ſed & mihi, & illi utilia, ut probemus, ante Apoſtolum Paulum, non ignoraſſe Petrum principem hujus decreti, Legem poſt Evangelium non eſſe ſervandam.* Quibus verbis refelluntur hæretici, qui effutiunt, S. Petrum eo modo omnium primum in hac Synodo ſententiam dixiſſe, quo modo *Decanus* in quovis collegio ſuffragium ferre ſolet.

thytis, ſeu immolatitiis, fornicatione, ſuffocatis, Bar. ad
& ſanguine. Quod præceptum Judæis commune an. 51.
idcirco etiam Ethnicis datum eſt, tum ut Moy- §. 20.
ſis Lex ab iſtis deſpectui non duceretur, tum ut concordia utrorumque populorum animi facilius coaleſcerent. (83) Cunctis Jacobo aſſentientibus, ſelecti Judas cognomine Barſabas, & Silas, qui una cum Paulo, & Barnaba Antiochiam cum mandatis Concilii proficiſcerentur. Eo cum veniſſent, Epiſtolam, qua mentes Antiochenorum dubitantium Synodi auctoritate firmarentur, *Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ fratribus ex Gentibus*
inſcriptam in concionem protulerunt. Hæc D. Cap. II.
Lucas. Paulus ſcribens ad Galatas addit, ejuſdem 8. 9.
Concilii decreto ſibi, & Barnabæ Gentium, Pe- Bar. ad an. 51.
tro §. 16. & 26.

(83) Lex hæc de ſuffocatis, & ſanguine ad tempus lata, provecta etiam Eccleſiæ ætate ſervata eſt, & alibi ſerius, alibi ocyus abrogata. De ea ita ſcribit Calmetus in Act. cap. XV. 20. *Ceterum hoc interdictum pluribus ſæculis habitum fuit, non tamquam ſimplex diſciplinæ inſtitutum ad pacem fovendam, & evitandum quidquid Judæos offenderet: plures etiam Martyres vitæ ipſius jactura ab hujuſmodi eſcis abſtinuerunt.* Tertull. Apologet. Inter tentamenta Chriſtianorum botulos etiam cruore diſtentos admovetis, certiſſimi ſcilicet, illicitum eſſe penes illos, per quod exorbitare eos vultis. *Religionis noſtræ Apologiſtæ illis, a quibus Chriſtiani accuſabantur, quaſi pueros comederent, reſpondebant, non licere ſibi animantium ſanguine veſci.* Octav. apud Minutium: Tantum ab humano ſanguine cavemus, ut nec edulium pecorum in cibis ſanguinem noverimus. *Conſtitutiones Apoſtolicæ de gradu movent Epiſcopum, vel Presbyterum, qui carnem cum ſanguine, hoc eſt animal ſuffocatum comederit: Laicum vero, qui in hunc errorem lapſus fuerit, damnant anathemate. Gangrenſe Concilium c. 2.* Concilium Trullanum c. 68. *Vormatienſe ſub Ludovico Pio* c. 65. *Epiſtola Zachariæ Papæ ad S. Bonifacium Archiepiſcopum Moguntium, Adam Bremenſis c. 20. plures Pœnitentiales idem vetant. Id obſervatum pluribus in locis uſque ad decimum, & undecimum ſæculum.* Sed *in Africa ævo S. Auguſtini non amplius fere vigebat. Græci ad hanc uſque diem non edunt purum ſanguinem, præparatum, & ſeparatum a carne.* Vide Baronium ad an. 51. §. 22. & Natalem Alexandrum in Hiſt. Eccl. ſæc. I. diſſertat. 10.

tro autem, Jacobo, & Joanni Judæorum curam fuiſſe demandatam. (84)

XXXV. *Aliane celebrata ſunt ab Apoſtolis Concilia?*

℟. Tria inſuper vulgo numerantur. Primum de Electione Matthiæ, de quo Act. cap. 1. Secundum de electione Diaconorum, de quo Act. cap. 6. Tertium (hoc quartum eſt, ſi illud, quod modo explicavi, numeres) tertium, inquam, in quo, ut patet ex Act. cap. 21. lata rogatio, ne Chriſto credentes Judæi uti *Legitimis* prohiberentur. *Verum hæc*, ut ait Baronius, *familiaris potius fuit admonitio*, *quam Synodica conſtitutio*, *atque ea occaſione adhibita magis diſpenſatio*, *quam dogmatis definitio*. Ob eandem cauſſam alii neque duos priores conventus in Conciliorum numero habendos cenſent, cum in neutro illorum dogma ullum decretum ſit. Itaque tertium dumtaxat verum eſſe Concilium, & ceterorum normam, & regulam Conciliorum exiſtimant. Ab his non diſſentit Bellarminus, qui lib. 1. de Conciliis cap. 3. ſcribit, tum *primum cœpiſſe Concilia Chriſtiana*

Ad an. 58. §.118.

ce-

(84) Hieronymus in cap. 2. ad Gal. pag. 127. *Occulta hic oritur quæſtio. Quid igitur Petrus, ſi inveniſſet ex Gentibus, non eos adducebat ad fidem? Aut Paulus, ſi ex circumciſione aliquos reperiſſet, non eos ad Chriſti baptiſmum provocabat? Quæ ita ſolvitur, ut dicamus, principale ſingulis in Judæos & Gentes fuiſſe mandatum, ut qui defendebant Legem, haberent, quem ſequerentur, qui Legi gratiam præferebant, non deeſſet eis doctor & prævius. In commune vero hoc eos habuiſſe propoſiti, ut Chriſto ex cunctis Gentibus Eccleſiam congregarent. Legimus enim & a S. Petro Gentilem baptizatum fuiſſe Cornelium, & a Paulo in Synagoga Judæorum Chriſtum ſæpiſſime prædicatum.*

S. Thomas Lect. 2. in eumdem locum: *Præmittitur* Jacobus, *quia erat Epiſcopus Hieroſolymorum, ubi hæc facta ſunt.* Joannes *autem iſte, fuit* Joannes *Evangeliſta*], *qui non deſeruit Judæam uſque ad tempus* Veſpaſiani.

celebrari, cum Act. cap. XV. definitum eſt, onus Circumciſionis Chriſtianis imponendum non eſſe.

XXXVI. *Apoſtoli baptizaruntne unquam in nomine tantum Chriſti?*

℟. Divi Petri verba, *baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti*, præbuere quæſtionem, num Apoſtoli in nomine tantum Chriſti aliquando baptizaverint. Id quidem Spiritus Sancti inſtinctu eos feciſſe, ut initio naſcentis Eccleſiæ Chriſti nomen celebraretur, aliquibus eſt viſum. Alii autem, quibus ego aſſentior, id omnino inficiantur, *ne Apoſtoli*, ut ait S. Hilarius ſcribens de Synodis §. 85. *reperiantur in crimine, qui baptizare* in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti *juſſi, tantum in Jeſu nomine baptizaverint*. Quam diſtinctam & expreſſam divinarum perſonarum mentionem adeo neceſſariam eſſe, docet D. Thomas, ut ſi quis alias voces idem ſignificantes uſurpet, Sacramentum non conficiat. Quare verba illa D. Petri ita explanat S. Cyprianus epiſt. 73. *Jeſu Chriſti mentionem facit Petrus, non quaſi Pater omitteretur, ſed ut Patri quoque Filius adjungeretur*. Imo S. Ambroſius lib. 1. De Spiritu Sancto cap. 3. animadvertit, nullam earum rerum, quæ ab ipſo Salvatore præſcriptæ ſunt, in ea forma deſiderari; *quia qui unum dixerit, Trinitatem ſignavit. Si Chriſtum dicas, & Deum Patrem, a quo unctus eſt Filius, & ipſum, qui unctus eſt, Filium, & Spiritum, quo unctus eſt, deſignaſti*. (85) Sunt demum, qui illam Pe-

Act. II. 38. — Bar. ad an. 34. §. 248. — Matth. XXVIII. 19. — 3. p. q. 66. art. 5. ad 7. — Pag. 216. tom. 4.

(85) Etiam D. Auguſtinus l. 2. contra Maximinum cap. 27. §. 1. *Si autem non nominatis Patre, & Spiritu Sancto, in nomine Jeſu Chriſti juſſi ſunt baptizari, & tamen intelliguntur non baptizati, niſi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus*

Petri vocem ita accipiant, ut putent, ſignificare fidem potius in Chriſtum baptizandis neceſſariam, quam formam adminiſtrati baptiſmatis: eodem prorſus modo, quo dictum a D. Paulo in Epiſto-
Cap. III. la ad Galatas: *Quicumque in Chriſto baptizati eſtis,*
27. *Chriſtum induiſtis*, ut ſignificaret, in fide Chriſti baptizatos eſſe. (86)

XXXVII.

ritus Sancti; cur non ſic audis de Filio Dei: Omnia per ipſum facta ſunt, *ut & non nominatum intelligas ibi & Spiritum Sanctum?*

Eſtius in lib. 4. Sent. Diſt. 3. §. 4. pag. 39. ita concludit: *Quatuor ergo modis intelligi poteſt Apoſtolos baptizaſſe in nomine Chriſti, vel per virtutem ejus, vel auctoritate ejus, vel per meritum ejus, vel in ipſo Chriſto, id eſt baptiſmo Chriſti.* Idem §. ſequenti 5. citatos locos Hilarii, Ambroſii, & aliorum interpretatur.

Nicolaus I. interrogatus a Bulgaris, an Baptizatus a Pagano, vel Judæo verum ſacramentum ſuſcepiſſet, non Pontificia auctoritate, ſed privata opinione adjecit, baptiſma in nomine Chriſti conferri. Docent id Canus de loc. Theol. l. 6. c. 8. ad 7. & Bellarminus de Rom. Pont. l. 4. c. 12. Conſule Nat. Alexandrum diſſert. 13. ſæc. III. & Auguſtinum Calmet. Diſſertat. de baptiſmo in nomine Chriſti Actis Apoſtolorum præpoſita. pag. 808. tom. 7.

(86) Harduinus in Quæſt. de baptiſmo in nomine Chriſti §. 2. *Baptizatos in nomine Jeſu intelligi eos neceſſe eſt, qui baptizati ſunt, poſtquam invocarunt & confeſſi ſunt nomen Domini Jeſu. Dirimenda nimirum ac diſtrahenda in partes duas ſimplex* (D. Petri) *oratio eſt in hunc fere modum ac ſenſum.* Act. II. 38. Invocet unuſquiſque veſtrum nomen Domini Jeſu, & baptizetur. *Ut his vocibus*, in nomine Domini Jeſu, *non baptiſmi formam, ſed baptizandorum fidem conſignatam intelligas, invocatumque ab iis id nomen ante lavacrum ſub Antiſtitis manu.*

Subjicit §. 6. eo recidere etiam orationem D. Ambroſii, *ut hæc duo edoceat: alterum, hunc eſſe in ſacris litteris loquendi morem, ut vel una Trinitatis appellata perſona, intelligi pariter reliquas oporteat: alterum, quod eſt ex primo conſequens, eos, qui ſalubri lavacro tincti dicuntur, vel ſi Chriſtum modo ſunt ore confeſſi, totam nihilominus Trinitatem animo ac fide percepiſſe.*

Petrus Couſtant in diſſertatione, qua vera Stephani circa

XXXVII. *Quomodo baptizarunt ante præſcriptam illam a Chriſto baptiſmi formam?*

℟. Cum baptizaverint Apoſtoli ipſo Chriſto vivente, ac prædicante, ut eſt apud Joannem & cum baptiſmi forma præſcripta non legatur a Chriſto niſi poſt reſurrectionem, ut eſt apud Matthæum; jure ambigitur, quem baptiſmum, Joannis ne, an Chriſti, eodem Chriſto Domino ſuperſtite, ipſi contulerint. Tertullianus de baptiſmo cap. 11. *Tingebant*, inquit, *diſcipuli ejus, ut miniſtri, ut Joannes ante præcurſor, eodem baptiſmo Joannis, ne qui alio putet, quia, nec exſtat alius niſi poſtea Chriſti, qui tunc utique a diſcentibus dari non poterat, utpote nondum adimpleta gloria Domini, nec inſtructa efficacia lavacri per paſſionem, & reſurrectionem*. Præſto eſt Tertulliano Chryſoſtomus in Joan. hom. 28. *Diſcipulis autem baptizantibus*, inquit, *multi non deſiſtebant ad Joannem percurrere: quod ſi quis percontaretur, quid amplius in Joannis baptiſmate, quam Diſcipulorum fuerit, nihil reſpondebimus. Utrumque enim ſimiliter, ſpiritus expers erat; & unam, eamdemque baptizandi cauſſam habebat, ut ſcilicet Chriſto reconciliaret ba-*

Cap. IV. 2. Cap. XXVIII. 19.

Pag. 146.

D ptiza-

ca receptionem hæreticorum ſententia explicatur, tom. 1. Epiſt. Rom. Pont. pag. 233. §. 3. *Apoſtolorum temporibus a baptiſmate, quod Joannes tradiderat, diſtinguendum fuit, quod Chriſtus poſtmodum inſtituit. Nulla autem aptior excogitari potuit diſtinctio, quam ut cum primum jam diceretur baptiſma Joannis, alterum baptiſma Chriſti appellaretur, & qui hoc ſuſciperent, in nomine Jeſu baptizati, hoc eſt baptiſmo Chriſti auctoritate inſtituto, adeoque* in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti *initiati dicerentur. Quocirca* Innocentius *epiſt.* 17. *ad Macedonas num.* 10. *eos, qui* Act. XIX. 5. baptizati in nomine Domini Jeſu *dicuntur*, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti *baptizatos eſſe haud dubius pronunciat*.

Vide Joannem Nicolai in Tertiam partem D. Thomæ quæſt. *66*. art. *6*. ad I.

ptizatos . Adde Leonem magnum illum Pontificem, qui epiſt. 16. ad Epiſcopos Siciliæ cap. 3. ſcribit, Chriſtum, *poſtquam reſurrexit a mortuis*, *Diſcipulis ſuis & formam & poteſtatem tradidiſſe*
D.Thom. *baptizandi* . (87) At vero Auguſtinus opinatur,
3.p. q.38. Apoſtolos etiam ante Chriſti mortem baptiſmum
art. 5. Chriſti contuliſſe : ſiquidem ait, *miſſo in carcerem Joanne*, *deinceps neminem baptizatum inveniri illo baptiſmate* : & alio loco ſubjungit, quos baptizaverat Judas, non iterum baptizatos, *quia, ſi datus eſt a Juda baptiſmus, Chriſti erat*. (88) Quam ſententiam ponit etiam in Epiſtola 265. ad Seleucianam . Auguſtinum ſecuti ſunt Magiſter Sententiarum, & ejus interpres D. Thomas. Neque enim, inquiunt, verbis illis, quæ Chriſtus
Matth. redivivus Apoſtolis dixit : *Docete omnes gentes*,
XXVIII. *baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spi-*
19. *ritus ſancti*, baptiſmi forma tunc primum præcipitur, ſed uſus tantummodo, actuſque baptiſmi. Sunt hæc verba D. Thomæ: *Verbis illis Dominus principaliter non intendit tradere formam Sacramenti, quia prius eis tradiderat, quando baptizabant etiam ante paſſionem ; ſed intendit eis præcipere actum baptiſmi ſecundum formam prius eis traditam*. (89)

(87) Horum ſententiam ſecundum nonnullos roborat id, quod apud Matthæum XVI. 20. poſt confeſſionem, *Tu es Chriſtus filius Dei vivi*, factam a Petro, idem Chriſtus Apoſtolis præcepit, *ut nemini dicerent, quia ipſe eſt Chriſtus*.

(88) In Joannis Evangelium Tract. 4. §. 14. & Tract. 5. §. 18.

(89) Magiſter Sententiarum lib. 4. diſt. 3. quæſt. 1. D. Thomas in cit. loc. Magiſtri art. 2. ad 3. pag. 15. Vide Sotum in 4. Sent. diſt. 3. art. 2. ubi ejuſdem Magiſtri opinionem defendit, & Canum lib. 8. cap. 5.

XXXVIII. *Qui Apoſtoli Samariam miſſi ſunt, ideone miſſi ſunt, ut adminiſtrarent Sacramentum Confirmationis?*

℟. Utique. Id aperte teſtatur S. Lucas in Actis cap. VIII. 14. Siquidem narrat, verbo Dei ab incolis Samariæ accepto, ad eos Petrum, & Joannem miſſos eſſe, qui *oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum Sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantum erant in nomine Domini Jeſu. Tunc*, ſubjungit Lucas, paucis interjectis, *imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*. Quæ manuum impoſitio ipſum erat Confirmationis Sacramentum, ut S. Cyprianus epiſt. 73. Auguſtinus de Trinit. l. 15. c. 26. & Hieronymus adverſus Luciferianos cap. 4. interpretantur. (90) Bar. ad an. 35. 9. 12.

XXXIX. *Ad hoc Sacramentum conficiendum uſine ſunt Chriſmate?*

℟. Auctores utroque trahunt: plures tamen invenio, qui uſos eſſe, confirment: hos libentiſſime ſequor. Primis enim Chriſtiani nominis ſæculis Confirmationis Sacramento conficiendo in utraque Eccleſia Chriſma adhibitum eſt. Cujus moris initium cum nemini oſtendere liceat, fit, ut Chriſmatis adhibendi ritus ab Apoſtolis traditus videatur. Illud enim Auguſtini Lib. 4. De Baptiſ. cap. 24. admodum ſcitum eſt: *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt*,

D 2

(90) Apud Hieronymum pag. 424. ita loquitur Luciferianus: *An neſcis, etiam Eccleſiarum hunc eſſe morem, ut baptizatis poſtea manus imponantur, & ita invocetur Spiritus Sanctus? Exigis, ubi ſcriptum ſit? in Actibus Apoſtolorum: Etiamſi Scripturæ auctoritas non ſubeſſet, totius orbis in hanc partem conſenſus inſtar præcepti obtineret.*

eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur. Si igitur uſus Chriſmatis in Confirmatione ab Apoſtolis inſtitutus eſt, neceſſario efficitur, ut illi Sacramentum hoc adminiſtrantes Chriſmate uſi fuerint. (91)

XL. *Evangelicæ prædicationi operam dantes dabantne ad victum parandum ſimul operam arti priſtinæ?*

Bar. ad an. 42. §. 19. ℟. Conſtitutionum Apoſtolicarum auctor l. 2. c. 63. refert, ſimul eos Chriſtianæ doctrinæ propagandæ operam navaſſe, ſimul etiam ſua ſingulos negotia egiſſe, & alios quidem piſcatu, alios vero agrorum cultura, alios denique tabernaculis conficiendis (92) ea paraſſe, quæ ad victum & cul-

(91) S. Thomas 3. part. quæſt. 72. De Sacramento Confirmationis art. 2. ad 1. *Utebantur tamen Apoſtoli communiter chriſmate in exbibitione Sacramenti, quando hujuſmodi viſibilia ſigna non exhibebantur. Dicit enim Dion. 4. cap. Eccl. Hierarch.* Eſt quædam perfectiva operatio, quam Duces noſtri (*id eſt Apoſtoli*) chriſmatis hoſtiam nominant. Vide Baronium ad an. 35. §. 15. 16. 17.

Eſtius in Libri quarti Sententiarum diſtinctionem 7. §. 6. pag. 80. poſtquam expoſuit argumenta tum eorum, qui negant, tum eorum, qui ajunt, Apoſtolos ad conficiendum Sacramentum Confirmationis uſos eſſe chriſmate, ita ſubjicit: *Videtur ſane probabiliter ad hanc dubitationem reſponderi poſſe, Apoſtolos in hoc Sacramento miniſtrando neque ſemper, neque numquam chriſmate uſos fuiſſe. Nam argumenta quidem prioris partis non aliud exigunt quam in ipſis ſtatim exordiis ſuæ prædicationis Apoſtolos non fuiſſe communiter* uſos chriſmate *ad confirmandam totam fidelium multitudinem. Ceterum quin poſtea rebus Eccleſiæ conſtitutis atque ordinatis chriſmatis unctionem adhibuerint, nihil obſtat, imo valde veriſimile eſt, & quaſi certum.* Vide Gaſparem Juenin in Commentario Hiſtorico & Dogmatico de ſacramentis Diſſertat. 3. de Confirmatione quæſt. 2. cap. 3. art. 2. & Menardum in Lib. Sacrament. S. Gregorii pag. 359.

(92) *Petrus quidem & Andreas, & filii Zebedæi arte piſca-*

cultum ſuppeditarent; ſeu ne umquam eſſent otioſi, ſeu ne aliis oneri eſſent. Ita prorſus ſentiunt Patres aliqui. (93) Neque ego ambigam, id ab Apoſtolis ſæpe actum ad faciliorem Chriſtianæ Fidei propagationem. Verum ſi Paulum, & Barna- I. Cor. IX. 14.

D 3 bam

catores inveniuntur, *Paulus vero arte faber tabernaculorum*; & Matthæus publicanus. *Qua vero arte ceteri*, *priuſquam diſcipuli Jeſu fierent*, *victum ſibi comparaverint*, *nobis incompertum eſt*: Origenes in Numeros hom. 17. pag. 338. & lib. 1. contra Celſum pag. 376. & pag. 377. Apoſtolos dividit in *piſcatores & publicanos*. Itaque non probandus memoratus auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum, qui alios ex Apoſtolis facit *agricolas*; illi etiam rejiciendi, qui apud S. Clementem Alexandrinum Strom. lib. 4. p. 488. Matthiam *dicunt publicanorum principem*.

(93) Hieronymus epiſt. 4. ad Ruſticum pag. 38. *Apoſtoli habentes poteſtatem de Euangelio vivere*, *laborabant manibus ſuis*, *ne quem gravarent*, *& aliis tribuebant refrigeria*, *quorum pro ſpiritualibus debebant metere carnalia*. E contrario Auguſtinus de opere Monachorum cap. 20. §. 23. *Ceteri Apoſtoli*, *& fratres Domini*, *& Cephas non operabantur*; Paulo tamen, & Barnaba exceptis.

D. Thomas 2. 2. quæſt. 187. art. 3. ad 5. *Quod Apoſtoli manibus laboraverint*, *quandoque fuit neceſſitatis*, *quandoque ſupererogationis*. *Neceſſitatis*, *quando ab aliis victum invenire non poterant*. *Unde ſuper illud* 1. *ad Cor.* 4. Laboramus operantes manibus noſtris, *dicit gloſſa*, quia nemo dat nobis. *Supererogationis autem*, *ut patet per illud*, *quod habetur* 1. *ad Cor.* 9. *ubi dicit Apoſtolus*, *quod non eſt uſus poteſtate*, *quam habebat vivendi de Euangelio*. *Hac autem ſupererogatione utebatur Apoſtolus tribus de cauſſis*: *Primo ut occaſionem prædicandi auferret Pſeudoapoſtolis*, *qui propter ſola temporalia prædicabant*. *Unde dicit* 2. *ad Cor.* 11. Quod autem facio, & faciam, ut amputem eorum occaſionem, &c. *Secundo ad evitandum gravamen eorum*, *quibus prædicabant*. *Unde dicit* 2. *ad Cor.* 12. Quid minus habuiſtis præ ceteris Eccleſiis, niſi quod ego ipſe non gravavi vos? *Tertio ad dandum exemplum operandi otioſis*. *Unde* 2. *ad Theſ.* 3. *dicit*: Nocte & die operantes, ut formam daremus vobis ad imitandum nos. *Quod tamen Apoſtolus non faciebat in locis*, *in quibus habebat facultatem quotidie prædicandi*, *ſicut Athenis*, *ut Auguſtinus dicit in libro* de Oper. Monach. cap. 18. Vide Baronium ad an. Ch. 52. §. 15. uſque ad 20.

bam excipias, jure illo plerumque utebantur, quod Chriſtus dabat, & ipſa naturæ lex, neceſſaria ad vitam accipiendi ab iis, quos Evangelii prædicatione ad veram pietatem informarent.

XLI. *Quo cibo utebantur?*

℞. Tenui admodum & inſuavi. Nam de S. Pe-
Pag. 241. tom. 1. Et 213. tom. 2. tro hæc habet S. Gregorius Nazianzenus Orat. 16. *Petrus, qui lupinis unico aſſe emtis alebatur*. Et Jamb. 18.

.... Paulum quid loquar victum ſibi
Manibus parantem? quid Petrum, cujus cibus
Erant lupini?

De S. Andrea & Philippo, ex verbis illis Joannis Evangeliſtæ: *Cum igitur interrogaſſet Philippum,*
Cap. VI. 9. *dixit Andreas frater Simonis: Eſt puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſces*, ita
Pag. 218. colligit S. Chryſoſtomus in Joan. hom. 41. *Hinc deliciis dediti intelligant, quid magni illi viri & admirabiles comederint, quam vilis & modica eorum menſa fuerit. Intueamur eorum in omnibus abſtinentiam, & imitemur*. Porro *Matthæus Apoſtolus*, ut
Pag. 176. ait S. Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædagogi cap. 1. *ſeminibus, baccis, & oleribus abſque carnibus utebatur*. (94) Ex his colligi licet, ceteros quoque Apoſtolos eo cibo uſos eſſe, qui viribus reficiendis vix ſufficeret, & minime jucundus guſtui eſſet.

XLII. *Quibus veſtibus?*

℞. *Supra tunicam Apoſtoli pallium induebant. Petri Apoſtoli habitus ita deſcribitur in Actibus Apoſtolorum cap.* XII. 8. Εἶπέ τε ὁ ἄγγελος πρὸς αὐτόν. περίζωσαι, καὶ ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σου. ἐποίησε δὲ οὕτω.

καὶ

(94 Vide Baronium ad an. 37. §. 192. & ad an. 58. §. 121.

καὶ λέγει αὐτῷ· περιβαλοῦ τὸ ἱμάτιόν σου, καὶ ἀκολούθει μοι: Dixit autem Angelus ad eum: Præcingere, & calcea te caligas tuas. Et fecit ſic. Et dixit illi: circumda tibi veſtimentum tuum, & ſequere me. *Illud* περιζῶσαι *ad tunicam refertur, quæ præcingitur, unde & ζῶμα & περίζωμα tunicam Græci appellant, at* περιβαλοῦ τὸ ἱμάτιόν σου *de pallio dicitur, quod &* περιβόλαιον *propterea proprie appellatur.* (95) Huc adde, ſi libet, quod falſus, antiquus tamen auctor, Abdias pallium tribuit Apoſtolis Joanni, Simoni, Judæ, & Bartholomæo, idemque ſcribit, eumdem Joannem tunica uſum fuiſſe, & Bartholomæum colobio, (96) quod eſt tunica ſine manicis, aut cum manicis ad cubitum vix pertinentibus. (97) Itaque ſatis conſtat, Apoſtolos

(95) Salmaſius in notis ad Tertulliani librum *de Pallio* pag. 15.

(96) Lib. 5. Hiſt. Apoſtol. §. 2. pag. 579. lib. 6. §. 16. pag. 623. & lib. 8. §. 2. pag. 671.

(97) Ita Rubenius De re veſtiaria lib. 1. cap. 18. pag. 108. Ferrarius item de re veſtiaria part. 1. lib. 3. cap. 8. pag. 197. Ducangius in Gloſſario verbo *Colobium* pag. 771. Philippus Buonarruoti de vaſis vitreis antiquis tabula 14. figura I. pag. 87.

Pallia, tunicas, chlamydes, chlænas, & reliqua veſtimenta lanea fuiſſe, docet Ferrarius de re veſtiaria part. 2. lib. 4. cap. 11. Certe Hegeſippus apud Euſebium lib. 2. Hiſt. Eccl. cap. 23. tamquam inuſitatum atque mirabile prodit, S. Jacobum *Minorem* lineam tantum veſtem induere conſueviſſe. *Neque enim*, ait, *lanicio, ſed linea tantum veſte utebatur*. Id, quod tradit etiam Epiphanius hær. 78. §. 13. addens, *Joannem* quoque *& Jacobum una cum Jacobo noſtro*, Minore videlicet, *idem illud vitæ inſtitutum amplexos eſſe*.

Tunicæ & pallii color albus. Eccleſiaſtes cap. IX. 8. *Omni tempore ſint veſtimenta tua candida*. S. Bartholomæus apud falſum Abdiam lib. 8. §. 2. pag. 671. legitur *veſtitus colobio albo*, & *pallio albo indutus*. Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædagogi cap. 10. & lib. 3. cap. 11. pag. 231. & 273. albam veſtem, ut maxime decentem Chriſtianos, commen-

dat.

tunicam unam indutui habuiſſe, & unum pallium amictui. (98)

XLIII. *Uſine ſunt calceamentis?*

℞. Apoſtoli pedibus haud nudis incedentes utebantur ſandaliis. Nam σανδάλια, *ſandalia* Apoſtolis Dominus permiſerat, ut eſt apud Marcum cap. VI. 9. interdixerat vero ὑποδήματα *calceos*, ſeu *calceamenta*, ut eſt apud Matthæum cap. X. 10. & apud

dat. Quæ in antiquis vitris conſpiciuntur Chriſti & Sanctorum imagines veſtibus colore vario indutæ, oſtendunt, non veritatem pictores retinuiſſe, ſed ætatis ſuæ morem ſecutos eſſe, ut obſervat Philippus Buonarruoti tabula 5. figura 3. pag. 37. At Herodes, ut eſt apud Lucam XXIII. 11. Chriſtum *illuſit indutum veſte alba*. Nempe *illuſtri*, ac *ſplendida*, quæ non deceret hominem privatum. Græcus enim textus pro *veſte alba* habet ἐσθῆτα λαμπρὰν *veſtem ſplendidam*. Syrus interpres *coccineam* dicit, & viro diviti tribuit S. Jacobus in Epiſtola Catholica cap. II. 2. Vide Octavium Ferrarium de re veſtiaria part. I. lib. 1. cap. 21. & noſtram Hiſtoriam Familiæ Sacræ cap. 13. annotat. 17.

(98) Auguſtinus Calmet initio Diſſertationis *de veſtibus veterum Hebræorum* præpoſitæ ejus Commentariis in Jeremiam pag. XXVIII. tom. 6. *Duo potiſſimum veſtium genera apud veteres Hebræos ſpectantur, tunica nempe, & pallium, quarum illam ſubuculæ loco habebant, pallio pro extima veſte utebantur... Tunica ſimul, & pallium veſtes illas componebant, quas Scriptura par veſtium ſeu* mutatoria veſtium, *integram videlicet abſolutamque veſtem appellat*. Idem Calmet in Act. cap. XII. 8. pag. 919. tom. 7. *S. Petrus exuerat pallium ſuum, zonam, & calceos, ut dormiret. Angelus ergo primum jubet illum zona tunicam ſibi præcingere, pedes calceis induere, & mox pallium ſumere. Hæc erant Hebræorum veſtimenta, quemadmodum alibi* (diſſertat. cit.) *oſtendimus. Illi nulla femoralia, aut tibialia geſtabant.*

Matthæus cap. V. 40. *Ei, qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium*. Et cap. X. 9. 10. *Nolite poſſidere aurum, neque argentum... neque duas tunicas*. Marcus cap. VI. 9. *Ne induerentur duabus tunicis*. Luc. cap. III. 11. *Qui habet duas tunicas, det non habenti*.

apud Lucam cap. X. 4. Ὑποδήματα ſunt calcei, qui tegunt pedem totum: σανδάλια autem ſunt ſoleæ, quæ tantummodo ſolum, ſeu plantam pedis ſubtegunt, ceteris pedis partibus nudis relictis, anſulis tantum quibuſdam in ſuperiore parte coeuntibus (99) Conſueviſſe Apoſtolos ſoleis uti, ſatis oſtendunt illa Angeli verba ad Petrum: *Calceate caligas tuas*, quæ ſunt in Actis Apoſtolorum cap. XII. 8. Ubi enim in vulgata legitur: *Calceate caligas tuas*, in Græco textu habetur, ὑπόδησαι καὶ σανδάλιά σου, *ſubliga ſoleas tuas*, ut vertunt rerecentiores aliqui, quibus favent Beda in Mar. lib. 2. cap. 24. & Auguſtinus lib. 3. De Conſenſu Evangeliſtarum cap. 30. qui illud D. Marci cap. VI. 9. *calceatos ſandaliis*, reddunt *calceatos ſoleis*, ut *pes*, quemadmodum ait Auguſtinus *neque tectus ſit, neque nudus ad terram*. (100)

XLIV. *Libri Veteris Teſtamenti, quibus inter prædicandum & ſcribendum Apoſtoli utebantur, qua lingua ſcripti erant?*

℟. Apoſtolos uti conſueviſſe libris Veteris Teſtamenti tum Hebræis, tum Græcis ex verſione ſeptuaginta Interpretum, locupletes & idonei Auctores ſunt Irenæus, Hieronymus, & Auguſtinus. Irenæi hæc ſunt ex cap. 25. lib. 3. adverſus hæreſes: *Petrus, & Joannes, & Matthæus, & Paulus*,

(99) Salmaſius in notis ad Tertulliani librum *De Pallio* pag. 355. & 356.

(100) Nunc ſoleis hujuſmodi utuntur Viri ex familia Cappucinorum.

Soleam S. Petri uſque hodie Romæ ſervari, teſtatur S. Bonaventura in Opuſculo *De Sandaliis Apoſtolorum* pag. 380. tom. 7. alii aliam D. Andreæ Oveti in Hiſpania collocant. Vide Balduinum *De Calceo* cap. 12. & 26. & Calmetum Diſſertat. De veſtibus veterum Hebræorum præpoſitam ejus Commentario in Jeremiam pag. XXXII. & XXXIII. tom. 6.

lus, *&* *reliqui deinceps*, *&* *eorum ſectatores prophetica omnia ita annuntiaverunt*, *quemadmodum Seniorum interpretatio continet*. Ab Hieronymo autem
Pag. 663. ita ſcriptum eſt cap. 4. Epiſt. 101. ad Pammachium, quæ eſt de optimo genere interpretandi; *Vires ſeptuaginta editio obtinuit in Eccleſiis*, *vel quia prima eſt*, *&* *ante Chriſti facta adventum*, *vel quia ab Apoſtolis*, *in quibus tamen ab Hebraico non diſcrepat*, *uſurpata*. Et lib. 2. Apolog. adverſus Rufinum, extremo cap. 9. *Apoſtolici Viri Scripturis utuntur Hebraicis: ipſos Apoſtolos & Evangeliſtas hoc feciſſe*, *perſpicuum eſt* ... *&* *ubicumque Septuaginta ab Hebræo non diſcrepant*, *ibi Apoſtolos de interpretatione eorum exempla ſumſiſſe*, *ubi vero diſcrepant*, *id poſuiſſe in Græco*, *quod apud Hebræos didicerant*. (101) Auguſtinus vero lib. 18. de Civitate Dei cap. 44. *Unde etiam*, inquit, *pro meo modulo veſtigia ſequens Apoſtolorum*, *quia & ipſi ex utriſque Hebræis*, *&* *Septuaginta Prophetica poſuerunt*, *utraque auctoritate utendum putavi*, *quoniam utraque una*, *atque divina eſt*. (102)

XLV.

(101) Idem in Eſaiam lib. 3. cap. 7. pag. 28. *In multis teſtimoniis*, *quæ Evangeliſtæ vel Apoſtoli de libris veteribus aſſumſerunt*, *curioſius attendendum eſt*, *non eos verborum ordinem ſecutos eſſe*, *ſed ſenſum*.

Et in Jeremiam lib. 6. cap. 31. pag. 298. *Ex quo perſpicuum eſt*, *Evangeliſtas & Apoſtolos nequaquam ex Hebræo interpretationem alicujus ſecutos*, *ſed quaſi Hebræos ex Hebræis*, *quod legebant Hebraice*, *ſuis ſermonibus expreſſiſſe*.

Et in Amos lib. 2. extremo cap. 5. pag. 112. *Et hoc in omnibus Scripturis ſanctis obſervandum eſt*, *Apoſtolos*, *&* *Apoſtolicos viros in ponendis teſtimoniis de veteri Teſtamento non verba conſiderare*, *ſed ſenſum*, *nec eadem ſermonum calcare veſtigia*, *dummodo a ſententiis non recedant*; & in Matthæum cap. 20. *in quo animadvertendum*, *quod ubicumque Evangeliſta*, *ſive perſona ſua*, *ſive Domini Salvatoris*, *veteris Scripturæ teſtimoniis utitur*, *non ſequatur ſeptuaginta translatorum auctoritatem*, *ſed Hebraicam*.

(102) Euſebius in Pſalmos pag. 15. tom. I. Collectionis No-

XLV. *Qua de cauſa feminas ſecum ducebant.*

℞. Solitos fuiſſe Apoſtolos in opus Evangelii incumbentes ſecum ducere feminas, teſtatur D. Paulus ſcribens ad Corinthios: *Nunquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi, ſicut & ceteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas?* (103) Circumducebant autem duplici de cauſſa, tum ut neceſſaria ad victum ſuppeditarent, tum ut auxilio eſſent ad Chriſti doctrinam evulgandam etiam in locis iis, ad quæ ſolis mulieribus aditus patebat. Primam cauſſam ponit Hieronymus, qui adverſus Jovin. l. 1. cap. 14. expendens recitatum D. Pauli locum, concludit, mulieres, quas Apoſtoli ſecum ducebant, fuiſſe pias quaſdam feminas, *quæ juxta morem Judaicum magiſtris de ſua ſubſtantia miniſtrabant, ſicut legimus*

Ep. I. Cap. IX. 5. Bar. ad an. 57. §. 60. & 61. Pag. 334. Matth. XXVII. 55. Luc. VIII. 3.

Novæ Bernardi de Montfaucon: *Apoſtolus Legis peritus cum eſſet, in epiſtola ad Hebræos Septuaginta Interpretum verſione uſus eſt*. Vide Baronium ad an. 231. §. 39. Bellarminum lib. 2. De Verbo Dei cap. 6. pag. 41. tom. 1. & Matthæum Petit di dier diſſertat. 8. in Sacram Scripturam pag. 68.

(103) *Hoc quidam non intelligentes, non* ſororem mulierem, *cum ille diceret*: Numquid non habemus poteſtatem ſororem mulierem circumducendi, *ſed* uxorem *interpretati ſunt. Fefellit eos verbi Græci ambiguitas, quod &* uxor *&* mulier *eodem verbo Græce dicitur. Quamquam hoc ita poſuerit Apoſtolus, ut falli non debuerint: quia neque* mulierem *tantummodo ait, ſed* ſororem mulierem, *neque* ducendi, *ſed* circumducendi. *Verumtamen alios interpretes non fefellit hæc ambiguitas, &* mulierem, *non* uxorem *interpretati ſunt*. S. Auguſtinus De Opere Monachorum cap. 4. §. 5.

Chronicon Paſchale pag. 179. editionis Venetæ: *Sunt enim ſanctæ quædam mulieres, quæ poſt Domini in Cœlum aſſumtionem Apoſtolos ſecutæ ſunt, quarum in Epiſtolis Paulus meminit, Phœbe ſcilicet, Triphoſa, Eunice Timothei Apoſtoli mater, Priſca, Perſis, Priſca, Maria, Julia, Appia, Tryphœna, Lois avia Timothei Apoſtoli.*

mus ipſi quoque Domino ſuctitatum. (104) Secundam ponit Clemens Alexandrinus l. 3. Strom. pag. 465. Nam *Apoſtoli*, inquit, *ut erat conſentaneum miniſterio, quod divelli non poterat, prædicationi ſcilicet attendentes, non ut uxores, ſed ut ſorores circumducebant mulieres, quæ una miniſtraturæ eſſent apud mulieres, quæ domos cuſtodiebant: per quas etiam in gynecæum abſque ulla reprehenſione, malave ſuſpicione ingredi poſſet doctrina Domini*. (105)

XLVI. *Quot annos Evangelicæ prædicationi operam dederunt?*

℞. Accipe quæ ſcribit Lactantius de mortibus Perſecutorum, cap. 2. *Inde diſcipuli, qui tunc erant undecim, aſſumtis in locum Judæ proditoris Matthia & Paulo* (106) *diſperſi ſunt per omnem terram ad Evangelium prædicandum, ſicut illis magiſter Dominus imperaverat, & per annos XXV. uſque ad principium Neroniani Imperii per omnes provincias & Civitates Eccleſiæ fundamenta miſerunt*. Atque hæc *ad prædicationem omnium Apoſtolorum ex æquo pertinere*, docet Baluzius in annot. ad

(104) Rem eamdem ante D. Hieronymum docuit Tertullianus de Monogamia, cap. 8.

(105) Lucas cap. VIII. 2. 3. *Et mulieres aliquæ... miniſtrabant ei de facultatibus ſuis*. Hinc conſtat, Paulum, & Barnabam feminas ſecum non duxiſſe. Idcirco autem non duxerunt, tum quia verebantur, ne offenderent apud Ethnicos, quibus præſertim debebant tradere doctrinam Chriſti, ut ſcribit Hieronymus in Matth. c. XXVII. tum quia feminæ non poterant ingredi longa & diverſa itinera ab illis ſuſcepta, ut docet Iſidorus Peluſiota apud Baronium ad an. 57. §. 62. Vide Vincentium Ludovicum Gotti colloquio 4. de cœlibatu num. 15.

(106 Nolim ex his verbis inferas Paulum una cum Matthia *ſuffectum Judæ ab Apoſtolis* fuiſſe. Nam Lactantius paullo incurioſius ſcribens, id tantum ſignificare voluit, loco Judæ alios duos obiiſſe munia Apoſtolatus, Matthiam ſorte electum, & Paulum juſſu Spiritus Sancti aſſumtum.

Digitized by Google

ad recitatum Lactantii locum, Valeſius in annot. ad Euſebium l. 2. c. 16. & Pagius ad an. Ch. 43. §. 3. (107) Ab Lactantio non admodum diſcrepat S. Joannes Chryſoſtomus hom. 76. in Matthæum dicens: *Quæ res maximum argumentum omnipotentiæ Chriſti eſt. Viginti enim annis, aut ad ſummum triginta, ad omnes oras orbis* (tunc cogniti) *Evangelium tranſcurrit*. (108) Pag. 647.

XLVII.

(107) Ex hiſce annis quinque & viginti, per quos prædicatum ab Apoſtolis Evangelium ſcribit Lactantius, iidem Auctores ortam putant opinionem de annis quinis vicenis, quibus Petrum Romanum Pontificem fuiſſe, & veteres aliqui, & recentiores cenſent. Quæ opinio nobis non probatur.

(108) S. Hieronymus in Danielem cap. 9. pag. 517. *In totum orbem per Apoſtolos Euangelium prædicatum eſt, qui uſque ad illud tempus perſeveraverunt, tradentibus Eccleſiaſticis hiſtoriis, Joannem Euangeliſtam uſque ad tempora vixiſſe Trajani*.

Euſebius lib. 3. Hiſt. Eccl. cap. I. *Dum res Judæorum hoc in ſtatu eſſent, Apoſtoli & Diſcipuli Domini ac Salvatoris noſtri per univerſum Orbem diſperſi Euangelium prædicabant. Et* Thomas *quidem, ut a majoribus traditum accepimus*, Parthiam *ſortitus eſt*: Andreas *vero* Scythiam. Joanni Aſia *obvenit, qui plurimum temporis in ea commoratus*, Epheſi *tandem diem obiit. At* Petrus *per* Pontum, Galatiam, Bithyniam, Cappadociam *atque* Aſiam *Judæis, qui in diſperſione erant, prædicaſſe exiſtimatur. Qui ad extremum Romam veniens, cruci ſuffixus eſt capite deorſum demiſſo: ſic enim ut in cruce collocaretur, oraverat. De* Paullo *jam quid attinet dicere? qui ab Hieroſolymis uſque ad Illyricum munus Euangelicæ prædicationis implevit, ac poſtremo Romæ ſub* Nerone *martyrio perfunctus eſt. Hæc Origenes in tertio volumine expoſitionum in Geneſim diſertis verbis commemorat*. Bollandiani die XV. Julii §. 3. num. 36. pag. 14. *Non ita liquet, quodnam ſit illud tertium* Origenis *volumen, quod hic* Euſebius *citat... Utcumque cenſeas, tanta eſt* Euſebii *in rebus hiſtoricis fides, ut non dubitem, quin alicubi in* Origene *legerit*. S. Paulinus Natali XI. apud Muratorium tom. I. Anecdot. ex Ambroſianæ Bibliothecæ codicibus: v. 54. & 78.

Inde Petrum & Paulum Romana fixit in Urbe.
Principibus quoniam medicis caput Orbis egebat,

Mul-

XLVII. *Numquid Hieroſolymis ſimul omnes paſſi ſunt?*

Act. V. Bar. ad an. 34. §. 276.

℞. Cum in Porticu Salomonis, quo omnibus etiam immundis, atque Ethnicis patebat aditus, contra vetitum Judæorum Chriſtianæ doctrinæ evulgandæ operam darent, & accita prodigiis multitudo ex urbibus finitimis, Hieroſolymam conflueret, augereturque in dies Chriſtianorum numerus, invidia Principis Sacerdotum, & qui ab illo erant, Sadducæorum, in publicam cuſtodiam omnes conjecti ſunt. Verum miſſus a Domino Angelus e carcere per noctem eductis præcepit, ut in Templo docerent. Eo bene mane ingreſſi, mandatæ prædicationis munus exequuntur. Iterum detentos, & in Concilium adductos interrogavit Sacerdotum Princeps, cur imperata non feciſſent, & urbem doctrina Chriſti repleſſent. Adverſus quæ

Multis inſanum vitiis, cæcumque tenebris.
Sic dedit Andream Patris, Epheſoque Joannem,
Ut ſimul Europam, atque Aſiam curaret in illis,
Diſcuteretque graves per lumina tanta tenebras.
Parthia Matthæum complectitur, India Thomam,
Lebbæum Lybies, Phryges accepere Philippum,
Creta Titum ſumſit, medicum Bœotia Lucam,
Marcus, Alexandria, tibi datus.

D. Thomas 3. part. quæſt. 67. art. 3. ad 1. *Utrumque officium ſcilicet docendi & baptizandi Dominus Apoſtolis injunxit, quorum vicem gerunt Epiſcopi, aliter tamen & aliter: Nam officium docendi commiſit eis Chriſtus, ut ipſi per ſe illud exercerent tamquam principaliſſimum ... Officium autem baptizandi commiſit Apoſtolis, ut per alios exercendum ... Et hoc ideo, quia in baptizando nihil operatur meritum & ſapientia miniſtri, ſicut in docendo.*

Joannes Nicolai in hunc locum D. Thomæ: *Modificato ſenſu intelligendum quod præmittitur commiſſum eſſe Apoſtolis* Officium baptizandi, ut per alios exercendum: *non excluſive, quaſi deberent ſolum alii exercere, non aliquando etiam ipſi.* Vide Hiſtoriam Familiæ Sacræ de Chriſto Domino extremo cap. 7.

quæ reſponſum a Petro, & Apoſtolis, parendum Deo magis, quam hominibus. Ob id morti dandos cenſuerunt, interfectique omnes ad unum eſſent, niſi Gamaliel Legis doctor (109) ab eorum cervice gladium depuliſſet. Quare verberibus cæſi, ac dimiſſi vehementer lætabantur, quod digni habiti eſſent, qui pro Chriſto Jeſu contumelias paterentur, (110) tantumque abeſt, ut ab divina ejus lege promulganda ceſſaverint, ut per domos etiam, non modo in Templo, quotidie promulgarent. Quam ob rem *ſinguli vario mortis genere affecti ſunt, ac alius alio modo ob teſtimonium de illo datum ſanguinis agonem ſubjit; ita ut de illis dicatur:* Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus. (111)

(109) Gamaliel ſecta Phariſæus, poſtea Chriſtianus, traditur Præceptor fuiſſe D. Pauli, ac ſanctorum Barnabæ, & Stephani.

(110) Hæc Apoſtolorum inter verbera atque contumelias lætitia maximum eſt miraculum, quod in Novo Teſtamento legatur. Chryſoſtomus in Acta Hom. 14. pag. 550. *Quibus ſignis hoc non magis admirabile eſt? Nuſquam hoc apud veteres contigit, quia & Hieremias flagellatus eſt propter verbum Domini. Et Heliæ, ac aliis minati ſunt. Sed hic etiam ab hoc, & non a ſolis ſignis virtutem Dei declararunt. Non dixit, quod non dolebant, ſed quod dolentes gaudebant. Unde manifeſtum? ex libertate docendi, quæ poſt flagella ſequebatur.*

(111) Euſebius in Pſal. 71. pag. 413. tom. I. edit. Montfaucon. Hegeſippus apud eumdem Euſebium lib. 3. Hiſt. Eccl. cap. 32. *Sacer Apoſtolorum cœtus vario mortis genere extinctus eſt.* S. Chryſoſtomus hom. 1. in 2. ad Corinth. *Quemadmodum diſcipuli majora, quam ipſe* (Chriſtus) *miracula fecerunt* qui enim credit, in me, *inquit*, Joan. XLV. 12. majora his faciet, *totum autem ipſi jure adſcribitur, qui in ipſis operabatur: ſic etiam plura, quam ipſe, perpeſſi ſunt.* Idem in Epiſt. 1. ad Timotheum hom. 10. pag. 1571. *Nullus umquam Apoſtolis aut fornicationis, aut impudicitiæ, aut avaritiæ crimen objecit: ſed tantummodo ſeductores appellati ſunt, quod ſolum ad dogma refertur.*

Idem hom. 1. in Act. pag. 446. *Illud potiſſimum admirandum*

dum in Apoſtolis, quomodo ſeſe ad infirmorum ac rudium captum demiſerint, atque hoc ipſum eis Spiritus Sanctus ſuggeſſit... Unde factum eſt, ut cum tam multa de Chriſto diſſeruerint, pauca dixerint de ejus divina natura, plurima vero de natura ejus humana, de morte, de reſurrectione, & aſcenſu.

S. Auguſtinus contra duas epiſtolas Pelag lib. 3. cap. 5. §. 15. *Quid ſanctius in novo populo Apoſtolis? Et tamen præcepit eis Dominus in Oratione dicere:* Dimitte nobis debita noſtra. Matth. cap. VI. 12.

D. Thomas in Epiſt. ad Rom. cap. 8. lect. 5. pag. 26. & 27. *Apoſtoli ſunt omnibus aliis Sanctis, quacumque prærogativa præfulgeant ſive virginitatis, ſive doctrinæ, ſive martyrii, præferendi, tamquam abundantius Spiritum Sanctum habentes.*

Et in Epiſt. ad Epheſios cap. 1. lect. 3. pag. 135. explanans verba illa Apoſtoli, *ſecundum divitias gratiæ ejus, quæ ſuperabundavit in nobis: Ex quo apparet temeritas illorum (ut non dicam error) qui aliquos Sanctos præſumunt comparare Apoſtolis in gratia & gloria. Manifeſte enim patet ex verbis iſtis, quod Apoſtoli habent gratiam majorem, quam aliqui alii Sancti poſt Chriſtum, & Virginem Matrem.* Vide Franciſcum Suarez in 3. part. D. Thomæ tom. 2. diſputat. 8. ſect. 2.

DE

DE S. PETRO APOSTOLORUM PRINCIPE.

I. *Quis fuit, & quomodo ad Apoſtolatum vocatus eſt?*

℟. PETRUS, antea Simon, Jonæ ſeu Joannis Joan. I:
filius, Bethſaidæ ad lacum Geneſareth na- 42. 44.
tus eſt. Fratrem habuit Andream. Uter ætate & XXI.
præſtaret, incertum. (1) Piſcatu utrumque vixiſ- 15.
ſe, & domum habuiſſe Capharnaum, in qua & Matth.
ſocrus Petri degebat, conſtat ex Evangelio. Ejus IV.18.19.
uxor martyrii gloria nobilis traditur apud Cle- 20. VIII.
mentem Alexandrinum, & apud Euſebium, (2) 14.Marc.
filioſque ex ea a Petro ſuſceptos, ſcribunt Patres I.21.29.
aliqui. (3) Ad Chriſtum ab Andrea, qui primus Joan. I. 41.

E il-

(1) Epiphanius hær. 51. §. 17. ſeniorem Petro Andream facit. At Chryſoſtomus in Matth. hom. 59. pag. 519. dicit *primogenitum* Petrum, & Caſſianus l. 3. de Incarnat. cap. 12. ait, Petrum ſicut confeſſione, ita etiam ætate ceteros Apoſtolos præceſſiſſe. Ejuſdem ſententiæ ſunt Proclus orat. 19. de S. Andrea tom. VI. Bib. Patr. Lugd. pag. 611. Falſus Dionyſius de divinis nominibus c. 3. & Beda in Joan. c. 1. Baronius autem ad an. 31. §. 23. ita decernit: *Epiphanius de ætate Andreæ magis audiendus eſt, quam alii, qui poſtea dixerunt Petrum majorem natu Andrea.*

(2) Lib. 7. Strom. pag. 724. Lib. 3. Hiſt. Eccl. cap. 30. pag. 82.

(3) Clemens Alexandrinus lib. 3. Strom. pag. 465. & ex eo Euſebius lib. 3. Hiſt. Eccl. cap. 30. pag. 81. Epiphanius hær. 30. §. 22. Auctor Quæſt. Vet. & Novi Teſtamenti extrema quæſt. 127. apud S. Auguſtinum in Appendice tomi 3. Martyrologium Romanum pridie Kal. Junii mentionem faciunt S. Petronillæ filiæ Beati Petri Apoſtoli. Acta vero Sanctorum Nerei & Achillei, quæ Baronio ad an. 68.

§. 23.

illum viderat, deductus, *Cephas*, hoc eſt *Petrus*, appellari juſſus eſt. Diem integrum apud Salvatorem commorati, poſtridie ad priſtinum piſcatus munus redierunt, ut docet Auguſtinus *de conſenſu Evangeliſtarum* l. 2. c. 17. §. 37. Ambulans Chriſtus propter mare Galilææ cum piſcantes vidiſſet atque vocaſſet, relictis continuo rebus omnibus, ſe ejus ſectatores eſſe profeſſi ſunt: *Et ex illo jam inhæſerunt illi, ut non recederent*, ut ait S. Auguſtinus Tract. 7. in Joannem §. 9. (4)

II. *Cur ei* Cephæ, *ſeu* Petri *nomen Chriſtus impoſuit?*

℞. Hac præſertim de cauſſa, quia illum Eccleſiæ ſuæ petram, & fundamentum deſignaverat, ejuſque rectorem & caput eſſe decreverat. Sic Abram *Pater credentium* a Deo conſtitutus, *Abraham* appellatus eſt. Inditum ergo Petro nomen, quod muneri, cui præponendus erat, congrueret. *Cephas* enim eſt *Petra*, ſeu rupes magno ferendo ædificio idonea. (5) Quare Tertullianus *De præſcrip. cap.* 22. ſcribit, *Petrum ædificandæ Eccleſiæ petram dictum*, & Tertulliano conſentiens Epiphanius *Hær.* 59. §. 7. ita de Petro loquitur: *Qui*

Bar. ad an. 31. §. 24.25.26.

qui-

§. 23. omnino non probantur, illud de Petronilla peculiare narrant, eam paralyſi a D. Petro liberatam. Quod idem de Petri filia refert Auguſtinus *contra Adimant.* cap. 17. §. 5. addens tamen, id *in apocryphis legi*.

(4) S. Hieronymus epiſt. 26. pag. 170. *Apoſtoli quantum ad divitias nihil, quantum ad voluntatem totum mundum pariter reliquerunt.*

(5) S. Hieronymus in cap. 2. ad Gal. pag. 128. *Modo* Cephas, *& modo* Petrus *ſcribitur, non quod aliud ſignificet* Petrus, *aliud* Cephas, *ſed quod, quam nos latine & græce* petram *vocamus, hanc Hebræi & Syri, propter linguæ inter ſe viciniam*, Cepham *nuncupabant*. Vide Baronium ad an. 31. §. 25. 26. & 27.

quidem ſolidæ petræ inſtar nobis exſtitit, cui velut fundamento Domini Fides innititur; ſupra quam Eccleſia modis omnibus extructa eſt. Origenes quoque in Exodum Homil. 5. §. 4. Petrum vocat *magnum Eccleſiæ fundamentum, & petram ſolidiſſimam, ſuper quam Chriſtus fundavit Eccleſiam.* (6)

III. *Nonne Apoſtolorum omnium primus & rebus omnibus nuntium remiſit, & in Chriſto divinitatem agnovit?*

℟. Eſt ita, ut dicis. Nam alterum teſtatur S. Epiphanius Hær. 51. §. 17. his verbis: *Andreas prior in Dominum incidit, quod Petrus erat ætate junior. Poſtea vero, cum abſoluta illa ſuſcepta eſt rerum omnium abdicatio, initium eſt a Petro factum. Tunc & ipſe fratri ſuo prævit.* Eandem rem expreſſit S. Aſterius ita ſcribens de Petro hom. 8. in Principes Apoſtolorum: *Primus inter Chriſtianos ſæculi res ſprevit, deſpectiſque omnibus, quæ in pedibus ac mundana ſunt, ſtudium animumque ad ſpiritualia ac cæleſtia traduxit.* Alterum docet S. Atha- Bibl. Pat. tom. 5. pag. 826.

E 2

(6) Auguſtinus lib. 1. Retractationum cap. 21. *Dixi in quodam loco de Apoſtolo Petro, quod in illo tamquam in petra fundata ſit Eccleſia: qui ſenſus etiam cantatur ore multorum in verſibus beatiſſimi Ambroſii, ubi de gallo gallinaceo ait:* Hoc ipſa petra Eccleſiæ canente culpam diluit. *Sed ſcio me poſtea ſæpiſſime ſic expoſuiſſe quod a Domino dictum eſt:* Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; *ut ſuper hunc intelligeretur, quem confeſſus eſt Petrus, dicens:* Tu es Chriſtus filius Dei vivi: *ac ſi Petrus ab hac petra appellatus perſonam Eccleſiæ figuraret, quæ ſuper hanc petram ædificatur, & accepit claves Regni Cælorum. Non enim dictum eſt illi,* Tu es petra, *ſed* Tu es Petrus. *Petra autem erat Chriſtus, quem confeſſus Simon, ſicut eum tota Eccleſia confitetur, dictus eſt* Petrus. *Harum autem duarum ſententiarum, quæ ſit probabilior eligat lector.* Vide ejuſdem Auguſtini ſermonem 76. alias 13. de Verbis Domini, & Bellarminum lib. 1. De Rom. Pont. cap. 17.

Pag. 503. Athanaſius Orat. 4. cont. Arianos. *Factum eſt*, inquit, *ut agnoſceretur pro Filio Dei primum quidem a Petro, poſtea deinde ab omnibus*. Quod idem ſcribit S. Hilarius in Matth. cap. 16. §. 7. *Petrus dignus judicatus, qui quod in Chriſto Dei eſſet, primus agnoſceret*. (7) Confirmat S. Ambroſius de Pag. 290. tom. 4. Incarnationis Dominicæ myſterio extremo cap. 4. *Statim loci non immemor ſui, primatum egit confeſſionis*. Utrumque ita complexus eſt Baronius in Ad an. 31. §. 23. Annalibus: *Prælatus Andreæ Simon Petrus a Chriſto merito confeſſionis: etenim non in renuntiatione tantum, ſed & in ſumma Fidei profeſſione Simonem tum Andreæ, tum etiam ceteris Apoſtolis præſtitiſſe conſtat*. (8)

IV.

(7) Idem ſuperius cap. 14. §. 17. *Et hoc in Petro conſiderandum eſt, fide eum ceteros anteiſſe. Nam ignorantibus ceteris, primus reſpondit*, Tu es filius Dei vivi. *Primus paſſionem dum malum putat, deteſtatus eſt. Primus & moriturum ſe, & non negaturum reſpondit. Primus lavari ſibi pedes prohibuit. Gladium quoque adverſus eos, qui Dominum comprehendebant, eduxit.*

(8) S. Chryſoſtomus in Epiſt. ad Gal. cap. 2. pag. 989. *Sed prius dicendum eſt de Petri fiducia, & quomodo hic unus ante ceteros diſcipulos ſolitus ſit profiteri, quandoquidem etiam cognomen ſortitus eſt ob immutabilem & immobilem fidem. Cum enim omnes eſſent interrogati, hic ante ceteros proſiliens:* Tu es, *inquit*, Chriſtus filius Dei vivi. *Quo tempore illi & claves Regni Cælorum concreditæ ſunt.*

S. Leo ſerm. 3. cap. 2. *Primus eſt in Domini confeſſione, qui primus erat in Apoſtolica dignitate.*

S. Hieronymus in Matth. cap. 16. pag. 33. *Petrus ex perſona omnium Apoſtolorum profitetur:* Tu es Chriſtus filius Dei vivi. Utrum S. Petro confitenti Chriſtum filium Dei vivi, *revelatio per fidem tantæ rei creditæ, an per viſionem conſpectæ facta in ejus mente fuerit, non mihi videtur elucere; cum & ipſe Petrus tam parvulum ſe adhuc illi oſtenderit, ut timeret, ne amitteret morientem, quem filium Dei vivi, hoc eſt vitæ fontem fuerat paullo ante confeſſus*. S. Auguſtinus Epiſt. 147. alias 112. cap. 12. §. 30.

IV. *Quibus præcipue rebus ſignificavit, ſibi eſſe cognitam Chriſti divinitatem?*

℟. His, quæ narrat S. Hieronymus in Matth.
c. 14. *Volentem ad paſſionem pergere prohibet, &* Pag. 19.
licet erret in ſenſu, tamen non errat in affectu, no- Matth. XVI. 22.
lens eum mori, quem Filium Dei fuerat paulo ante Marc.
confeſſus. (9) *In montem cum Salvatore inter pri-* VIII. 32.
mos primus aſcendit, & in paſſione ſolus ſequitur. Luc. IX. 28.
Peccatum negationis, ad quod ex repentino timore Matth.
deſcenderat, amaris ſtatim abluit lacrymis. Poſt paſ- XXVI.
ſionem cum eſſet in lacu Geneſareth, & piſcaren- 58.
tur, & Dominus ſtaret in litore, aliis paulatim na- Ibid. 75.
vigantibus, ille non patitur moras, ſed accinctus e- Joan.
pendyte ſuo ſtatim præcipitatur in fluctus: eodem XXI. 7.
fidei ardore, quo ſemper ceteris tacentibus, credit,
ſe poſſe facere per voluntatem magiſtri, quod ille
poterat per naturam, nempe ut ad ipſum veniret
ambulans ſuper aquas. (10) Præterea cum mul- Joan. VI.
ti ex diſcipulis, audito Chriſti ſermone de Cæle- 68.
ſti pane, ab eo deſciviſſent, eamque ob rem pe-

(9) *Sed ſciens Dominus diabolicæ artis inſtinctum, Petro dit*, Vade retro poſt me; *id eſt ut exemplo ſe paſſionis ſequatur*. S. Hilarius in Matth. cap. 16. §. 10.

Hieronymus in eumdem locum. *Sed inibi error Apoſtolicus, & de pietatis affectu veniens numquam incentivum diaboli videbitur.*

Auguſtinus ſerm. 147. cap. 1. §. 1. *Apoſtolum Petrum primum omnium Apoſtolorum meminiſtis in Domini paſſione fuiſſe turbatum.*

(10) Euthymius in Joan. cap. 18. tom. 19. Bibl. Patr. pag. 726. E'πενδύτλω *autem (pro quo tunicam vertimus) vocant tuniculam quamdam manicis carentem, quæ corpus ad genua uſque contegat, & hac utebantur, qui in mari degebant. Nam ſimul & agilitatem eis tribuebat, & inter aquas ornatum. Erat quippe nudus* Petrus *alia carens veſte: nam hac ſola ad corpus diſcincta indutus erat: neque enim conveniebat, ut omnino nudus eſſet propter turpitudinem: ſuccinxit autem illam pudore Domini.*

tiiſſet ab Apoſtolis Chriſtus, num & ipſi vellent abire, Petrus, qui *os erat Apoſtolorum, & Princeps & vertex ipſius cœtus* (11) omnium nomine reſpondit, *Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes* (*Vitam enim*, ut interpretatur Auguſtinus, *æternam habes in miniſtratione Corporis & Sanguinis tui*) *& nos credimus, & cognovimus, quia tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, id eſt, *quia ipſa vita æterna tu es, & non das in carne, & ſanguine tuo, niſi quod es*. (12)

V. *Quidpiamne egit ſingulare etiam ad Chriſti defenſionem?*

Luc. XXII, 49. 50, Joan. XVIII, 10, ℞. Quid egerit, notum eſt ex Evangelio. Cum enim vidiſſent Apoſtoli accedere milites, ut Chriſto manus injicerent, eum rogarunt, liceret ne vim vi repellere. At Petrus, haud expectato Chriſti reſponſo, *eruditus in lege, promptus affectu, qui ſciret Phineæ reputatum ad juſtitiam, quod ſacrilegos peremiſſet*, (13) enſe educto, Malcho, qui audaciſſimus inter ceteros primus in Jeſum irruebat, dexteram auriculam abſcidit, ſtatim a Chriſto, qui Petrum cohibuit, reſtitutam. (14)

VI. *Unde gladius Petro Chriſti Diſcipulo?*

R. Si Cyrillo Alexandrino credere libet, ex conſuetudine regionis ad arcenda noctis pericula, (15)

(11) Chryſoſtomus in Joannem hom. 87. pag. 449.
(12) Auguſtinus in Joannis Euangelium Tract. 27. §. 9.
(13) S. Ambroſius in Evang. Lucæ cap. 22. pag. 213.
(14) S. Auguſtinus contra Fauſtum lib. 22. cap. 70. Petrus *non deteſtabili immanitate, ſed emendabili animoſitate juſtitiæ regulam exceſſit, & Dominico, licet adhuc carnali, tamen amore peccavit. Nam utique Dominus juſſerat, ut ferrum diſcipuli ejus ferrent, ſed non juſſerat, ut ferirent.*

(15) Si Chryſoſtomo, ac Theophylacto, ex occiſione agni Paſchalis reſervatus fuerat. (16) Si autem legas D. Lucam, videbis, enſes duos fuiſſe in hoſpitis domo, ubi cœna Paſchalis celebrata eſt, atque horum alterum a Petro ad Chriſti defenſionem arreptum fuiſſe. Ejus ſumendi occaſionem præbuiſſe videtur Chriſtus dicens ſub idem tempus: *Qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium*, ejuſdemque ad verba Diſcipulorum: *Domine, ecce duo gladii hic*, reſponſum: *Satis eſt*. (17) Cap. XXII. 36. 38.

VII. *Tanta Petri Fides ullamne maculam paſſa eſt?*

℞. Utinam vero nullam. *Qui nec ceteris quidem fugientibus territus eſt, ſed ſecutus etiam introivit*, ut ait Chryſoſtomus, is *in atrio*, ut ſcribit D. Auguſtinus, *fugatus eſt*. (18) Namque ab ancilla & Judæis interrogatus, eſſetne Chriſti diſcipulus, non ſemel, aut iterum, ſed tertio negavit, jurejurando etiam affirmans, ſe *non noviſſe hominem*, quem antea Chriſtum Filium Dei vivi Matth. XXVI. 72.

(15) In Joannis Evangelium l. 2. c. 35. *Undenam, dices, Petrus gladium habuit? quia ſecundum legem gladio ſe defendere licebat, idcirco gladium quoque ferre licebat. Unde intentio Petri, qui gladium adverſus hoſtes accepit, mandato legali non fuit aliena. Præterea cum ad hortos & ad loca condenſa nocte concubia diverterent, credendum eſt, illos providiſſe, ne a feris læderentur, quæ variæ in Judæa reperiuntur*.

(16) Chryſoſtomus hom. 85. in Matth. pag. 713.
Theophylactus in eumdem Matthæum cap. 26. pag. 165. *Habebat Petrus gladium, quo agnum Paſchalem mactarat*.

(17) Animadverte, hoc reſponſum non ad probandam diſcipulorum opinionem a Chriſto datum eſſe, quaſi ſignificare vellet, gladios duos ad ſui defenſionem ſufficere, ſed ad ſermonem hujuſmodi præcidendum; quaſi diceret, *Satis eſt* ea de re verborum.

(18) Chryſoſtomus in Matth. hom. 85. pag. 715. Auguſtinus Serm. 135. cap. 7. §. 8.

confeſsus fuerat. Rurſus Petri *fides*, *Domino crucifixo*, *abſorpta eſt*, ut ait idem Auguſtinus Serm. 244. §. 1. (19) *Tamdiu enim Petrus Filium Dei credidit, donec videret clavis affixum, donec videret mortuum, donec videret ſepultum. Tunc perdidit, quod tenebat.* Quare, ut ſcribit idem S. Doctor Serm. 245. cap. 1. *Viſis linteaminibus in ſepulcro, Dominum non reſurrexiſſe credidit, ſed ablatum eſſe.*

VIII. *Iſte Petri lapſus quomodo a nonnullis defenditur?*

Pag. 61. ℞. Ita ſcribit S. Hieronymus in Matthæum extremo cap. 26. *Scio, quoſdam pio affectu erga Apoſtolum Petrum* docuiſse, illum *non Deum negaſſe, ſed hominem: & eſſe ſenſum*, Neſcio hominem, *quia ſcio Deum. Hoc quam frivolum ſit, prudens Lector intelligit: ſi defendunt Apoſtolum, ut Deum mendacii reum faciant. Si enim iſte non negavit, ergo mentitus eſt Dominus, qui dixerat*: Amen dico tibi, quia hac nocte, antequam Gallus cantet, ter me negabis. *Cerne quid dicat*; me negabis, *non hominem*. Eamdem ſententiam expreſſit in Epiſtola 149. ad Marcellam, ſubjiciens,
Pag. 798. Petrum, *quia negavit filium Dei, idcirco & amare fleviſſe, & trinam negationem trina poſtea confeſſione deleviſſe*. Etiam S. Auguſtinus Tract. 66. in Joann. §. 2. fuſe ac luculenter diſputat adverſus eos, qui *favore perverſo Petrum excuſare nituntur*. Nam-

(19) Chryſoſtomus hom. 86. in Marth. pag. 719. *Hæc ab ipſo magiſtro Marcus didicit: diſcipulus enim Petri fuit: unde maxime ipſum admirari debemus, quia non ſolum magiſtri delictum non occultavit, ſed exquiſitius etiam quam ceteri hoc ipſo, quia diſcipulus erat, conſcripſit.*

S. Gregorius hom. 21. in Evangelia §. 4. ait, Petri lapſum permiſſum eſſe *magnæ pietatis diſpenſatione, ut is, qui futurus erat paſtor Eccleſiæ, in ſua culpa diſceret, qualiter aliis miſereri debuiſſet.*

Namque ut ceteras ejus rationes omittam, *quid eſt*, me negabis, *niſi quod erat? & quid niſi Chriſtus erat? Quidquid ergo ejus negavit, ipſum negavit, Chriſtum negavit, Dominum Deum ſuum negavit.... Non accuſemus Chriſtum, cum defendimus Petrum. Peccatum agnoſcat infirmitas, nam mendacium non habet veritas. Agnovit quippe peccatum ſuum infirmitas Petri, prorſus agnovit: & quantum mali Chriſtum negando commiſerit, plorando moſtravit. Ipſe ſuos redarguit defenſores, & unde eos convincat, producit lacrimas teſtes.* (20)

IX. *Ullone unquam ſolatio amarus hic fletus lenitus eſt?*

℞. Lenitus eſt a Chriſto Domino, qui eodem die, quo rediit ad vitam, & ſurrexit, Petro primum inter viros ſe conſpiciendum præbuit, cum ut magno, quo ille ardebat, ſui videndi deſiderio ſatisfaceret, tum vero ut dolorem, quem a lapſu capiebat, præſentia ſua conſolaretur, atque oſtenderet, ſe pœnitenti flentique veniam conceſſiſſe.

(20) Idem S. Auguſtinus Contra Mendacium cap. 6. *Quis ita evaneſcat, ut exiſtimet, Apoſtolum Petrum hoc habuiſſe in corde, quod in ore, quando Chriſtum negavit? Nempe in illa negatione intus veritatem tenebat, & foris mendacium proferebat.*

S. Hilarius in Matthæum cap. 32. § 4. *Et vere prope jam ſine periculo hominem negabat, quem Dei Filium primus agnoverat: tamen quia ex infirmitate carnis vel ambiguus extitiſſet, amariſſime flevit, recolens trepidationis iſtius culpam ſe nec admonitum potuiſſe vitare.*

S. Ambroſius in Luc. cap. 22. pag. 215. & 216. Petri lapſum multis extenuat: fatetur tamen, ipſummet Petrum peccatum ſuum non excuſare, imo etiam confiteri, dolere, ac flere. *Petrus doluit, & flevit, quia erravit ut homo* & paullo poſt: *Flevit ergo amariſſime Petrus, flevit, ut lacrymis ſuum poſſet lavare delictum*. Vide Suarez tom. 2. in 3. Part. D. Thomæ Diſputat. 35. Sect. 1. & Natalem Alexandrum in Hiſt. Eccl. Sæculi IV. cap. 6. art. 13. num. 5.

Pag. 666. & 667. ſiſſe. Docet hæc Chryſoſtomus hom. 38. in Epiſt. 1. ad Corinthios, his verbis: *Sed inter viros huic primum eſt viſus, qui maxime eum cupiebat videre.... Qui autem primus dignus eſt habitus, qui eum videret, magna fides opus habebat, ne admirabili, & quod omnem ſuperat opinionem, conturbaretur ſpectaculo. Propterea primum apparet Petro. Nam qui primus Chriſtum eſt confeſſus, jure etiam dignus eſt habitus, qui primus videret reſurrectionem. Non propter hoc autem apparet ſoli Petro, ſed quoniam & ipſum negaverat, ex abundantia eum conſolans, & oſtendens eum non eſſe repulſum, ante alios eum hac dignatus eſt viſione, & primo oves tradidit. Propterea etiam primis viſus eſt mulieribus. Quoniam deterioris conditionis fuerat hic ſexus, propterea mulier & in ejus ortu, & in reſurrectione ſentit gratiam. Poſt Petrum autem & ſparſim unicuique apparet: & aliquando quidem paucioribus, aliquando autem pluribus ipſos inter ſe teſtes & doctores in hoc faciens & Apoſtolos reddens fide dignos.* (21)

X. *Quandonam Chriſtus ſuæ fungendæ vicis curam eidem demandavit?*

℟. Tum videlicet *curam ei totius Eccleſiæ & principatum commiſit*, (22) cum eundem *hoc ſemel, hoc iterum, hoc tertio uſque ad ejus triſtitiam*, ut ait Auguſtinus, interrogavit: *Simon Joannis diligis me plus his?* Cum enim interroga-
Jo. XXI. 15. tioni trinæ triplex hoc dediſſet reſponſum: *Domine*

(21) Etiam Auguſtinus de Conſenſu Evangeliſtarum l. 3. cap. 25. §. 71. *Omnium virorum primo apparuiſſe Petro* concludit.

(22) S. Gregorius lib. 5. epiſt. 20. pag. 748.

ne tu ſcis, *quia amo te*, ac *trina voce amoris ſolviſſet trinam vocem negationis :* totidem vicibus ſubjungens Chriſtus: *Paſce agnos meos : Paſce oves meas :* eum nobis non minus ſuæ poteſtatis, quam *amoris ſui*, ut loquitur Ambroſius, *velut Vicarium reliquit :* (23) Pontificem Summum, totiuſque Eccleſiæ, & ipſorummet Apoſtolorum Caput conſtituit, & quem ipſi *uni pro multis danti reſponſum*, (24) ejuſque Succeſſoribus ante mortem promiſerat in univerſa Eccleſia *Primatum* verbis illis : *Tu es Petrus &c.* ratum atque perpe- Matth. XVI. 18.

(23) Auguſtinus in Joannem Tract. 47. §. 2. & in Pſal. 37. §. 17. Ambroſius in Lucam, cap. 24. pag. 183.

Chryſoſtomus in Joan. hom. 87. pag. 450. *Ter autem interrogat, & ſemper idem præcipit, ut demonſtret, quanti ovium ſuarum curam faciat, & quod hoc maximum ſit amoris argumentum.*

Theophylactus in Joan. pag. 843. *Hinc mos inolevit, ut tres confeſſiones a baptizandis exigant*.

(24) S. Auguſtinus ſerm. 76. cap. 1. § I. *Ipſe Petrus in Apoſtolorum ordine primus, in Chriſti amore promtiſſimus, ſæpe unus reſpondet pro omnibus. Ipſe denique Domino Jeſu Chriſto requirente, quemnam homines dicerent eum eſſe, & opiniones varias hominum diſcipulis reſpondentibus, rurſuſque Domino interrogante & dicente*, Vos autem quem me eſſe dicitis? *Reſpondit Petrus*, Tu es Chriſtus Filius Dei vivi. *Unus pro multis dedit reſponſum, unitas in multis. Tunc ei Dominus ait*, Beatus es Simon Barjona... *Deinde addit:* Et ego dico tibi. *Tamquam diceret, Quia tu dixiſti mihi*, Tu es Chriſtus Filius Dei vivi, *& ego dico tibi*, Tu es Petrus. *Simon quippe antea vocabatur. Hoc autem ei nomen ut* Petrus *appellaretur, a Domino impoſitum eſt: & hoc in figura, ut ſignificaret Eccleſiam. Quia enim Chriſtus petra, Petrus populus Chriſtianus. Petra enim principale nomen eſt. Ideo Petrus a petra, non petra a Petro : quomodo non a Chriſtiano Chriſtus, ſed a Chriſto Chriſtianus vocatur. Tu es ergo, inquit, Petrus, & ſuper hanc petram, quam confeſſus es, ſuper hanc petram, quam cognoviſti, dicens*, Tu es Chriſtus Filius Dei vivi, ædificabo Eccleſiam meam. *ideſt, ſuper me ipſum Filium Dei vivi ædificabo Eccleſiam meam. Super me ædificabo te, non me ſuper te.*

petuum fecit. (25) Recte igitur idem Ambroſius in

(25) Hieronymus adver. Jovin. l. 1. c. 14. pag. 334. *Propterea inter duodecim unus eligitur, ut, capite conſtituto, Schiſmatis tollatur occaſio. Sed cur non Joannes electus eſt virgo? Ætati delatum eſt, quia Petrus ſenior erat, ne adhuc adoleſcens, ac pœne puer progreſſæ ætatis hominibus præferretur: & Magiſter bonus, qui occaſionem jurgii debuerat auferre diſcipulis, & qui dixerat eis*; Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis; *Et*, Qui voluerit inter vos major eſſe, minimus omnium ſit; *in adoleſcentem, quem dilexerat, cauſſam præbere videretur invidiæ.*

S. Leo Serm. 3. cap. 2. *De toto mundo unus Petrus eligitur, qui & univerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctiſque Eccleſiæ Patribus præponatur: ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes ſint, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit & Chriſtus.*

S. Bernardus ſerm. 2. in tempore Reſurrectionis, pag. 906. *Petrus mandatum accepit tertio paſcere gregem Domini. Paſce, inquit, mente, paſce ore, paſce opere, paſce animi oratione, verbi exhortatione, exempli exhibitione.* Et lib. 2. de Conſideratione ad Eugenium III. c. 8. pag. 428. *Habent illi* (Epiſcopi) *ſibi aſſignatos greges, ſinguli ſingulos, tibi univerſi crediti, uni unus. Nec modo ovium, ſed & paſtorum tu unus omnium paſtor. Unde id probem quæris? Ex verbo Domini. Cui enim, non dico Epiſcoporum, ſed etiam Apoſtolorum ſic abſolute & indiſcrete totæ commiſſæ ſunt oves?* Si me amas, Petre, paſce oves meas. *Quas? illius, vel illius populos civitatis, aut regionis, aut certi regni?* Oves meas, *inquit. Cui non planum, non deſignaſſe aliquas, ſed aſſignaſſe omnes? Nihil excipitur, ubi diſtinguitur nihil.*

S. Joannes Chryſoſtomus Hom. 39. adverſus Judæos 6. pag. 471. tom. I. *Petrus adeo abluit illam abnegationem, ut etiam primus Apoſtolorum fuerit factus, eique totus terrarum orbis commiſſus fuerit.* Vide Schelſtratum Diſſertat. 2. tom. 2. Antiquitatis illuſtratæ, & Baronium ad an. 32. §. 6.

Idem Baronius ad an. 34. §. 42. *Eſt obſervatione dignum, numquam Apoſtolos de primatu quæſtionem moviſſe, nec indigne tuliſſe, Petrum præpoſitum ceteris eſſe: verum haud æquanimiter tolerare potuiſſe, Joannem, vel Jacobum fratres apud Chriſtum primos haberi. Hinc videas eoſdem Apoſtolos eadem indignatione percitos, cum mater ipſorum pro duobus filiis ſuis dextram & ſiniſtram in regno petit; de quibus hæc Marcus* cap. X. 41. Et audientes decem indignati ſunt de Jacobo, & Joanne.

in Pſalmum 40. pag. 762. *Ubi Petrus, ibi Eccleſia, ubi Eccleſia, ibi nulla mors, ſed vita æterna.*

XI. *Quando præſertim geſſit perſonam totius Eccleſiæ?*

℟. *Petrus*, ut ait S. Auguſtinus ſerm. 149. cap. 6. *in multis locis Scripturarum apparet, quod perſonam geſtat Eccleſiæ: maxime illo in loco, ubi dictum eſt:* Tibi dabo claves Regni Cælorum. Quæcumque ligaveris in terra, erunt ligata & in Cælo: & quæcunque ſolveris in terra, erunt ſoluta & in Cælo. *Nunquid iſtas claves Petrus accepit, & Paulus non accepit? Petrus accepit, & Joannes, & Jacobus non accepit, & ceteri Apoſtoli? Aut non ſunt iſtæ in Eccleſia claves, ubi peccata quotidie dimittuntur? Sed quoniam in ſignificatione perſonam Petrus geſtabat Eccleſiæ, quod illi uni datum eſt, Eccleſiæ datum eſt. Ergo Petrus figuram geſtabat Eccleſiæ, Eccleſia corpus eſt Chriſti.* (26) Matth. XVI. 19.

XII. *Pontifex conſtitutus quid egit præclare?*

℟. *Petrus Apoſtolorum princeps, & ſupremus Eccleſiæ præco* (27) conſtitutus, auctore D. Luca in Actis Apoſtolorum, datam ſibi a Chriſto Provinciam Act. I. 15. Cap. II.

ne. *Rurſus etiam, cum iidem ſelecti a ceteris ducti eſſent a Domino una cum Petro in montem Tabor*: intravit, *inquit Lucas* cap. IX. 6. *cogitatio in eos, quis eorum major eſſet. Imo, ut ait Marcus* cap. IX. 33. *& in via inter ſe diſputaverunt, quis eorum major eſſet. Ceterum quantumlibet vidiſſent Petrum omnibus a Domino prælatum, ac prærogativis quam plurimis auctum; numquam tamen id infenſo animo tuliſſe ſunt viſi.*

(26) S. Optatus de Schiſmate Donatiſtarum lib. 7. extremo cap. 3. *Stant tot innocentes, & peccator accipit claves, ut unitatis negotium formaretur. Proviſum eſt, ut peccator aperiret innocentibus, ne innocentes clauderent contra peccatores, & quæ neceſſaria eſt, unitas eſſe non poſſet.*

(27) S. Cyrillus Catech. 11. pag. 150.

ciam adminiſtrare aggreſſus, dum Spiritus Sancti adventum una cum Apoſtolis, & aliis fratribus operiretur, de duodenario Apoſtolorum numero explendo cum ipſis egit, & D. Matthiam, in quem ſors ceciderat, in Collegium Apoſtolorum cooptavit. Divini deinde Spiritus lumine illuſtra-
14. 41. tus tanta vi *primus inter Apoſtolos Chriſtum prædi-*
Cap. III. *cavit*, (28) ut una & altera concione octo ho-
6. 12. IV. minum millia ad Chriſtianæ Fidei veritatem tra-
4. duxerit. *Eum poſtea ſanavit, qui in ſpecioſa por-*
Cap. V. 5. 10. 15. *ta ex matris utero ab annis quadraginta claudus erat*. (29) *Ananiam, & uxorem ejus Saphiram mentientes morti increpando tradidit*. (30) Ægrotan-

(28) S. Chryſoſtomus hom. 3. ad populum Antiochenum pag. 40. tom. 1.

(29) Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 16. §. 21. pag. 274.

Hoc fuiſſe primum D. Petri miraculum, legitur apud Ambroſium ſerm. XI. in Feſto SS. Petri, & Pauli pag. 141. & apud Auguſtinum ſerm. 201. Appendicis. Verum quod habet ſermo ille, qui utrique perperam affingitur, ita accipiendum eſt, conceſſam claudo ſanitatem non fuiſſe omnium primum D. Petri miraculum, ſed ſolum primum inter ea, quæ de eo ſcripta ſunt. Nam, ut omittam miracula ab Apoſtolis vivo Chriſto Domino perpetrata, D. Lucas, antequam hoc Petri miraculum c. III. Actorum referret, capite ſuperiore II. 43. jam dixerat, *multa prodigia, & ſigna per Apoſtolos in Hieruſalem* facta. Petrum autem ceteris Apoſtolis etiam in hoc præſtitiſſe, omnes ſibi facile perſuadebunt. S. Chryſoſtom. in Act. hom. 8. pag. 504. *Et alia quidem ſigna non curavit libri hujus ſcriptor: quod autem magnum afferebat ſtuporem, & omnibus novum videbatur, dicit... Fit autem ſignum hoc alios quidem iterum confirmans, alios autem attrahens. Et ſignum quale nondum fecerant, naturalis morbus erat, & major arte medica: imo quadraginta annis claudicans fuerat, ſicut in progreſſu dicit, & nullus illum umquam curavit.*

(30) S. Gregorius lib. 2. Dialog. cap. 30. pag. 261. S. Hieronymus epiſt. 8. ad Demetriadem pag. 65. *Ananias & Saphira præſentem meruere vindictam, non crudelitate ſententiæ, ſed correptionis exemplo. Denique & Apoſtolus Petrus nequa-*

tantium ingentem numerum priſtinæ ſanitati ſola corporis umbra reſtituit, eademque, referente Auguſtino, mortuum ad vitam revocavit. (31) Simonem Magum, qui poteſtatem dandi Spiritum Sanctum pecunia emi poſſe exiſtimabat, objurgatum graviſſimis verbis repulit. (32) Æneam paralyſi annos jam octo laborantem ſanum fecit, ac *Tabitham*, *illam bonorum operum effectricem a mortuis excitavit*. (33) Tandem a Cornelio Centurione juſſu Angeli arceſſitus, ad eum ſe contulit, ipſumque & alios complures Spiritu Sancto viſibilem in modum repletos baptizari juſſit. (34) XIII.

Cap. VIII. 18.
Cap. IX. 33. 40.
Cap. X. 32. 48.

quaquam imprecatur eis mortem, ut ſtultus Porphyrius calumniatur, Dei judicium Prophetico ſpiritu annuntiat, ut pœna duorum hominum ſit doctrina multorum.

Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 181. pag. 54. *Non crudelitatis fuit, quod ſapientiſſimus Petrus eos, qui peccaverant, morte affecit, verum præſcientis doctrinæ multa hominum peccata præſanantis.* Vide commentaria Alardi Gazæi in Caſſianum l. 7. De Spiritu Philargiæ, cap. 25.

(31) In Pſalmum 130. §. 6. *Ad vocem Domini ſurrexerunt mortui, ad umbram tranſeuntis Petri ſurrexit mortuus. Majus hoc videtur, quam illud: ſed Chriſtus facere ſine Petro poterat, Petrus niſi in Chriſto non poterat.*

(32) S. Hieronymus in Matth. cap. 24. pag. 52. *Simon Samaritanus, quem in Actis Apoſtolorum legimus, qui ſe magnam dicebat eſſe Dei virtutem, hæc quoque inter cetera in ſuis voluminibus ſcripta dimittens; Ego ſum ſermo Dei, ego ſum ſpecioſus, ego paracletus, ego omnipotens, ego omnia Dei.*

S. Auguſtinus in Joan. tract. 10. §. 6. *Simon ille ideo volebat emere Spiritum Sanctum, quia vendere volebat Spiritum Sanctum, & putabat Apoſtolos mercatoros tales eſſe, quales Dominus de Templo ejecit. Talis enim ipſe erat, & quod venderet, emere volebat.*

(33) Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 17. §. 27. pag. 277. *Colitur hæc* (Tabitha ſive Dorcades) *a Græcis* 25. *Octobris, ut ex Meneis patet.* Bollandus 2. Febr. pag. 282.

(34) S. Joan. Chryſoſtomus hom. 22. in Act. pag. 609. *Vides unde initium ſit gentium? A viro pio*, nempe Cornelio. Hieronymus epiſt. 9. pag. 74. *Primus ab Apoſtolo baptizatus ſalutem Gentium dedicavit.* Nicolaus I. ad Conſulta

Bul-

XIII. *Quid amplius de Petro Scriptura docet?*

Act. x. 9. 12. ℞. Eum, *cum in domus faſtigio eſſet*, (35) *mentis exceſſu raptum, Cælum apertum vidiſſe, ac per demiſſum, in lintei modum, vas multarum formarum ac naturarum animantibus plenum, neminem, tametſi e Græcis, & Gentibus foret, communem aut immundum dici hominem oportere, perſpicue addidiciſſe*.

Act. xii. 4. 6. (36) Eumdem juſſu Herodis Agrippæ Regis Judæorum conjectum fuiſſe in carcerem, cumque noctu ſuaviſſime dormiret *inter duos milites vinctus catenis duabus*, ab Angelo excitatum, & ſimul ex vinculis, ſimul ex carcere liberatum.

Ad Gal. cap. II. 12. 14. (37) Eumdemque, *cum veniſſet Antiochiam* (*licet hoc Apoſtolorum Acta non ſcribant, ſed affirmanti Paulo credendum ſit*) ut ait S. Hieronymus epiſt. 89. ab eodem Paulo reprehenſum fuiſſe.

Pag. 633. Reprehenſionis cauſſa ea fuiſſe narratur, quod Petrus, qui antea libere cum Ethnicis ad Chriſtum converſis manducaret, & communibus cum illis cibis uteretur, poſtea quibuſdam a Jacobo venientibus ex Circumciſione Chriſtianis, id facere deſtitiſſet, veritus, ne promiſcuus ciborum uſus apud illos

Bulgar. cap. 41. apud Labb. tom. 8. Conc. pag. 531. *Petrus ad Cornelium ingreſſus, quem ipſe Deo præcipiente primum ex gentibus fecerat Chriſtianum*. Eumdem fuiſſe Epiſcopum Cæſaræ in Paleſtina, habes apud Bollandum. 2. Februarij pag. 280.

(35) Baronius ad an. 41. §. 5. exemplis docet, *antiquum plane Hebræorum morem fuiſſe, ut Deum precaturi loca ſuperiora conſcenderent*.

(36) Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 17. §. 27. pag. 277.

(37) Catena una alterius militis ſiniſtram, & Petri dexteram vinciente, altera Apoſtoli ſiniſtram, & alterius militis dexteram. Vide Lipſium in Excurſu ad Annal. Tacit. lib. 3. pag. 511. & in Senecæ epiſt. 5. & Ramireſium de Prado Pentecontarch. cap. 5.

illos aliquid offenſionis haberet. Quo fiebat, ut ſi non *docentis imperio*, ſaltem *converſationis exemplo* Gentes cogeret judaizare, ut loquitur Hieronymus Epiſtola ſupra memorata. (38)

XIV. *Fecitne id Paulus ex animo, an ſimulate?*

℟. Rem magnam petis, & ſumma animorum contentione Hieronymum inter, & Auguſtinum diſceptatam. Hic ſerio & ex animo caſtigatum a paulo D. Petrum contendebat, ille ſimulate & ex compacto; ut exemplo Petri morem Paulo gerentis diſcerent alii, veteris Legis ceremonias abrogandas eſſe, nec Gentilibus ad Chriſti Fidem converſis imponendas. Auguſtini ſententia receptior eſt, Petrum ex animo a Paulo reprehenſum, quod ejus exemplo ita afficerentur animi Ethnicorum, qui Chriſto nomen dederant, ut *non* Ad Gal.
recte ambularent ad veritatem Evangelii. Nam S. Pau- II. 14.
lus ſcribens ad Galatas coram Deo teſtatur, ſe verum dicere. *Quæ autem ſcribo vobis*, inquit, *ecce* Cap. I.
coram Deo, quia non mentior. At mentitus eſſet, 20.
ſi reprehenſio ſimulata fuiſſet. Ita enim ratiocinatur Auguſtinus Epiſt. 82. cap. 2. §. 7. *Si hoc fecit Petrus, quod facere debuit, mentitus eſt Paulus, quod eum viderit non recte ingredientem ad veritatem Evangelii. Quiſquis enim hoc facit, quod face-*

F re

(38) S. Gregorius in Ezech. lib. 2. hom. 6. §. 9. pag. 1368. *Ecce a minore ſuo reprehenditur, & reprehendi non dedignatur. Non ad memoriam revocat, quod primus in Apoſtolatum vocatus ſit, non quod claves Regni Cœleſtis acceperit, non quod peccata quæcumque in terra ſolveret, eſſent ſoluta & in Cœlo, non quod in mare pedibus ambulavit, non quod paralyticos in Jeſu nomine jubendo erexerat, non quod ægros corporis ſui umbra ſanaverat, non quod mentientes verbo occiderat, non quod mortuos oratione ſuſcitabat.*

D. Thomas 2. 2. q. 33. art. 4. ad 2. *Paulus Petrum non reprehendiſſet, niſi aliquo modo par eſſet, quantum ad Fidei defenſionem.*

re debet, recte utique facit. Et ideo falſum de illo dicit, qui dicit, eum non recte feciſſe, quod eum novit facere debuiſſe. Si autem verum ſcripſit Paulus, verum eſt, quod Petrus tunc non recte ingrediebatur ad veritatem Evangelii. Id ergo faciebat, quod facere non debebat: & ſi tale aliquid Paulus ipſe jam fecerat, correctum potius etiam ipſum credam Coapoſtoli ſui correctionem non potuiſſe negligere, quam mendaciter aliquid in ſua epiſtola poſuiſſe: & in epiſtola qualibet, quanto magis in illa in qua prælocutus ait: Quæ autem ſcribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior? Hac & aliis generis ejuſdem rationibus permotus Hieronymus in Auguſtini demum & Cypriani ſententiam ivit. (39) *Unde verum eſt, quod Petrus peccavit, & Paulus vere eum, non ſimulatorie reprehendit. Non autem peccavit* Petrus *in hoc, quod ad tempus Legalia obſervabat; quia hoc ſibi licebat tamquam ex Judæis converſo: ſed peccabat in hoc, quod circa Legalium obſervantiam nimiam diligentiam adhibebat, ne ſcandalizaret Judæos, ita quod ex hoc ſequeretur gentilium ſcandalum.* (40)

XV.

(39) Teſtatur id Auguſtinus Epiſt. 180. §. 5. ad Oceanum, ubi nonnullis de hac controverſia præmiſſis, ſubjungit: *Sed quid hinc diutius? cum de hac quæſtione inter nos ego, & prædictus venerabilis frater Hieronymus ſatis litteris egerimus; & in hoc opere recentiſſimo, quod ſub nomine Critobuli adverſus Pelagium modo edidit, eamdem de iſta re geſta, dictiſque Apoſtolicis ſententiam tenuit, quam beatiſſimi Cypriani etiam nos ſecuti ſumus.* Locus autem D. Hieronymi habetur l. 1. adver. Pelag. c. 8. pag. 562. *Vult certe Deus, tales eſſe Epiſcopos, ſive Presbyteros, quales vas electionis decet. Primum quod dixit,* Irreprehenſibilis, *aut nullus, aut rarus. Quis eſt enim, qui non quaſi in pulcro corpore aut nævum aut verrucam habeat? Si enim ipſe Apoſtolus dicit de Petro, quod non recto pede inceſſerit in Evangelii veritate, & in tantum reprehenſibilis fuerit, ut & Barnabas adductus ſit in eamdem ſimulationem, quis indignabitur, id ſibi denegari, quod Princeps Apoſtolorum non habuit?*

(40) D. Thomas 1. 2. quæſt. 103. art. 4. ad 2.

XV. *Nonne fuerunt, qui non Petrum Apoſtolum, ſed alium a Paulo reprehenſum exiſtimarent?*

℟. Textus Latinus Epiſtolæ ad Galatas, in qua, ut ſupra dictum eſt, Paulus hiſtoriam Petri a ſe reprehenſi narrat, Cepham pro Petro habet. Eamdem lectionem habuit olim textus etiam Græcus, qua lingua primum Epiſtola illa ſcripta eſt. Hinc exſtitere nonnulli, qui haud æquum eſſe rati, Petrum Apoſtolorum Principem a Paulo reprehenſum dici, ſecuti Petrum Alexandrinum apud Euſebium lib. 1. Hiſt. Eccl. cap. 12. exiſtimarunt, Cepham illum non fuiſſe Apoſtolum, ſed *unum ex ſeptuaginta diſcipulis Petro Apoſtolo cognominem*. Sed hos poſt Chryſoſtomum refellit D. Hieronymus ſuis in eum locum Commentariis: *Quibus primum reſpondendum*, inquit, *alterius neſcio cujus Cephæ neſcire nos nomen, niſi ejus, qui & in Euangelio, & in aliis Pauli Epiſtolis, & in hac quoque ipſa modo Cephas, & modo Petrus ſcribitur.... Deinde totum argumentum Epiſtolæ, quod oblique de Petro, Jacobo, & Joanne dicitur, huic intelligentiæ repugnare*. Magnus quoque Gregorius in Ezechiel. lib. 2. hom. 6. §. 10. præpoſteram eorum interpretationem ratione hac firmiſſima confutavit: *Patet ergo, de quo Petro Paulus loquitur, quem & Apoſtolum nominat, & præfuiſſe Evangelio Circumciſionis narrat*. Quibus addi poteſt, non facile futurum fuiſſe, ut Barnabas alterius, quam Petri auctoritate in eandem ſimulationem adduceretur. (41) Cap. II. 9. 11. Bar. ad an. 51. §. 35. Pag. 128.

F 2 XVI.

(41) Hanc opinionem vetuſtate extabeſcentem noviſſime excitavit Harduinus diſſertat. in cap. 2. Epiſtolæ ad Galatas, ubi conjicit, Cepham fuiſſe alterum ex diſcipulis,

XVI. *Quid præterea certi de Petro habes?*

Bar. ad an. 39. §. 8. 9. ℟. Duas in primis Eccleſias fundaſſe, Antiochenam & Romanam. Antiochiam enim Orientis Metropolim anno Chriſti 37. veniens, Patriarchalem ibi Sedem erexit. Hujus rei teſtes habeo Euſebium, Hieronymum, & Pontificem Innocentium I. qui quidem *primam primi Apoſtoli Sedem* Antiochiam faciens, Panvinium refellit ſine Auctore affirmantem, Petrum Romæ primum, ac deinde Antiochiæ ſediſſe, ac proinde Antiochenam Eccleſiam poſt Romanam ab eo inſtitutam fuiſſe. (42)

XVII. *Antiochenæ Eccleſiæ quot annis præfuit?*

Bar. ad an. 39. §. 9. & ad an. 44. §. 26. ℟. Fere ſeptem. Nam Chryſoſtomus *longo tempore* Antiochiæ commoratum, ſcribit Hom. 42. tom. 1. Liber vero Pontificalis, & Gregorius Magnus annos aperte *ſeptem*. (43) Cave tamen putes,

lis, quibus apparuit Chriſtus, proficiſcentibus Hieroſolyma Emmauntem. Sed confutatus eſt ab Auguſtino Calmet diſſert. 1. in memoratam Epiſtolam ad Galatas, & Cæſare Calino Exercitat. Hiſtorica in Act. Apoſt. lib. 2. cap. 5. Vide noſtram Diſputationem primam ad Vitas Pontificum Romanorum a nobis deſcriptas.

(42) Innocentius I. epiſt. 18. §. 1. apud Lab. tom. 2. Conc. pag. 1269. Antiochia *prima primi Apoſtoli ſedes eſſe monſtratur, ubi & nomen accepit religio Chriſtiana, quæque Urbis Romæ Sedi non cederet, niſi quod illa in tranſitu meruit, iſta ſuſceptum apud ſe conſummatumque gauderet*. Eadem repetit Nicolaus I. ep. 8. tom. 8. Conc. pag. 315.

Baronius ad an. 39. §. 10. *Omnium Apoſtolorum ſententia, ut æquum eſt credere, factum eſt, ut Petrus Apoſtolorum Princeps totius Syriæ Principi Civitati atque Metropoli, cui & Palæſtina, ipſaque Hieroſolyma ſubjaceret, præficeretur Epiſcopus*. Vide Diſputationem noſtram ſecundam.

(43) Liber Pontificalis in Vita Petri apud Labbeum tom. 1. Conc. pag. 63.

S.

tes, per illud temporis ſpatium Antiochia nunquam diſceſſiſſe. Tradidit enim interea Chriſtianam doctrinam Judæis incolentibus Pontum, Galatiam, Bithyniam, Cappadociam, atque Aſiam, Siquidem hunc non unius Urbis, ſed univerſi Orbis Magiſtrum eſſe, Chriſtus decreverat. (44)

XVIII. *Romam profectus cui Antiochenam Eccleſiam adminiſtrandam reliquit?*

℞. Euodiuſne, an Ignatius proximus poſt Petrum Antiochenæ Eccleſiæ præfuerit, dubium inter antiquos Scriptores eſt. (45) Baronius ad an. 45. §. 14. & ad an. 71. §. 11. ita controverſiam dirimit. Conjicit enim, utrumque eodem tempore Antiochenum Epiſcopum factum, Euodium quidem a D. Petro, Ignatium autem a D. Paulo, ut alter Judæis, alter Ethnicis ad veræ Religionis cultum converſis inter ſe ſecundum morem diſſidentibus præeſſet: qua diſſenſione tandem ſublata, ſolum Euodium, Ignatio libentiſſime concedente, Epiſcopalia Jura obtinuiſſe. Baronio conſentit Natalis Alexander Diſſert. XIV. Sæc. I. At numquam ſe Epiſcopatu Ignatium abdicaſſe, ſed

 una

S. Gregorius epiſt. 40. lib. 7. pag. 888. *Itaque cum multi ſint Apoſtoli, pro ipſo tamen principatu ſola Apoſtolorum Principis ſedes in auctoritate convaluit, quæ in tribus locis unius eſt. Ipſe enim ſublimavit Sedem, in qua etiam quieſcere & præſentem vitam finire dignatus eſt. Ipſe decoravit Sedem, in qua Evangeliſtam diſcipulum miſit. Ipſe firmavit Sedem, in qua ſeptem annis, quamvis diſceſſurus, ſedit.* Lege Hincmarum Remenſem Opuſculo 55. cap. 16.

(44) Chryſoſtomus in Joan. hom. 87. pag. 451. *Quod ſi quis percontaretur, quomodo igitur Jacobus Sedem Hieroſolymis acceperit? reſponderem, hunc totius Orbis magiſtrum præpoſuiſſe* Petrum. Euthymius quoque in cap. ult. Joan. tom. 19. Bibl. Patr. pag. 727. ſcribit eodem modo.

(45) Id videre licet apud Tillemontium annotat. 1. in S. Ignatium pag. 576. tom. 2.

una cum Euodio Antiochenam Eccleſiam continenter rexiſſe, opinantur Petrus Haloixius Societatis Jeſu in Vita Ignatii, & Henricus Hammondus Presbyter Anglus *de Epiſcopatus Juribus* lib. 5. cap. 1, §. 18. (46)

XIX. *Quomodo probas etiam Romanam Eccleſiam a D. Petro inſtitutam?*

Bar. ad an. 44. §. 25. 26. 51. ℟. D. Petrum anno Chriſti 44. & Claudii Imperatoris 2. divinis, ut credere par eſt, oraculis admonitum Romam Antiochia veniſſe, Cathedram inde translatam Romæ collocaſſe, ibique æternam Chriſti Vicario ſedem poſuiſſe, communis eſt veterum Patrum ſententia, quamvis de tempore adventus ejus non eadem ſit omnium opinio. (47) Ne hæretici quidem ante ſeculum Chriſti XV. de hoc dubitarunt, Primus omnium, Romam aliquando veniſſe Petrum, negavit Guilielmus præceptor Joannis Wiclefi, quem audacter ſecuti ſunt Lutherus & Magdeburgenſes: Calvinum alioſque negare puduit ob conſenſum Scriptorum, qui Romanam Sedem Petri Cathedram nuncupant. Quin Pearſonius inter juniores Heterodoxos clariſſimus Differt. 1. *de ſucceſſione primorum Romæ Epiſcoporum* cap. 6. & 7. veteris memoriæ ordinem ſecutus oſtendit, numquam dubitatum ab antiquis, quin Petrus Romanam Eccleſiam inſtituerit, numquam non habitum pro certo, Romanos Pontifices Petri Succeſſores eſſe. Etiam Baſnagius ad an. 64. §. 9. fatetur, *nullam umquam traditionem fuiſſe, quæ majore*

(46) Ut eſt apud eumdem Tillemontium pag. 576. & 577.

(47) *Ipſis Claudii Auguſti temporibus benigna & clementiſſima Dei providentia fortiſſimum & maximum inter Apoſtolos Petrum, & virtutis merito reliquorum omnium principem Romam perducit*; Euſebius lib. 2. Hiſt. Eccl. extremo cap. 14.

jure teſtium numero cingatur: ita ut de Petri in urbem adventu ambigi non poſſit, quin omnia hiſtoriæ fundamenta convellantur. (48)

XX. *Romam cum adveniſſet, ubi habitavit?*

℞. In ea Urbis parte habitaſſe exiſtimo, quam Judæi contribules ejus trans Tiberim tenebant. (49) Ubi vero Petrus prædicatione Evangelii Gentilibus Romanis innotuit, a Pudente, quem a ſuperſtitione ad Chriſtianas leges, moreſque perduxerat, in domum ſuam in Viminali poſitam receptus eſt. Quo poſtea loco Titulus eſt erectus, Pudentis, & Paſtoris nomine nuncupatus, hodie vulgo Eccleſia S. Pudentianæ. (50)

XXI. *Romæ quid peculiare egiſſe traditur?*

℞. Non dubium eſt, quin Romæ Evangelium prædicaverit, & omnia egerit, ut Urbs vanas aſpernata ſuperſtitiones, ad ſolidam cæleſtis doctri- Bar. ad an. 68. §. 17.

(48) Vide Diſſertationem 3. tom. 2. Antiquitatis illuſtratæ ab Emmanuele Schelſtrato cap. 1. & 2. itemque Diſſertationem Auguſtini Calmet epiſtolis Canonicis præpoſitam, quæ eſt de profectione D. Petri Romam: & ſi placet, etiam tertiam ex noſtris diſputationibus, quæ eſt *de Cathedra D. Petri Romana*.

(49) Philo Judæus De legatione ad Cajum pag. 1014.

(50) Baronius in Apparatu ad Annales §. 29. in Annalibus ad an. 44. §. 61. & in Martyrologium Romanum 19. Maji.

Joannes Bona l. 1. Rer. Liturgic. c. 19. §. 1. *Quæ autem fuerit Eccleſia prima præ omnibus in Urbe conſecrata, an ea, quæ in Exquiliis Titulus Eudoxiæ, ſive S. Petri ad vincula poſtmodum dicta fuit; an Titulus Paſtoris, nunc S. Pudentianæ in colle Viminali, an vero alia, diligenter exquirit Florentinius Exercitat. XI. ad diem 1. Auguſti, in qua multa congerit de primi, ſecundi, & tertii ſæculi Eccleſiis.*

næ cognitionem perveniret. (51) Id verò unum de Petro in Urbe commorante peculiare traditur, ei cum Simone Mago de Miraculis perpetrandis fuiſſe certamen. De eo narrant Arnobius l. 2. Adver. Gentes, Euſebius l. 2. c. 14. Cyrillus Hieroſolymitanus catech. 6. §. 15. Epiphanius hær. 21. §. 5. Theodoretus l. 1. Hæretic. Fabul. c. 1. Ambroſius hexaem. l. 4. c. 8. Auguſtinus epiſt. 36. c. 9. (52) & hær. 1. Hieronymus, qui De Script. Eccleſ. cap. 1. tradit, Petrum Romam veniſſe *ad expugnandum Simonem Magum*, & alii quam plurimi. Scio eſſe, qui de hujus certaminis veritate dubitent, quod nullus veterum Scriptorum ante Arnobium, qui Sæculo quarto ineunte floruit, ejus rei meminerit. Ego vero Simonem Magum a Dæmonibus in aera ſubvectum, & a D. Petro fuſis ad Deum precibus dejectum, lapſu debilitatum periiſſe, negare non auſim. Primum quia mihi non perſuadeo, Arnobium, dum adverſus Gentes ſcriberet, & quidem de re Romæ, hoc eſt in totius Orbis conſpectu geſta, auſum fuiſſe aliquid in

(51) Tertullianus de Baptiſmo cap. 4. pag. 225. *Nec quidquam refert inter eos, quos Joannes in Jordane, & quos Petrus in Tiberi tinxit.*

S. Leo ſerm. 80. cap. 3. *Hic colluctantes philoſophiæ opiniones, hic diſſolvendæ erant terrenæ ſapientiæ vanitates, hic confutandus Dæmonum cultus, hic omnium Sacrificiorum impietas deſtruenda, ubi diligentiſſima ſuperſtitione habebatur collectum, quidquid uſquam fuerat vanis erroribus inſtitutum.*

Prædicationis Petri fragmenta ex Clemente Alexandrino, Lactantio, Gregorio Nazianzeno, Joanne Damaſceno, Oecumenio recitat Grabius tom. 1. Spicilegii Sanctorum Patrum pag. 62.

(52) Verba ejus ſunt: *Eſt hac opinio plurimorum, quamvis eam perhibeant eſſe falſam pleriſque Romani, quod Apoſtolus Petrus cum Simone Mago die Dominico certaturus, propter ipſum magnæ tentationis periculum, pridie cum ejuſdem Urbis Eccleſia jejunaverit, & conſecuto tam proſpero glorioſoque ſucceſſu, eumdem morem tenuerit, eumque imitatæ ſint nonnullæ Occidentis Eccleſiæ.*

in medium afferre, quod poſſet in dubium vocari; deinde quia donec validiores ab adverſariis afferantur probationes, id credere malo, quam pæne innumeros, eoſque nobiliſſimos Græcæ, & Latinæ Eccleſiæ Patres nimiæ atque adeo inconſideratæ credulitatis inſimulare. (53)

XXII. *Numquamne Roma diſceſſit?*

℟. Certum habeo, anno Chriſti circiter quinquageſimo primo, ſeptimo poſt ſuum in eam Urbem adventum, inde emigraſſe ob edictum Claudii Imperatoris, quo Judæi *impulſore Chreſto aſſidue tumultuantes*, ut ait Suetonius in Claudio cap. 25. Roma pulſi ſunt. (54) Tunc Hieroſolymam ve- Act. XVII. 2.

(53) Arnobius, Theodoretus, Ambroſius, Auguſtinus, quos modo nominavi, & præterea Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum l. 6. c. 9. ſcribunt, eam de Simone Mago victoriam retuliſſe Petrum ſolum: alii Petrum ſimul, & Paulum, ut Cyrillus Hieroſolymitanus catech. 6. §. 15. Sulpitius Severus l. 2. Hiſtoriæ ſacræ c. 28. Maximus Taurinenſis hom. 5. de ſanctis Apoſtolis. Quidam ſolis precibus triumphum illum acceptum referunt, ut Cyrillus, & Ambroſius: nonnulli ad preces addunt jejunium, ut ii, quorum opinionem refert Auguſtinus epiſt. 36. cap. 9. & Caſſianus de inſtitutis Cœnobiorum l. 3. c. 10. Alii Simonem fractis cruribus; alii toto corpore debilitatum periiſſe, aſſeverant. Sed varietas hæc tanti non eſt, ut hiſtoriæ alioquin certiſſimæ fidem labefactare poſſit.

Ratramnus Contra Græcorum oppoſita lib. 4. cap. 3. pag. 98. tom. 1. Spicilegii Dacheriani: *Scribitur, Petrum & Paulum Apoſtolos contra Simonem Magum dimicaturos die Sabbato jejunaſſe: hac de cauſſa Romanis conſuetudinem factam eſſe in omni Sabbato jejunandi*. Id ipſum tradit Glycas in Annalibus part. 3. pag. 182. editionis Venetæ.

(54) *Chreſti* nomine ab Ethnicis appellari conſueviſſe Chriſtum Salvatorem, docet Baronius ad an. 43. §. 13. Cellarius diſſertat. Academic. 17. de primo Principe Chriſtiano § 8. & Calmetus in Act. cap. XI. 26. quibus magis credam, quam Uſſerio, qui in Annalibus Veteris, & Novi Te-

Bar. ad an. 51. §. 8. veniens primas egit in Concilio, quod ea in Urbe celebratum eſt. Poſt annos fere quinque, Claudio vita jam defuncto, Romam reverſus, ibi ad obitum uſque manſit.

XXIII. *Quem ſibi in Romana Cathedra elegit ſucceſſorem?*

℟. Non habeo, quibus plane aſſentiar. Irenæus lib. 3. adver. hær. c. 3. memoriæ prodit, *Lino Epiſcopatum adminiſtrandæ Eccleſiæ* a Petro traditum; Tertullianus Clementi datum. *Hoc enim modo*, ait De Præſcript. c. 32. *Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt: ſicut Smyrnæorum Eccleſia Polycarpum ab Joanne collocatum refert: ſicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum itidem. Perinde utique & ceteræ exhibent, quos ab Apoſtolis in Epiſcopatum conſtitutos Apoſtolici ſeminis traduces habeant*. Itaque ſicut Polycarpus ab Joanne inauguratus eſt, ut eſſet Antiſtes Eccleſiæ Smyrnæorum; ita Clemens a Petro ordinatus dici debet, ut eſſet Pontifex Romanorum: alioquin non recte Tertullianus duas illas Eccleſias inter ſe ſe compa-

Teſtamenti ad an. Ch. 54. ſibi perſuadere non poteſt; Chriſtum eo loci ab Suetonio deſignatum fuiſſe. V. Hiſtoriam noſtram Familiæ Sacræ cap. 21. Haud dubium vero eſt, ut animadvertit idem Baronius ad an. 51. §. 1. *Judæos adverſus Petrum Romæ Evangelium prædicantem turbas ſæpius exciviſſe, rurſumque alios Chriſtianæ Fidei ſtudentes eiſdem fortiter reſtitiſſe*. Quo factum, ut Tranquillus ſcriberet, eos *impulſore Chreſto*, hoc eſt cauſſam præbente Chriſti doctrina, tumultuari ſolitos. Vide Fabricium in Salutari Luce Evangelii pag. 135. & Ittigium Hiſt. Eccl. cap. 6. § 4. pag. 324.

Lactantius de vera ſapientia lib. 4. cap. 7. *Chriſtus non proprium nomen eſt, ſed nuncupatio poteſtatis, & regni. Sic enim Judæi reges ſuos appellabant. Sed exponenda hujus nominis ratio eſt propter ignorantium errorem, qui eum immutata littera Chreſtum ſolent dicere.*

Digitized by Google

paraſſet. Ex Scriptoribus tam antiquis, quam recentibus alii Irenæum ſequuntur, alii Tertullianum. Baronius, cujus præ ceteris ſententiam probant Natalis Alexander, Cotelerius, Bollandus, Tillemontius, ſecutus conjecturam Epiphanii Hær. 27. §. 6. utroſque ita componit. Scribit enim ad an. 69. §. 43. S. Clementem accepiſſe quidem a D. Petro Epiſcopatum, modeſtiæ tamen cauſſa de ſuo cedentem Jure collatam ſibi dignitatem recuſaſſe, donec Linus, & Cletus Petri ipſius in Epiſcopali munere Adminiſtri alius poſt alium, opera, crediderim, ejuſdem Clementis a Clero electi, Romanam Eccleſiam gubernarent. (55)

XXIV. *Quot annos Romanus Epiſcopus fuit?*

℟. Quinque & viginti. Venit enim Romam anno Claudii ſecundo, ut ait Euſebius in Chronico ad an. Dom. 44. *ubi Evangelium prædicans viginti quinque annis ejuſdem Urbis Epiſcopus* perſeveravit. Cum Euſebio facit S. Hieronymus in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 1. *Secundo Claudii Imperatoris anno ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibique viginti quinque annis Cathedram Sacerdotalem tenuit uſque ad ultimum annum Neronis, id eſt, decimum quartum*, qui cum anno Chriſti nono & ſexageſimo congruit. Lactantius vero, qui *de mortibus perſecutorum* cap. 2. refert, Petrum ad urbem adventaſſe, *cum jam Nero imperaret*, loquitur de altero D. Petri Romam adventu, qui Nerone imperante contigit. (56)

Bar. ad an. 44. §. 25.

XXV.

(55) Vide Diſputationem noſtram IV.

(56) Romanam Eccleſiam per annos quinque ſupra viginti a D. Petro adminiſtratam pluribus confirmat Schelſtratus eo in libro, cui titulus: *Antiquitas Eccleſiæ illuſtrata*, diſſert. 1. c. 5. art. 4. §. 5. Lege annotationem 10. ad Vitam S. Petri, quæ eſt in deſcriptis a nobis Vitis Pontificum Romanorum

XXV. *Utra ex duabus Eccleſiis a D. Petro inſtitutis primatum ſibi jure vendicat?*

℞. Romana. Nam Antiochena, cui Joannes Calvinus lib. 4. Inſtit. c. 6. §. 12. *Primatum* adjudicat, nunquam illum ſibi uſurpavit: imo ejus Epiſcopus canone ſexto Concilii Nicæni tertium duntaxat locum inter Patriarchas obtinuit. Neque vero poterat Antiochenus Epiſcopus contendere, ſe Succeſſorem eſſe D. Petri, quod attinet ad dignitatem Summi totius Eccleſiæ Præſidis. Siquidem ei tantum ſucceditur, qui naturali, aut legitima morte, hoc eſt, abdicatione ſpontanea, vel coacta locum deſerit. At Petrus vivens adhuc, & Summum gerens Pontificatum ab Antiochena ad Romanam Eccleſiam tranſiit, ac proinde ad hanc ab illa tranſtulit *Primatum* ſuum; cumque Romæ mortuus Summum ibidem depoſuerit Sacerdotium, ſequitur, qui ei ſuccedit Romanus Epiſcopus, illum pro univerſalis Eccleſiæ capite habendum eſſe. Hæc dixi quam breviſſime, quia pleni ſunt libri magnorum virorum pro hoc ipſo Romanæ Eccleſiæ *Primatu* diſſerentium.

XXVI. *Quo anno, & quo die Petrus morte affectus eſt?*

Ad An. 69. §. 1. 3. 19. ℞. Annus diſcrepat. Baronio placet, anno Chriſti 69. capite converſo in terram pedibuſque ſurſum elevatis crucifixum eſſe; (57) aliis alio an-

(57) S. Ambroſius de interpellatione Job. lib. 1. cap. 1. pag. 615. *De Petro quid loquar, qui Crucem ſuam futura remuneratione arbitratus, inverſo ſuſpendi popoſcit veſtigio, ut aliquid paſſioni ſuæ adderet, cujus acerbare ipſe ſibi ſupplicia non timeret?* Et in Pſal. 118. Octon. 21. pag. 1079. *Non fuit oppro-*

anno. (58) Ad diem vero quod attinet, tertio Kal. Julii, & quidem ſæviente prima Eccleſiæ perſecutione a Nerone excitata, una cum D. Paulo morti datum, convenit. Quo die in omnibus Martyrologiis utriuſque memoria celebratur. (59)

XXVII. *Qua de cauſſa morte affectus eſt?*

℟. Duarum rerum cauſſa; tum quod nova & inaudita tradens præcepta *doceret caſtimoniam*, quemadmodum placuit Ambroſio, & Aſterio, affirmanti, Neronem *majori a labefactata voluptate affectum dolore, quam ſi Imperio ipſo pulſus eſſet:* (60)

probrio Petro crux Chriſti, quæ tantum ei gloriæ dedit, ut inverſis Chriſtum honoraret veſtigiis, metuens, ne ſi ea ſpecie crucifixus eſſet, qua Dominus, affectaſſe Domini gloriam videretur. Vide Baronium ad an. Ch. 69. §. 19. & Lipſium lib. 3. De Cruce cap. 8.

(58) Petrus Couſtant Diſſertatione prævia ad Epiſtolas Romanorum Pontificum pag. 1. tom. 1. *Ne de anno quidem, quo Apoſtoli Petrus & Paulus vitam finierunt, inter eruditos convenit. Euſebius in Chronico, quem & Hieronymus libro de viris illuſtribus cap. 1. & 15. ſequitur, eos Neronis anno 14. hoc eſt Chriſti 68. obiiſſe tradit. Sed cum eoſdem Apoſtolos Neronis juſſu peremtos Hieronymus ſimul & Euſebius, nullo reclamante aut repugnante, conſcribant, ac Neronem ipſo anno Chriſti 68. ante 29. Junii diem interiiſſe conſtet; minime accurata eſt hæc Euſebii, Hieronymique epocha, ſi Petri & Pauli martyrium in eum diem, quo illud Eccleſia celebrat, incidit. Epiphanius hær. 27. §. 6. horum Apoſtolorum necem in annum Neronis 12. hoc eſt Chriſti 66. incurriſſe, auctor eſt: atque ab hac opinione ſtant eruditi nonnulli. Ei tamen plures anteponunt alteram, quam Hieronymus lib. de viris illuſtr. cap. 22. retegit, ubi Senecam* ante biennium, quam Petrus & Paulus coronarentur martyrio, a Nerone interfectum, *docet. Hunc quippe philoſophum undecimo Neronis anno interfectum eſſe, aliunde notum eſt. Ex quo ſequitur, ut Petrus & Paulus anno Neronis 13. Chriſti 67. martyrio ſint coronati; & ab eodem anno Pontificis illius, qui Petro proxime ſucceſſit, exordia repetenda ſint.*

(59) Vide annum, & diem mortis D. Pauli.

(60) tum quod Simonem Magum in illo certamine de perpetrandis miraculis ope Dæmonis ſublatum in aera deturbaſſet, & inſignem de malefico præſtigiatore victoriam tota Urbe inſpectante retuliſſet, ut plurimi ex antiquis Patribus conſentiunt.

XXVIII. *Nihilne inſuper de Petri morte doces?*

Bar. ad an. 69. §. 6. ℞. Hoc, quod Ambroſius De Baſilicis non tradendis concione 1. narrat. Accipe ejus verba: *Idem Petrus poſtea, victo Simone, cum præcepta Dei populo ſeminaret, doceret caſtimoniam, excitavit animos Gentilium. Quibus eum quærentibus, Chriſtianæ animæ deprecatæ ſunt, ut pauliſper cederet. Et quamvis eſſet cupidus paſſionis, tamen contemplatione populi precantis inflexus eſt. Rogabatur enim, ut ad inſtituendum & confirmandum populum ſe reservaret. Quid multa? nocte muro egredi cœpit, & videns ſibi in porta Chriſtum occurrere, urbemque ingredi, ait,* Domine quo venis? *Reſpondit Chriſtus,* Venio Romam iterum crucifigi. *Intellexit Petrus, ad ſuam crucem divinum pertinere reſponſum. Chriſtus enim non poterat iterum crucifigi, qui carnem paſſione ſuſceptæ mortis exuerat. Intellexit ergo Petrus, quod iterum Chriſtus crucifigendus in ſervulo; itaque ſponte remeavit. Interrogantibus Chriſtianis reſponſam reddidit; ſtatimque correptus per crucem ſuam honorificavit Dominum Jeſum.* Eamdem hiſtoriam leviter attingunt S. Athanaſius Apologia I. de fuga ſua pag. 713. & Origenes tract. 21. in Joan. recitant Hegeſippus lib. 3. de excidio Urbis Hieroſolymitanæ cap. 2. Etherius item & Beatus lib. 1. adverſus Elipandum: appro-

(60) Ambroſius De Baſilicis non tradendis pag. 100. tom. 5. Aſterius hom. 8. tom. 5. Bibl. Patr. pag. 830.

probat Innocentius III. in cap. *Per venerabilem*. 13. Qui filii ſint legitimi. (61)

XXIX. *Quid affers de catenis, quibus vinctus fuit?*

℟. Ex *catenis duabus*, quibus innexus juſſu Herodis Agrippæ in carcerem conjectus eſt, alteram dici dono datam Eccleſiæ Conſtantinopoli Petro ſacræ ab Eudoxia Theodoſii junioris uxore, quæ anno 439. Hieroſolymis fuerat; alteram miſſam Romam ad Eudoxiam filiam Valentiniano III. nuptam, quæ ad perennem ejus catenæ, & S. Petri memoriam ædificandam curavit Baſilicam, quæ *Titulus Eudoxiæ*, itemque *S. Petri ad vincula* dicta eſt. Ibidem coli catenam aliam, qua vinctus ſub Nerone in Mamertino carcere detentus fuit, quam collatam cum illa, quæ Hieroſolymis allata fuerat, eidem divino miraculo conjunctam ferunt. De Catenis Hieroſolymitanis ita canit Arator: Act. XII. 6. Bar. ad an. 439. §. 5. 6. 7.

Manet omne per ævum
Pignoris hujus apex, & Sideris obtinet inſtar,
Corpore quod Petrus ſacravit, & Angelus ore:
His ſolidata fides. Iſtis tibi Roma catenis
Perpetuata ſalus: harum circumdata nexu
Libera ſemper eris. Quid enim non vincula præſtant,
Quæ tetigit, qui cuncta poteſt abſolvere?

De Romanis vero ita ſcribit Auguſtinus, ſive alius, certe antiquus, ejus ſermonis auctor: *Merito*

(61) Hegeſippus tom. 5. Bibl. Patr. pag. 1161. Echerius, & Beatus tom. 13. pag. 364. Lambertinus De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 3. cap. 50. §. 6. pag. 471. *Romæ adhuc extat quædam Ædicula ſacra in hujus Apparitionis monumentum, quæ dicitur:* Domine quo vadis? *Panvinius* de ſeptem Urbis Eccleſiis pag. 131. Vide Bolland. die 29. Jun. pag. 432. § 3. n. 16.

to per omnes Chriſti Eccleſias auro pretioſius habetur ferrum illud pœnalium vinculorum . . . . . Felicia vincula , quæ reum ſuum uſque ad Chriſti crucem non tam condemnatura , quam conſecratura miſerunt . (62) Porro Eccleſia in qua Petri catenæ Romæ aſſervantur, Kal. Auguſti dedicata videtur, quod in cauſſa eſt, opinor, cur eo die memoria Petri ab Angelo vinculis ſoluti celebretur, quamvis id menſe Aprili contigerit. (63) Græci alteram Petri catenam Hieroſolymitanam colunt XVII. Kal. Februarii.

XXX. *Ejus corpus quo in loco ſepultum eſt?*

℟. Gregorio Magno referente, in Catacumbas primum, ſecundo ab Urbe lapide illatum eſt, atque inde poſtea translatum in Vaticanum, ubi
Bar. ad an. 69. §. 18.20.23. 24. etiamnum quieſcit. Ætate certe D. Hieronymi ſepultum fuiſſe *in Vaticano juxta viam triumphalem* exploratum habeo. (64) Quin *Cajus quidam vis Ca-*

(62) Arator Subdiaconus extremo libro I. Hiſtoriæ Apoſtolicæ tom. 10. Bibl. Patr. pag. 132. Auguſtinus ſerm. 203. Appendicis §. 5.

(63) Baronius ad an. 439. §. 7. *Quam ſolitæ fuerint catenæ iſtæ coruſcare miraculis, S. Gregorius Papa in ſuis ad diverſos epiſtolis locuples teſtis eſt. Morem vero fuiſſe Romanorum Pontificum pro nobili munere aliquid ex limatura earumdem catenarum ad inſigniores perſonas mittere, plurima exempla declarant.* Inſerebantur autem particulæ hæ parvulæ Cruci, vel Clavibus, ut eſt apud eumdem Gregorium l. 3. epiſt. 33. & l. 6. epiſt. 6. poſtremæ editionis.

(64) Verba Gregorii ſunt hæc ex Epiſtola 33. libri 4. pag. 710. *De corporibus vero beatorum Apoſtolorum quid ego dicturus ſum, dum conſtet, quia eo tempore, quo paſſi ſunt, ex Oriente Fideles venerunt, qui eorum corpora, ſicut civium ſuorum repeterent? Quæ ducta uſque ad ſecundum urbis milliarium, in loco, qui dicitur Catacumbas, collocata ſunt. Sed dum ea exinde levare omnis eorum multitudo conveniens niteretur, ita eos vis tonitrui atque fulguris nimio metu terruit atque*

Catholicus, *qui Zephyrini Romanæ Urbis Epiſcopi temporibus floruit*, *in eo libro*, *quem ſcripſit adverſus Proculum patronum ſectæ Cataphrygarum*, *de loco*, *in quo Apoſtolorum Petri & Pauli ſacra corpora depoſita ſunt*, *ita loquitur* apud Euſebium lib. 2. Hiſt. Eccl. cap. 25. *Ego vero*, *inquit*, *Apoſtolorum tropæa poſſum oſtendere*. *Nam ſive in Vaticanum*, *ſive ad Oſtienſem viam pergere libet*, *occurrent tibi tropæa eorum*, *qui Eccleſiam illam fundaverunt*. Nunc utriuſque capita argenteis thecis incluſa, Urbano V. Pontifice, in Lateranenſi Æde religioſiſſime ſervantur. (65)

XXXI. *Num quæ exſtant D. Petri ſcripta?*

℟. Epiſtolæ duæ, quæ habita ratione temporis primum locum obtinent inter Epiſtolas Apoſtolorum, quas *Canonicas* vocant. Utraque ad eoſdem ex Circumciſione Chriſtianos miſſa eſt. Sic enim prima inſcribitur: *Electis advenis diſperſionis Ponti*, *Galatiæ*, *Cappadociæ*, *Aſiæ*, *& Bithyniæ*: Ep. I. c. III. 1. in altera etiam ita dicitur: *Hanc ecce vobis ſecundam ſcribo epiſtolam*. Ep. 2. c. III. 1.

atque diſperſit, *ut talia denuo nullatenus attentare præſumerent*. *Tunc autem exeuntes Romani eorum corpora*, *qui hoc ex Domini pietate meruerunt*, *levaverunt*, *& in locis*, *quibus nunc ſunt condita*, *poſuerunt*.

Hieronymi ſunt iſta in libro de Scriptor. Eccl. cap. 1. pag. 265. *Sepultus Romæ*, *in Vaticano juxta viam Triumphalem*, *totius urbis veneratione celebratur*.

(65) Joannes Mabillonius Muſæi Italici tom. 1. pag. 15. *Ciborium majoris Altaris inſigne eſt*, *in cujus ſummo duo Apoſtolorum Petri*, *& Pauli capita in duabus ex argento thoracatis ſtatuis aſſervantur*. *Has thecas primum fabricari curavit Urbanus V. & ad earum ornamentum Carolus V. Francorum Rex pretioſa donaria*, *gemmas*, *& alia id genus contulit*, *ac lilium in pectore utriuſque curavit apponi*.

XXXII. *Prior quo anno ſcripta eſt?*

℞. Nihil certi affirmare licet. Scriptam crediderim undecim minimum annis a Chriſti morte, poſtquam diſcipuli Chriſtianorum nomine appellari cœpti, & paullo ante quam Marcus a D. Petro Alexandriam mitteretur, anno Chriſti circiter 45. Hæc enim habet cap. IV. 16. *Si autem ut Chriſtianus*. & cap. V. 13. *Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta, & Marcus filius meus:* quibus verbis *Romam figurate Babylonem appellat*, ut eſt in Euſebii Hiſtoria Eccleſiaſtica lib. 2. cap. 15. (*66*)

XXXIII. *Quo ſermone exarata?*

℞. Hebraice ſcriptam fuiſſe, & a D. Marco in
Ad an. Græcum ſermonem translatam, credit Baronius,
58. §. 28. eam ob rem, quod Hieronymus Epiſt. 150. quæſt. 11. dixerit, ex ſtili inter utramque epiſtolam diſcrepantia, *ſtructuraque verborum* intelligi, *pro neceſſitate rerum diverſis eum* (Petrum) *uſum interpretibus*. Verum Hieronymus interpretum nomine non eos videtur ſignificare, qui in Græcam linguam

(*66*) Vide Diſputationem noſtram III. quæ eſt *De Cathedra D. Petri Romana*.

Eſtius in Argumento epiſtolæ I. D. Petri: *Eſt autem epiſtola, quemadmodum de ea vere & graviter teſtatur Eraſmus, profecto digna Apoſtolorum Principe, plena auctoritatis ac majeſtatis Apoſtolicæ, verbis parca, ſententiis differta*.

Grotius in Epiſt. Petri cap. 1. tom. 8. Crit. Sacr. pag. 117. *Habet hæc Epiſtola τὸ σφοδρὸν, vehemens dicendi genus, conveniens ingenio Principis Apoſtolorum*.

Graviſſima hac epiſtola, & Apoſtolicæ majeſtatis plena D. Petrus Chriſtianos docet in religione conſtantiam, in afflictionibus patientiam, in matrimonio caſtitatem, & honeſtatem, in perpetuo vitæ curſu vigilantiam, charitatem, ſobrietatem, orandi ſtudium.

guam transferebant, quod Apoſtoli dixiſſent, aut ſcripſiſſent Hebræa: ſed eos, quorum opera utebantur ad animi ſenſa rectius explicanda linguis iis, quas Spiritus Sancti inſtinctu didicerant: cujuſmodi operam Titus navabat Paulo, qui *divinorum ſenſuum majeſtatem*, ut ibidem ait Hieronymus, *digno non poterat Græci eloquii explicare ſermone*. Quare amplectenda eſt communis Explanatorum ſententia, qui affirmant, D. Petrum Græce ſcripſiſſe, & ad Græcum textum, tanquam ad prototypum, in rebus dubiis eſſe confugiendum. (67)

XXXIV. *Unde ſcripta eſt?*

Bar. ad an. 45. §. 16.

℟. Euſebius Lib. 2. Hiſt. Eccl. cap. 15. Roma ſcriptam dici, tradit, & Babylonis nomine Romam per obſcuram quamdam catachreſim ſignificari. Rem pro certo ponit Hieronymus De Script. Eccl. cap. 1. Ejus enim verba hæc ſunt: *Petrus in Epiſtola prima ſub nomine Babylonis figuraliter Romam ſignificans:* Salutat vos, *inquit*, Eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta. Id negant recentiores Heterodoxi, opinor, quod ægre habeant, etiam ex divinis Scripturis Petri Romam adventum confirmari. Grotius tamen virorum ſectæ ſuæ auctoritate nihil permotus: *De Babylone*, ait, *diſſident veteres & novi Interpretes. Veteres Romam interpretantur, ubi Petrum fuiſſe, nemo verus Chriſtianus dubitabit. Novi Babylonem in Chaldæa. Ego veteribus aſſentior.* (68)

(67) Hieronymus Epiſt. 123. quæ eſt Præfatio in quatuor Evangelia ad Damaſum pag. 697. *De novo nunc loquor Teſtamento, quod Græcum eſſe non dubium eſt, excepto Apoſtolo Matthæo, qui primus in Judæa Evangelium Chriſti Hebraicis literis edidit.*

(68) Annotat. in Epiſt. I. D. Petri tom. 8. Criticorum Sacrorum pag. 175. Veterum teſtimonia recenſet Ciampinus Parte

XXXV. *Alteram Epiſtolam quando ſcripſit?*

Ep. 2. c. 1. 14. ℟. Scriptam eſſe a D. Petro ſub vitæ finem, demonſtrant ejus verba hæc: *Certus, quod velox eſt depoſitio tabernaculi mei*, hoc eſt corporis, *ſecundum quod Dominus Jeſus Chriſtus ſignificavit mihi*. Hortatur in hac Fideles, ut, etiam ſe mortuo, firmiter teneant doctrinam ab Apoſtolis acceptam, caveantque ſibi ab errorum magiſtris, quorum mores & ſtudia deſcribit.

XXXVI. *Dubitatumne umquam eſt de auctoritate harum Epiſtolarum?*

Bar. ad an. 68. §. 4. ℟. Prima D. Petri opus ſemper habita eſt, & tamquam *Canonica* ab omnibus Eccleſiis recepta. De ſecunda olim addubitatum, ut præter Origenem, Euſebium, Didymum tradit D. Hieronymus De Script. Eccl. cap. 1. Verum ex ipſamet Epiſtola patet, eam eſſe D. Petri. Nam præterquam quod Petri nomen præſefert, & ſcripta eſt ab uno ex tribus Apoſtolis, qui *Transfigurationi* Chriſti Jeſu in monte præſentes adfuerunt, quæ præſentia rem totam decernere viſa eſt D. Gregorio in Ezechielem lib. 2. hom. 6. §. 11. Epiſtolæ Auctor Paulum fratrem ſuum appellat, ac profitetur, hanc ſecundam eſſe Epiſtolam, quam ad eoſdem ſcribit, ad quos miſerat primam. Quæ omnia Petro conveniunt. Adde huc, quod eam Petro tribuit numeroſiſſimus veterum Chorus, ut eſt apud Baronium ad an. 68. §. 4. ~~Nat.~~ Alexandrum Sæc. I. cap. 12. §. 4. & Tillemontium annot. 37. in D. Petrum. Ex quibus arguas Grotium,

te 1. Veterum Monumentorum cap. 17. pag. 139.
Auguſtinus de Civit. Dei l. 18. c. 2. *Babylonia prima Roma, ipſa Roma quaſi ſecunda Babylonia* appellatur.

tium, qui *Scriptorem hujus Epiſtolæ arbitratur eſſe Simeonem, ſive Simonem Epiſcopum poſt Jacobi mortem Hieroſolymis*, ac *putat titulum Epiſtolæ fuiſſe*, Simeon ſervus Jeſu Chriſti, & *eos, qui ſpectabiliorem voluerunt facere hanc Epiſtolam, adjeciſſe* Petrus. (69)

XXXVII. *Cedo tandem mihi Petri lineamenta, atque formam.*

℟. Habes verbis Nicephori expreſſam: *Petrus equidem non craſſa corporis ſtatura fuit, ſed quæ aliquanto eſſet erectior, facie ſubpallida & alba admodum; capilli & capitis, & barbæ criſpi & denſi, ſed non admodum prominentes fuere; oculi quaſi ſanguine reſperſi, & nigri: ſupercilia prope evulſa; naſus autem longior ille quidem, non tamen in acumen deſinens, ſed preſſus, ſimuſque magis.* Lib. 2. c. 17. Bar. ad an. 69. §. 14. 31. & ad an. 324. §. 40. Accepiſſe autem hæc Nicephorus ex antiquis Petri imaginibus videtur. Nam Ethnicos, qui ab Apoſtolis Chriſti legem didiciſſent, accepti beneficii memores illorum imagines coloribus, vel alio modo exprimendas curaſſe, teſtatur Euſebius lib. 7. Hiſt. Eccl. extremo cap. 18., ubi etiam ſcribit, ſe *Apoſtolorum Petri ac Pauli, Chriſtique ipſius pictas imagines ad ſuam uſque memoriam ſervatas in tabulis vidiſſe*. S. Auguſtinus quoque Petrum, & Paulum ſimul cum Chriſto pingi ſolitos, tradit lib. 1. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 10. §. 16. (70)

(69) Annotat. in II. Epiſt. Petri tom. 8. Criticorum Sacrorum pag. 187.

(70) Idem Auguſtinus De hæreſibus cap. 7. *Sectæ ipſius* (Carpocratis) *fuiſſe traditur quædam Marcellina, quæ colebat imagines Jeſu, & Pauli, & Homeri, & Pythagoræ adorando incenſumque ponendo.*

S. Ambroſius in epiſtola ad univerſam Italiam apud Dama-

maſcenum ad calcem Orationis 2. de imaginibus, inter Patrum teſtimonia pro iiſdem imaginibus pag. 344. *Tertia autem nocte jam corpore inedia confecto, & fatiſcente propter jejunium, mihi nequaquam dormienti, ſed in mentis exceſſu conſtituto conſpicui fuerunt cum perſona quadam, quæ B. Paulo ſimilis prorſus videbatur, quemadmodum ejus effigies in imaginibus efformata perſpicue declarat.* Et inter teſtimonia Orationis primæ de imaginibus pag. 328. Auctor vitæ S. Joannis Chryſoſtomi dicit, ipſum *habuiſſe ejuſdem Apoſtoli Pauli in imagine deſcriptam effigiem eo in loco, ubi propter corporis imbecillitatem tantiſper quieſcebat.*

DE

DE
D. PAULO.

I. *Quo anno, & quo in loco natus eſt?*

℞. PAULUS, cujus *ſi interpretatio nominis quæritur, in Hebræo mirabilem ſonat*, (1) duobus ab ortu Chriſti annis, totidemque ante Æram Vulgarem Tarſi in Cilicia, non Giſcalæ in Judæa, natus eſt patre, ſecta Phariſæo, ex Tribu Benjamin: Teſtatur id Paulus ipſe apud Lucam in Actis Apoſtolorum, ubi dicit, ſe *filium Phariſæorum*, & *natum in Tarſo Ciliciæ*, ac propterea Civem Romanum, quod ſecus eſſet, ſi Giſcalæ natus fuiſſet. Quare Epiphanius hær. 30. §. 16. diſputans contra Ebionæos, qui Paulum origine Græcum dicebant, & factum poſtea proſelythum, eundem Tarſi, ſed ex Judæis natum affirmat, nullamque facit de Giſcala mentionem. (2)

Ad Philip. III. 5. Act. XXII. 3. 28. XXIII. 6.

II. *Quo in loco, & quo Præceptore educatus eſt?*

℞. Hieroſolymis apud Gamalielem educatus eſt, atque cura omni *juxta veritatem paternæ Legis*

Act. XXII. 3.

G 4

(1) Hieronymus in Epiſt. ad Philemonem cap. 1. pag. 212.

(2) Hieronymo tum de Script. Eccl. in Pauli vita pag. 269. tum in cap. 1. Epiſt. ad Philemonem pag. 216. ſcribenti, Apoſtolum hunc Giſcalæ natum, memoriam effluxiſſe, neceſſario dicendum eſt.

Chryſoſtomus in Ep. 2. ad Tim. hom. 4. pag. 1648. Paulus *Cilix homo erat... Coriarius fuit, inops, imperitus externæ peritiæ. Hebræam tantum noverat linguam, qua cum ceteris, tum Romanis maxime deſpectui erat.* Vide Baronium ad an. 36. §. 7.

Ad Philip. III. 6. Act. XXVI. 4. 5. *gis* eruditus. Quam Legem adeo religioſe ſervavit, ut nullam unquam præbuerit occaſionem querelarum, nec dubitaverit inimicos ipſos teſtes appellare actæ ex Lege juventutis. Secutus eſt Sectam Phariſæorum, ut omnium ſeveriſſimam, ita maxime omnium Chriſto contrariam. Itaque preclare Auguſtinus in Pſal. centeſimum quadrageſimum ſeptimum §. 25. *Cryſtallum erat Apoſtolus Paulus, durus, obnitens veritati, clamans adverſus Evangelium, tanquam indurans adverſus ſolem.* Præter ſacras *ſciſſe Paulum, licet non ad perfectum, litteras ſæculares* etiam, oſtendit S. Hieronymus ex verbis Græcorum Poetarum Epimenidis, Arati, & Menandri, quibus ille uſus eſſe legitur. (3)

III. *Cujus erat artis?*

℟. Eum *ſcenofactoriæ artis* fuiſſe, ſcribit Lucas in Actis Apoſtolorum cap. XVIII. 3. Baronius autem ad an. 52. §. 17. narrat, moris fuiſſe Hebræorum, ut etiam quibus lautum, & copioſum eſſet patrimonium, ad omnis fortunæ ſubſidium aliquod opificium addiſcerent; idque ab illis ſimiliter factum docet, qui ſapientiæ ſtudiis operam dabant, tum ut labore & induſtria ſua, ſi quando opus eſſet, ea ſibi pararent, quæ ad uſus vitæ neceſſarios requiruntur, tum corporis exercendi cauſa, ne otium animos ſolicitaret. (4) Morem hunc ſecutus Paulus, tabernacula ex pel-

(3) In Epiſt. ad Galatas cap. 4. pag. 143. & 144. Hinc difficile creditu eſt, quod ait S. Chryſoſtomus ſuperiore annoratione citatus, Paulum *Hebræam tantum noviſſe linguam*: præſertim cum *in Tarſo* Græca Urbe natus eſſet.

(4) Joan. Chriſtophorus Wagenſeilius Sota cap. 5. pag. 597. & 598. *Certum eſt, nec infrequens nec indecorum fuiſſe priſcis Sapientibus inter Hebræos, ut præter litterarum ſtudia artes*

Digitized by Google

pellibus militarem ad uſum conficere didicit, qua 2. ad
arte etiam tum uſus eſt, cum Evangelium Gen- Theſſ.
tibus prædicaret, ne iis oneri eſſet, quos Chri- cap. III.
ſtianæ Religionis præceptis ad omnem pietatis ra- 8. 1. ad Cor.
tionem inſtituendos curabat. (5) neve *quod of-* cap. IX.
fendiculum daret Evangelio Chriſti. 12.

IV. *Habuitne uxorem?*

℟. Variæ ſunt diſcrepanteſque Sanctorum Pa- Bar. ad
trum ſententiæ. Habuiſſe exiſtimarunt Origenes an. 57. §.
in Ep. ad Rom. c. 1. & Clemens Alexandrinus, 68.
cu-

artes quoque manuarias tractarent ... Sic ſane Paulus, qui præceptore uſus Gamaliele erat eruditus juxta veritatem paternæ legis, *ceu ipſe de ſe teſtatur* Act. XXIII. 3. *ſimul* ſcenofactoriæ artis *fuiſſe legitur ibidem cap. XVIII.* 3. Grotius in Act. cap. XVIII. 3. pag. 336. tom. 7. Critic. Sacrorum: *Mos erat etiam doctiſſimis Judæorum opificium aliquod diſcere, unde, ubi res ferret, ſe ſuſtentarent.*

(5) Paulus ita loquitur de ſe ipſo Act. XX. 33. *Ipſi ſcitis, quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum ſunt, miniſtraverant manus iſtæ.* Et 1. ad Cor. cap. IV. 12. *Laboramus operantes manibus noſtris.* Et 1. ad Theſſ. c. II. 9. *Memores eſtis fratres laboris noſtri, & fatigationis; nocte ac die operantes, ne quem veſtrum gravaremus.* Et 2. ad Theſſ. cap. III. 8. *Neque gratis panem manducavimus ab aliquo, ſed in labore & fatigatione nocte & die operantes, ne quem veſtrum gravaremus.*

Origenes in Numeros hom. 17. §. 4. pag. 338. *Paulus arte faber tabernaculorum ... a faciendis tabernaculis terrenis ad cæleſtia tabernacula conſtruenda translatus eſt.*

Chryſoſtomus in Epiſt. ad Rom. hom. 2. pag. 19. *At tabernaculorum texendorum artifex hic non Siciliam modo, atque Italiam, verum univerſum terrarum orbem verbum Dei prædicans peragravit, cum interim artem non intermitteret, ſed vel tum quoque pelles conſueret, officinæque ſuæ præeſſet.*

Auguſtinus in Joan. tract. 122. §. 3. *Si beatus* Paulus *aliter educatus, artem, quam non noverat, didicit, ut dum ſuis manibus tranſigitur doctor, nullus gravaretur auditor; quanto magis, beatus Petrus, qui jam piſcator fuerat, quod noverat fecit, ſi ad præſens illud tempus, aliud, unde viveret, non invenit?*

Digitized by Google

cujus verba ſic recitat Euſebius l. 3. Hiſt. Eccl. cap. 30. ut eadem probare videatur. S. Chryſoſtomus de Virginitate cap. 82. vult, *Paulum, at-*
Pag. 350. *que Petrum, continentia illuſtres*. Epiphanius hær.
tom. 4. 58. §. 4. inter eos recenſet, qui *nullam cum mulieribus conſuetudinem habuerunt*. Non *audiendos eſ-*
Pag. 144. *ſe, qui eum uxorem habuiſſe confingunt*, ſcribit Hieronymus Epiſt. 22. cui ego vehementer aſſen-
Pag. 1297. tior. S. Chryſoſtomus quoque hom. 13. in Epiſt. ad Philippenſes negat, Paulum ibi de uxore ſua loqui; quod facit etiam Theodoretus in cap. 4. ejuſdem Epiſtolæ, ubi *uxorem eum nunquam duxiſſe, verius eſſe concludit*. Subjicit deinde hæc Pauli verba: *Volo omnes vos eſſe, ſicut me ipſum* ...
1. ad Cor. cap. VII. 7. 8. *Dico autem non nuptis, & viduis: bonum eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut & ego*. Quæ verba, ut ait Auguſtinus, *ſummam ipſum caſtitatem profeſſum fuiſſe*, &, ut Ambroſio eſt viſum, in perpetuo cęlibatu manſiſſe declarant. (6) Inquit enim: *Volo vos imitatrices eſſe tanti Apoſtoli, ut vitam ejus ſequamini, qui conjugii vinculum refugit, ut vinctus eſſet Chriſto Jeſu. Non potuiſſet ad tantam Apoſtolatus ſui pervenire gratiam, ſi fuiſſet alligatus conjugii contubernio*. (7)

V.

(6) Lib. de Virginitate cap. 20. §. 130. pag. 245. tom. 2.

(7) S. Auguſtinus de opere Monachorum cap. 32. §. 40. S. Ambroſius de hortatione ad Virginitatem pag. 434. tom. 4.

Auctor Comment. in Epiſt. I. ad Cor. cap. 7. apud eumdem Ambroſium pag. 364. & 365. *Non diceret: Bonum eſt innuptis, ſi ſint, ſicut ego, niſi eſſet integer corpore. Nec diceret; Omnes homines volebam eſſe, ſicut me ipſum. Si enim habuerit uxorem, & hoc dixit, virgines eſſe noluit; ſed abſit. Sic enim a pueritia Spiritu ferbuit, ut hujus rei ſtudium non haberet, quippe cum juvenculus anticipatus ſit a gratia Dei.*

V. *Quo anno, & quo modo amplexus eſt Chriſti Fidem?*

℞. Anno Chriſti 35. ſeu 36. annum ætatis agens tertium ſupra trigeſimum. *Qui primus Eccleſiæ ſanguinem fudit*, is luce ingenti ſub meridiem Cælo demiſſa repente circumfuſus, & Chriſti voce *perculſus & proſtratus*, *erectus & inſtructus eſt*, *ac demutatus in prædicatorem de perſecutore*, dum Chriſtianorum cædes anhelans Damaſcum pergeret. (8) Quo cum poſtea Chriſti Domini juſſu veniſſet, ab Anania baptizatus, ſtatim ejuſdem divinitatem magno animi ardore in Synagogis prædicare, & acerrime tueri omnibus admirantibus cœpit. Act. IX. 3.

V.I. *Viditne tunc corporeis oculis Chriſtum?*

℞. Verba Sacræ Scripturæ (9) obvio accepta ſenſu

(8) Tertullianus de Præſcript. Hæretic. cap. 25. pag. 210. & in Scorp. cap. 13. pag. 498. Auguſtinus ſerm. 169. cap. 8. §. 10.

Num iter illud Damaſcum pedibus ingreſſus ſit, an equo inſidens, quærunt aliqui. Pedibus iviſſe, magis credo. Quam ſententiam fuſe tractat Thomas Maſſutius in *vita D. Pauli hiſtorice, & dogmatice* ſcripta l. 2. c. 2. & ad pictores coarguendos diſtichon illud profert:

Mentitur pictor, Paulum qui pingit equeſtrem,
Cum clare conſtet, quod fuit ille pedes.

Joannes tamen Interian de Ayala lib. 5. de Chriſtiano Pictore cap. 5. ut eſt apud Lambertinum lib. 4. de Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. part. 1. cap. 28. extremo num. 9. *noviſſime oſtendere conatur, mulæ, vel aſino* Paulum *inſediſſe*. Vide Cæſarem Calinum Exercitatione Hiſtorica in Act. Apoſt. lib. 1. cap. 14.

(9) Act. cap. IX. 17. & 27. cap. XXII. 9. cap. XXVI. 16. & 1. ad Cor. cap. IX. 2. & cap. XV. 8. S. Auguſtinus De Opere Monachorum cap. 4. §. 5. *Et probat ſe Apoſtolum eſſe*,

ſenſu animum inclinant, ut id facile credam. Itaque S. Hilarius lib. 3. de Trinitate §. 16. viſum a Paulo Chriſtum *in carne* affirmat, & Auguſtinus Serm. 279. §. 1. viſum eſſe *Jeſum*. Caſſianus lib. 3. de Incarnatione Domini cap. 5. eum ſcribit *majeſtatem ſuſcitati a mortuis Domini noſtri Jeſu Chriſti oculis corporalibus approbaſſe*. Chryſoſtomus vero virtute tantum & effectu cognitum ab Apoſtolo Chriſtum, exiſtimat. *Agnoſcit Dominum*, inquit, *virtutem didicit*; & alibi: Chriſtus *non apparuit*, *ſed per opera viſus eſt*. S. Aſterius quoque vult, Chriſtum non humana forma ſe Paulo conſpiciendum præbuiſſe, *ſed potius in fulgoris ſpecie ac ignis*, quo modo Moyſes Deum viderat. (10) Verumtamen non videtur poſſe ambigi, quin aliquando Chriſtus Paulo apparuerit, ea prorſus ratione, qua Petro aliiſque Apoſtolis & quinquaginta fratribus apparuiſſe legitur: ne Paulus ulla in re ceteris Apoſtolis inferior eſſet.

VII.

eſſe, dicens: Nonne Chriſtum Jeſum Dominum noſtrum vidi? *Quo probato oſtendit ſibi licere, quod ceteris Apoſtolis*. D. Thomas 3. part. quæſt. 57. art. 6. ad 3. *Manſionis Cæleſtis dignitati non derogat, ſi ex aliqua diſpenſatione Chriſtus quandoque corporaliter ad terram deſcendat, vel oſtendat ſe omnibus, ſicut in judicio; vel oſtendat ſe alicui ſpecialiter, ſicut Paulo, ut habetur Act. IX. Et ne quis credat, hoc factum fuiſſe, non Chriſto ibi corporaliter præſente, ſed aliqualiter apparente, contrarium apparet per hoc, quod ipſe Apoſtolus dicit 1. ad Cor. 15. ad confirmandam Reſurrectionis fidem*. Noviſſime omnium tamquam abortivo viſus eſt & mihi. *Quæ quidem viſio veritatem reſurrectionis non probaret, niſi ipſum verum Chriſti corpus viſum fuiſſet ab eo*. Vide Suarez in 3. Part. D. Thomæ tom. 2. diſputat. 51. ſect. 4. Bellarminum De Sacramento Euchariſtiæ lib. 3. cap. 3. Bonam De diſcretione Spirituum. cap. 9. §. 4. & Lambertinum De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 3. cap. 50. num. 6.

(10) Chryſoſtomus hom. 13. tom. 5. pag. 175. In Act. Apoſt. hom. 20. pag. 596. Aſterius hom. 8. in Principes Apoſtolorum Bibl. Patr. tom. 5. pag. 828.

VII. *Damaſco digreſſus quonam profectus eſt?*

℞. Hieroſolymam, ut Petrum videret, quod **Ad Gal.**
contigit anno ab ejus *Converſione* tertio. Venit **c. I. 18.**
autem ad ipſum *velut ad majorem, & honoratio-*
rem, ait Chryſoſtomus, ut ejus conſpectu fruere-
tur, & *fraternam charitatem*, quemadmodum ſcri-
bit Auguſtinus, *etiam corporali præſentia cumula-*
ret. (11) Eo cum veniſſet, ſocietatem conſue- **Act. IX.**
tudinemque cum diſcipulis initurus, principio adeo **26.**
non obtinuit, ut etiam timorem cunctis injecerit, **Baron. ad**
quod ſibi non perſuaderent, eum a priſtina vitæ **an. 39.**
ratione diſceſſiſſe. Sed Pauli deſiderio præſto fuit **§. 5. & 6.**
Barnabas, qui illum ad Apoſtolos Petrum & Ja-
cobum cognomine *Minorem* adduxit, eiſque nar-
ravit converſionis ejus modum, & quæ pro Chri-
ſto Damaſci egiſſet. Exinde diſcipulis familiariter
uſus eſt, & dies quindecim apud Petrum manſit.
(12)

VIII.

(11) Chryſoſtomus in Epiſt. ad Galatas cap. 1. pag. 981. tom. 2. Auguſtinus in eamdem Epiſtolam §. 8.

S. Hieronymus pag. 124. tom. 6. dicit, Paulum *iſſe* ad Petrum *non ſtudio diſcendi, quia & ipſe eumdem prædicationis haberet auctorem, ſed honoris priori Apoſtolo deferendi.*

S. Ambroſius ſeu alius ſcriptor Comment. in Ep. ad Gal. cap. 1. pag. 467. *Dignum fuit, ut cuperet videre Petrum, quia primus erat inter Apoſtolos, cui delegaverat Salvator curam Eccleſiarum: non utique ut aliquid ab eo diſceret, quia jam ab auctore didicerat, a quo & ipſe Petrus fuerat inſtructus; ſed propter affectum Apoſtolatus, & ut ſciret Petrus, hanc illi datam licentiam, quam & ipſe acceperat.*

S. Chryſoſtomus Hom. 87. in Joan. pag. 449. Petrus *os erat Apoſtolorum, & princeps & vertex ipſius cœtus, propterea & Paulus eum præter alios viſurus aſcendit, ſimul ut ei oſtenderet, jam ſibi fiduciam habendam*

(12) S. Hieronymus epiſt. 89. pag. 633. *Tanta auctoritatis Petrus fuit, ut Paulus in epiſtola ſua ſcripſerit:* Deinde poſt annos tres veni Hieroſolymam videre Petrum, & manſi

apud

VIII. *Quo anno, & a quibus Apoſtolus factus eſt?*

Act. XIII. 1. 2. ℟. Anno Chriſti 44. ut Baronio, Pearſonio, ac Tillemontio viſum; anno inſequente 45. ut Uſſerio, aliiſque placuit: (13) A Simeone autem,

apud eum diebus quindecim. *Rurſumque in conſequentibus*. Poſt annos quatuordecim aſcendi iterum Hieroſolymam cum Barnaba, aſſumto & Tito: aſcendi autem ſecundum revelationem, & expoſui cum eis Evangelium, quod prædico in Gentibus, *oſtendens ſe non habuiſſe ſecuritatem prædicandi Evangelii, niſi Petri, & ceterorum Apoſtolorum, qui cum eo erant, fuiſſet ſententia roboratus.*

S. Auguſtinus lib. 28. contra Fauſtum cap. 4. *Apoſtolus Paulus poſt Aſcenſionem Domini de Cælo vocatus, ſi non inveniret in carne Apoſtolos, quibus communicando, & cum quibus conferendo Evangelium ejuſdem ſocietatis eſſe appareret, Eccleſia illi omnino non crederet.*

Quinquies omnino Paulum Hieroſolymam veniſſe, ſacræ litteræ commemorant.

Prima profectio eſt illa, cujus Lucas meminit Act. IX. 26. *& Paulus Epiſtolæ ad Galatas I. 18. ubi poſt annos tres a converſione dicit ſe Hieroſolymam adiiſſe, ut videret Petrum.*

Secunda profectio legitur Act. XI. 30. *Nam Barnabas ab Apoſtolis miſſus eſt Antiochiam. Unde ille Tarſum abiit, ut quæreret Saulum, quocum reverſus Antiochiam annum ibi cum eo commoratus eſt. Sed cum Agabus Propheta famem ingentem prædixiſſet, Antiochenſis Eccleſia collatitium æs per Saulum & Barnabam Hieroſolymam deſtinavit.*

Tertio Hieroſolymam Paulus aſpirat Act. XV. *quod & Gal.* II. 1. *commemorat: & poſt quatuordecim annos accidiſſe dicit, nimirum a triennio illo, quod antecedente capite com.* 18. *poſuerat, uti ſeptemdecim anni a converſione Pauli ad hunc tertium adventum fluxerint.*

Quartus Pauli Hieroſolymam adventus deſcribitur Act. XVIII. 22. *Quinto, ultimoque Paulus Hieroſolymam circa Pentecoſten adiit*, Act. XXI. 17. *ubi & a Judæis captus, ac Romanis Præſidibus traditus eſt: primum Felici, deinde Porcio Feſto*, cap. XXIV. 27. Hæc Petavius de doctrina temporum lib. 11. cap. 12. & de Eccleſiaſtica Hierarchia lib. I. cap. 7. Theologic. Dogmat. tom. 3. pag. 688.

(13) Baronio ad an. 44. §. 89. Pearſonio in Annalibus Pau-

tem, cui *Nigro* cognomen, Lucio, & Manahen Apoſtolum, atque adeo Epiſcopum factum, narrat S. Lucas, apud quem, *Segregate mihi*, inquit Spiritus Sanctus, *Saulum & Barnabam in opus, ad quod aſſumſi eos. Quid eſt*, ait Chryſoſtomus hom. 27. in Act. *ſegregate mihi in opus? in Apoſtolatum. Vide iterum, a quibus ordinatur. A Lucio Cyrenæo, & Manahen, imo a Spiritu. Quanto enim perſonæ humiliores erant, tanto purior Dei apparet gratia. Ordinatur jam in Apoſtolatum, ut jam cum poteſtate prædicet. Quomodo igitur ille dicit:* Non ab hominibus, neque per homines? *Dicit* non ab hominibus, *ut manifeſtet, quod non homo illum vocavit, neque adduxit. Dicit* nec per hominem, *quod non ab aliquo miſſus eſt, ſed a Spiritu.* Itaque S. Leo epiſt. 11. cap. 1. ſcribens, Apoſtolos impoſuiſſe Paulo, & Barnabæ manus Apoſtolorum nomine videtur intellexiſſe primos Apoſtolorum diſcipulos. Arator vero, qui initio libri 2. Hiſtoriæ Apoſtolicæ de Paulo cecinit:

Quem mox ſacravit euntem
Impoſita Petrus ille manu, cui ſermo magiſtri
Omnia poſſe dedit;

& ab Auctorum ſcriptore D. Luca, & a Chryſoſtomo ejus interprete diſſentit.

Pag. 642. Ad Gal.c. I. 1. Bibl. Patr. tom. 10. Pag. 133.

IX. *Nonne eodem anno raptus eſt uſque ad tertium Cælum?*

℟. Id Baronius, Pearſonius, Tillemontius conſentiunt. Raptus autem dicitur *uſque ad tertium Cælum, & in Paradiſum:* ſeu quod *in tertio Cælo ſit Paradiſus*, ſeu quod *in tertium Cælum, & inde rurſus in Paradiſum raptus ſit*, ſeu demum quod ter-

Ad an. 44. §. 98. In Annal. Paulinis. II. Ad Cor. XII. 2. 4.

Paulinis pag. 6. Tillemontio in S. Paulo art. 8. pag. 207. tom. I. Uſſerio in Annalibus Veteris & Novi Teſtamenti ad eumdem annum.

tertium Cælum & Paradiſus *aliquid unum ſit diverſis nominibus appellatum*, ut ait Auguſtinus l. 12. de Gen. ad litteram cap. 34. §. 65. & 66. (14) Utrum vero raptus fuerit cum corpore, an ſine corpore, *Ideſt, utrum, ſicut ſolet in vehementiori ecſtaſi, mens ab hac vita in illam vitam* (Angelicam) *fuerit alienata, manente corporis vinculo; an omnino reſolutio facta fuerit, qualis in plena morte contingit;* eſt *iſta impudens inquiſitio id ſcire volentium, quod ſe ille, cui hoc præſtitum eſt, neſcire teſtatur*. (15)

X. *Quando Pauli nomen obtinuit?*

℞. Veteres ſcriptores inter ſe diſſentiunt. Origenes Præfat. in Epiſt. ad Rom. arbitratur, & *Sauli* & *Pauli* nomine ab initio vocatum: primo uſum eſſe, dum verſaretur inter Judæos: altero, quod Romanum eſt, appellari voluiſſe poſt ſuſceptum ad Gentiles Apoſtolatum. Atque hoc Auguſtinus confirmat, qui Serm. 315. cap. 5. ait: *Ubi cœpit Apoſtolus prædicare Verbum Dei, mutavit* Act. XIII. 9. *ſibi nomen, & dixit ſe Paulum*. Lucas certe eum Pauli

(14) Idem Auguſtinus ibid. cap. 28. §. 56. *Cur non dicamus, quod tanto Apoſtolo doctori Gentium, rapto uſque ad iſtam excellentiſſimam viſionem voluerit Deus demonſtrare vitam, in qua poſt hanc vitam vivendum eſt in æternum?*

(15) S. Auguſtinus epiſt. 147. cap. 13. §. 31. & De peccato Originali cap. 23. §. 27.

Priorem ſententiam amplectitur D. Thomas 2. 2. quæſt. 175. art. 5. & 6. ac docet, probabilius eſſe, Pauli animam in corpore manſiſſe, quod ſeparatio non eſſet neceſſaria. Et art. 3. dicit, Paulum in eo raptu vidiſſe *Dei eſſentiam*.

Hunc Pauli raptum Ethnicis ipſis cognitum fuiſſe, tradit Lucianus, ſeu antiquior illo auctor Dialogi, qui *Philopatris* inſcribitur, ut animadvertit Uſſerius ad an. 46. & Baronius ad an. 68. §. 2. Nam Tryphonem Chriſtianum narrantem facit, ſe per aquam renovatum a Galilæo (quo nomine aliquando appellati Chriſtiani) *qui in tertium uſque Cælum per aerem ingreſſus eſt, quæque optima, atque pulcherrima ſunt, inde didicit*.

Pauli nomine tum incipit appellare, cum in Cypro Evangelium prædicantem deſcribit, cumque ab eo Proconſulem Sergium Paulum Chriſti militiæ Sacramento obligatum narrat. Alii aliter ſentiunt. (16)

XI. *Quibus Chriſtianam Fidem prædicavit?*

℞. *Hieruſalem per circuitum uſque ad Illyricum* Evangelii prædicandi partes ſe impleviſſe, ſcribit ad Romanos. (17) Chryſoſtomus in Ep. ad Rom. hom. Cap. XV. 19.

H

(16) Hieronymus in cap. 1. Epiſt. ad Philemonem pag. 212. *Diligenter attende, quod hic primum Pauli nomen acceperit. Ut enim Scipio, ſubjecta Africa, Africani ſibi nomen aſſumſit, ita & Saulus ad prædicationem gentium miſſus, a primo Eccleſiæ ſpolio, Proconſule Sergio Paulo, victoriæ ſuæ trophæa retulit, erexitque vexillum, ut Paulus diceretur e Saulo*. Verum hæc Hieronymi opinio, utpote abhorrens a moderatione D. Pauli, non probatur Baronio ad an. 36. §. 11. S. Auguſtinus De ſpiritu & Littera c. 7. §. 12. *Paulus Apoſtolus, cum Saulus prius vocaretur, non ob aliud, quantum mihi videtur, hoc nomen elegit, niſi ut oſtenderet ſe parvum, tamquam minimum Apoſtolorum, multum contra ſuperbos & arrogantes, & de ſuis operibus præſumentes, pro commendanda Dei gratia fortiter atque acriter dimicans*. Vide Calmetum in Act. Apoſtolorum cap. XIII. 9. pag. 925. tom. 7.

(17) In Illyrico ipſo prædicatam a D. Paulo doctrinam Chriſti, vult Hieronymus, qui, Deum fuiſſe *cum Paulo in Illyrico* ſcribit epiſt. 148. ad Marcellam. Et Aſterius hom. 8. in Principes Apoſtolorum tom. 5. Bibl. Patr. pag. 829. *Paulus totum Illyricum percurrens, ac ubique ſpargens ſcintillas fidei, quas auſpex Spiritus excitabat, vivaſque ſemper ſervabat*. Itaque opinor, D. Paulum in laudata epiſtola, quam dedit ad Romanos, verbis illis, *uſque ad Illyricum*, admonere eos voluiſſe, quo uſque ad eam diem perveniſſet prædicando; non vero negaſſe, ſe ulterius progreſſurum. Nomine autem Illyrici intelligit Illyricum Strabonis lib. 7. aut Suetonii in vita Tiberii cap. 16. Hic enim Illyricum circumſcribit anguſtioribus terminis, quam Strabo, qui in eo etiam Noricum & Vindeliciam uſque ad lacum Brigantinum includit. Illyricum, ait Suetonius, *inter Italiam, regnumque Noricum,*

Digitized by Google

hom. 29. ait, a Paulo Chriſtianæ doctrinæ luce fuiſſe illuſtratam *Phæniciam*, *&* *Syriam*, *&* *Ciliciam*, *&* *Cappadociam*, *&* *Saracenos*, *&* *Perſas*, *&* *Armenios*, *reliquoſque Barbaros*. Theodoretus in eamdem Epiſt. cap. 15. ſimiliter *Parthicas regiones*, *atque Aſiam præterea* *&* *Thraciam*. Antiochiæ autem in Piſidia, Iconii, Lyſtris, Theſſalonicæ, Corinthi, Athenis, Epheſi eodem munere functum, certo conſtat, ſicut etiam Cypriis, Galatis, Macedonibus, Philippenſibus, Cretenſibus; ac demum Romanis acceptam a Chriſto doctrinam tradidiſſe: ita ut a D. Hieronymo in Amos c. 5. dici potuerit, *ante eum terram defeciſſe*, *quam ſtudium prædicandi*. (18)

Pag. 303. (margin, line 3)

Pag. 109. (margin, line 12)

XII. *Iconii quid egit memoria dignum?*

Act. XIV. 20. ℟. Anno Chriſti 47. Paulo in Lycaonia (ubi eum fuiſſe ſemel atque iterum, conſtat ex ſacris Litteris) Evangelium prædicante, ad Chriſtianam Fi-

cum, *&* *Thraciam*, *&* *Macedoniam*, *interque Danubium flumen*, *&* *ſinum maris Adriatici patet*. Loca a D. Paulo peragrata ſummatim recenſet Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 17. §. 30. & 31.

(18) Idem Hieronymus epiſt. 13. pag. 105. *Paulus Apoſtolus vas electionis de perſecutore mutatus*, *noviſſimus in ordine*, *primus in meritis eſt*, *quia extremus licet*, *plus omnibus laboravit*.

Auguſtinus contra duas epiſt. Pelag. l. 3. c. 3. *Sicut Apoſtolus cum dicitur*, *ſi non exprimitur quis Apoſtolus non intelligitur niſi Paulus*, *quia pluribus eſt epiſtolis notior*, *&* *plus omnibus illis laboravit*. Vide ejuſdem Auguſtini commentarium in Pſal. 130. n. 7. & epiſt. I. ad Cor. cap. XV. 10.

S. Chryſoſtomus tom. 5. hom. 42. de laudibus S. Pauli pag. 512. *Homo ignobilis*, *abjectus*, *&* *circumforaneus*, *qui artem exercebat in pellibus*, *in tantum virtute progreſſus eſt*, *ut vix triginta annorum ſpatio* *&* *Romanos*, *&* *Perſas*, *&* *Parthos*, *&* *Medos*, *&* *Indos*, *&* *Scythas*, *&* *Æthiopes*, *&* *Sauromatas*, *&* *omne prorſus humanum genus ſub jugum mitteret veritatis*.

Fidem converſa creditur Thecla Iconienſis Virgo Bibl.
nobiliſſima . Divus quidem Methodius , qui ſub Patr.
exitum Sæculi III. in minori Aſia degebat , in tom. 3.
Convivio Virginum Orat. 8. ſcribit , Theclam pag. 691.
externæ Philoſophiæ , variæque eruditionis , cunctarumque artium liberalium comprehenſione ceſſiſſe nemini : Evangelica vero ac divina doctrina anteceſſiſſe omnibus , utpote a ſummo ejus generis inſtitutam edoctamque magiſtro Paulo . In quam ſententiam alii etiam veteres & graviſſimi Patres ſcriptum reliquerant . S. Epiphanius hær. 78. §. 16. *Thecla cum in Paulum incidiſſet , pactas nuptias diſſolvit , cum primario cuidam Civitatis totius , ac longe diviti , nobiliſſimo ſplendidiſſimoque deſponſa jam fuiſſet* . Chryſoſtomus in Act. extrema hom. 25. *Audi de beata Thecla , illa ut Paulum videret , aurum ſuum dedit : Tu autem , ut Chriſtum videas , nec obolum das* . S. Ambroſius lib. 2. de Virginibus : *Thecla , quam gentium Doctor inſtituit , copulam fugiens nuptialem , & ſponſi furore damnata , naturam etiam beſtiarum virginitatis veneratione mutavit* . (19) His omni ex parte conſentiunt ea , quæ loquitur Fauſtus Manichæus apud Auguſtinum : *Jam timeo Apoſtolo , ne Dæmoniorum doctrinam intuliſſe tunc Iconium videatur , cum Theclam oppigneratam jam thalamo , in amorem ſermone ſuo perpetuæ ;*

Baronius ad an. 47. §. 5.

Pag. 634.

Pag. 469. & 470.

Cont. Fauſtum l. 30. c. 4.

(19) S. Gregorius Nazianzenus Carm. 3. pag. 59.

Quis Theclam necis eripuit flammæque periclo?
*Quis validos ungues vinxit , * rabiemque ferarum?*
Virginitas (o res omni mirabilis ævo!)
Virginitas fulvos potuit ſopire leones .
Dente nec impuro generoſos virginis artus
Auſi ſunt premere , & rigido diſcerpere morſu .

* ὕλαις

Idem Nazianzenus Orat. 3. pag. 76. Theclam annumerat Apoſtolis , aliiſque , qui *pro veritate periculis ſe objecerunt , qui igni & ferro , & belluis , & tyrannis , & præſentibus malis , & denunciatis alacri animo , velut in alienis corporibus , imo quaſi corporum expertes , dimicarunt , ne pietatem vel verbo tenus proderent* .

tuæ virginitatis incendit. Quæ opinio de Thecla ſponſa cum non improbetur ab Auguſtino, qui alias ſemper refellere Fauſtum ſolet, ſatis apparet, eam non ſolum apud Manichæos, ſed etiam apud Catholicos receptam fuiſſe. (20)

XIII. *Quid Philippis?*

Act.XVI. 14. 16. Bar. ad an. 51. §. 73. ℟. Ibi ad Chriſtum adduxit, baptiſmoque initiavit *Lydiam purpurariam*, (21) & *ſpiritum Pythonem*, ſeu Dæmonem divinationis in quadam puella, quam obſidebat, auctorem ejecit. Ob id ab ejus dominis, qui ſpem omnem quæſtus, quem ex ejus divinationibus faciebant, ademtam ſibi querebantur, ſeditio in Paulum concitata eſt, quaſi

(20) Thecla *primæ martyris* titulo decoratur a S. Iſidoro Peluſiota lib. 1. epiſt. 160. Martyr item dicitur ab Evagrio lib. 3. cap. 8. S. Chryſoſtomus tom. 1. hom. 72. quæ inſcribitur *Laudatio ſanctæ Protomartyris & Apoſtolæ Theclæ*, *pag.* 782. virginitate & martyrio nobilem prædicat; & Epiphanius hær. 79. §. 12. eos deſignans, qui videntur eſſe cum Deipara Virgine aliquo modo comparabiles, Eliam duntaxat, Joannem Evangeliſtam, ac Theclam nominat.

Nicetas Paphlago Orat. 16. *in laudem S. Protomartyris, & Apoſtolæ Theclæ*, tom. 27. Bibl. Patr. pag. 430. *In eum modum beatiſſima, Dei martyrio fungitur; prima nimirum, velut Stephanus viris, ſic illa feminis excellentia fidei aperiens certaminis ſtudium*. Vide Acta Pauli & Theclæ a Grabio tom. 1. Spicilegii Sanctorum Patrum pag. 95. & 331. *Liber, qui appellatur Actus Theclæ, & Pauli Apoſtoli, apocryphus* dicitur a Gelaſio in Concilio Romano 70. Epiſcoporum, apud Lab. tom. 4. Conc. pag. 1264. De his copioſe differit Natalis Alexander in Hiſtoria Eccleſiaſtica Sæc. I. cap. 12. art. 4. pag. 41. tom. 3. ac Thomas Ittigius *de Bibliothecis & Catenis Patrum* pag. 701.

(21) In Græco textu legitur πορφυρόπωλις, *purpurarum venditrix*. Martyrologium Romanum tertio Nonas Auguſti meminit *Sanctæ Lydiæ purpurariæ, quæ, prædicante Philippis in Macedonia S. Paulo Apoſtolo, prima omnium credidit Evangelio*.

ſi cientem turbas, & *Majeſtatis læſæ* reum. (22) Hinc virgis ad ſanguinem cæſus una cum Sila comite, & in carcerem *interiorem* conjectus, pedibus utriuſque ligno inſertis. (23) *Quanto diligentior cuſtodia fuit, tanto miraculum clarius.* (24) Nocte media, illis orantibus, terra movit, fundamenta carceris concuſſa ſunt, oſtia aperta, vincula divinitus ſoluta, cuſtos carceris ad eorum pedes provolutus Deo credidit. His cognitis Magiſtratus die inſequente eorum dimiſſionem per lictores imperarunt. At Paulus querens, ſe hominem Romanum (25) publice cæſum, & indicta cauſſa habitum in cuſtodia, ut conſuleret famæ ſuæ, gloriæ Dei atque Evangelii, noluit exire, niſi Magiſtratus ipſi ſuam pœnitentiam ea de re teſtarentur, ejuſque innocentiam rite promulgarent. (26)

(22) S. Joannes Chryſoſtomus in Act. hom. 35. pag. 690.

(23) Quod hic ſimpliciter ξύλον *lignum* dicitur, ſunt compedes lignei, de quibus Prudentius de S. Vincentio verſu 251.

Lignoque plantas inſerit,
Divaricatis cruribus.

S. Chryſoſtomus in hunc locum hom. 35. pag. 691. Καὶ ἠσφαλίσατο, φησὶν, εἰς τὸ ξύλον, ὡς ἂν εἴποι τις, εἰς τὸν νέρβον; *& aſſervavit, inquit, in ligno, ut aliquis diceret, in nervo*; de quo Tertullianus ad Martyres cap. 2. pag. 137. & de cultu feminarum lib. 2. cap. ult. pag. 160.

Quidam putant eſſe idem, quod *lignea cuſtodia* apud Plautum Pœnul. Act. 5. ſcen. 6. ver. 28. & quod apud eumdem ibidem Act. 5. ſcen. 3. ver. 33. *robuſtus codex*, item quod *mala manſio* apud Ulpianum Digeſt. lib. 16. tit. 3. l. 7. & l. 47. tit. 10. l. 15.

(24) Chryſoſtomus in Act. hom. 35. pag. 691.

(25) Etiam Act. XXII. 25. 28. & XXIII. 27. hunc Romani Civis honorem Paulus ſibi vindicavit.

(26) Huc reſpexit S. Hieronymus epiſt. 53. pag. 405. ſcribens: *Legimus Apoſtolos clauſos carcere tota nocte vigilaſſe, ut illis pſallentibus terra quateretur, cuſtos carceris crederet, Magiſtratus, & Civitas terrerentur.* Perterriti autem ſunt Magiſtra-

tus

XIV. *Fuitne Paulus, an Aquila, qui ſibi caput totondit in Cenchreis?*

Act. XVIII. 18. ℞. Id in ſuſpenſo relinquit Græcus D. Lucæ textus: in Aquilam potius, quam in Paulum prona eſt vulgata Latina verſio. Hieronymus, magnus ille ſacrarum litterarum Interpres, ſemel, iterum, ac tertio ſcribit, fuiſſe Paulum, qui in Cenchreis (27) ex voto comam totondit; atque locum Actorum Apoſtolicorum, unde oritur controverſia, legit in hunc modum: *Paulus vero, cum adhuc ſuſtinuiſſet dies multos, fratribus valedicens, navigavit in Syriam, & cum eo Priſcilla, & Aquila; & totondit ſibi in Cenchreis caput; votum enim habuerat.* (28) Hieronymo conſentiens eſt Auguſtinus Epiſt. 82. utrumque laudat & ſequitur Beda in Act. c. 18. Et quidem vero ſimilius eſt, tonſuram illam fuiſſe Pauli, quam Aquilæ, cum Lucas totus ſit in narrandis rebus a Paulo, non ab Aquila geſtis, ac ea fortaſſe de cauſſa vulgati Codices Priſcillam, & Aquilam parentheſi intercludunt, ut eis tonſio adſcribi nequeat. (29)

Bar. ad an. 53. §. 35.

XV. *Quodnam erat hoc Pauli votum?*

℞. Votum Nazaræatus, quo ſe obligaverat, *ut eorum ſedaret invidiam, qui cauſati de eo fuerant, quod*

tus *ob triplex delicti crimen, quod Romanos, & non audita cauſſa, & publice conjecerant in carcerem*, ut ait Chryſoſtomus in Act. homil. 36. pag. 695.

(27) Cenchreæ pagus erat, & navale Corinthiorum ad Sinum Saronicum ab Urbe in Orientem aliquantum diſtans, referente Strabone lib. 8.

(28) Hieronymus epiſt. 89. pag. 633. in Epiſt. ad Galatas cap. 2. & 4. pag. 127. & 139. & lib. 1. adverſ. Jovinian. c. 8. pag. 330.

(29) Chryſoſtomus in Act. homil. 40. pag. 718. mavult fuiſſe Aquilam, qui crines tonſus eſt.

quod contra legem Moyſis, & Deum faceret Prophetarum, quemadmodum ait Hieronymus in Epiſt. ad Gal. cap. 4. Votum hoc κατ' ἐξοχὴν * votum dicebatur. Hujus voti reus tenebatur vino abſtinere, & comam alere uſque ad tempus voto ſolvendo præſtitutum. (30) Quod ſi interea aliquis coram eo ſubito mortuus eſſet, debebat ſtatim raſo capite pollutam comam deponere, ut rurſus Nazaræatum inchoaret. Paulus igitur, ut opinantur viri doctiſſimi, repentina alicujus morte pollutus, antequam profecturus in Syriam navem conſcenderet, caput in Cenchreis totondit, ut deinde ſecundum Legem votum ſuum compleret, & comam ſtatuto tempore in Templo Hieroſolymitano deponeret, quod ipſum feciſſe colligitur ex Actis Apoſtolorum cap. XVIII. 22. & XXI. 24. (31)

Pag. 139.

* Per excellentiam.

Num. VI. 2.

(30) Synopſis Criticorum, aliorumque ſacræ Scripturæ Interpretum anno 1686. Ultrajecti edita pag. 1553. in Act. cap. XVIII. habet, votum Nazaræatus tunc intra menſem finiri conſueviſſe; quod idem docet ex Joſepho Baronius ad an. 58. §. 121.

Idem Baronius ad an. 53. §. 35. *Ejuſmodi votum Nazaræorum nuncupare, & exſolvere quoque mulieres conſueviſſe, Joſephus* de bello Judaico lib. 2. cap. 15. *affirmat, cum agit de Berenice, de qua nos ſuo loco inferius agemus* ad an. 68. §. 41.

(31) Huc ſpectant verba illa D. Pauli Epiſt. 1. ad Cor. cap. IX. 20. *Et factus ſum Judæis tamquam Judæus, ut Judæos lucrarer*. Quare D. Hieronymus in Epiſt. ad Gal. cap. 2. pag. 127. *Paulus Judæis Judæus factus eſt, ut Judæos lucrifaceret, quando caput totondit in Cenchreis, &, facto calvitio, oblationem obtulit in Hieruſalem*. Et cap. 4 pag. 139. ait, exercuiſſe nudipedalia, quæ erant ſacra quædam Hieroſolymis nudis pedibus celebrari ſolita. Rurſus lib. 1. adver. Jovin. cap. 8. pag. 330. *Multa compellitur Apoſtolus velle, quæ non vult. Circumcidit Timotheum, raſit in ſe calvitium, Nudipedalia exercuit, comam nutrivit & totondit in Cenchreis*. De Nudipedalibus nihil reperitur in Libris Sacris.

XVI. *Narra, quid Athenis egerit.*

℞. In Urbe Religionum pleniſſima, quæ ſolicita, ut quidquid uſpiam coleretur Deorum, apud ſe quoque coleretur, Aram *Ignoto Deo* ſacraverat, ut ait Chryſoſtomus in Act. hom. 38. Paulus eam operam in erroribus evellendis poſuit, quam ponere opus erat, ut pravas civium alioquin ſapientiſſimorum mentes converteret, voluntateſque immutaret. Sabbatis in Synagogis cum Judæis & Proſelythis, in foro quotidie cum obviis quibuslibet, cum Epicureis & Stoicis Philoſophis de Chriſto, de mortuorum reſurrectione diſſeruit. (32) Ob id raptus in Areopagum, ut de nova, quam tradebat, doctrina coram judicibus diceret; ibi tum ex titulo Aræ *Ignoto Deo* poſitæ, tum ex Arati Poetæ teſtimonio *Genus* nos eſſe *Dei* confirmante, probavit, ſuaſitque, *ut eundem Deum, quem præter Eccleſiam ignoranter atque inutiliter colebant, in Eccleſia ſapienter, & ſalubriter colerent*, (33) ſubjiciens ad extremum, diem ſtatutum eſſe, quo de cunctis hominibus ad vitam revocatis idem Deus eſſet judicaturus. Fuere in iis, qui Paulo crediderunt, *Dionyſius Areopagites, id eſt Athenienſium principalis* (*Areopagos enim Athenienſium curia vocabatur*) *& mulier quædam nobilis* (nomine Damaris) *& alii*. (34)

Pag. 705. Act. XVII. 23. 28.

XVII.

(32) Philoſophi iſti Stoici & Epicurei, ut ait Chryſoſtomus in Act. hom. 38. pag. 704. *reſurrectionem Deum quemdam eſſe putabant, quia & feminas colebant.*

(33) S. Auguſtinus lib. 1. contra Creſconium cap. 29. §. 34.

(34) S. Auguſtinus ſerm. 150. §. 2.

Memoratum *Dionyſium Athenienſis Eccleſiæ primum Epiſcopum fuiſſe tradit alter quidam Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus, antiquiſſimus ſcriptor* apud Euſebium lib. 3. Hiſt. Eccl. extremo cap. 4. & lib. 4. cap. 23. Martyrologium Romanum

die

XVII. *Verene illa Athenienſium Ara fuit eo, quem Paulus tradit, titulo inſcripta?*

℟. Ait S. Joannes Chryſoſtomus hom. 38. modo allata: negat D. Hieronymus in Epiſt. ad Titum cap. 1. *Nam inſcriptio*, inquit, *Aræ non ita erat, ut Paulus aſſeruit:* Ignoto Deo: *ſed ita:* Diis Aſiæ, Europæ, & Libyæ, Diis ignotis & peregrinis. *Verum quia Paulus non pluribus Diis indigebat ignotis, ſed uno tantum ignoto Deo, ſingulari verbo uſus eſt, ut doceret illum ſuum eſſe Deum, quem Athenienſes in Aræ titulo prænotaſſent, & recte eum ſcientes colere deberent, quem ignorantes venerabantur, & neſcire non poterant.* Nihilominus inſcriptio utraque vera eſſe videtur. Cum enim apud Lucianum, ſeu alium Scriptorem Dialogi *Philopatris*, ethnicus homo per *Ignotum Deum Athenis*, non per *Ignotos* juret, cumque e contrario Philoſtratus de Vita Apollonii Tyanenſis lib. 6. extremo cap. 3. *Athenis aras ignotis Diis fuiſſe conſtitutas* memoret, probabile admodum eſt, quod ait Baronius ad an. 52. §. 7. præter Aram *Ignoto Deo* dicatam, quam vidiſſe ſe Paulus affirmat, fuiſſe Athenis aliam cum titulo, quem S. Hieronymus refert. Tertullianus quoque ad Nationes l. 2. c. 9. & adverſus Marcionem l. 1. c. 9. ſcribit, apud Athenienſes *Ignotis Deis Aras proſtitutas*,

Pag. 201. tom. 6.

Act. XVII. 13.

die 9. Oct. *a Paulo Apoſtolo Epiſcopum ordinatum*, dicit, quod eſt etiam in Martyrologio Adonis die 3. ejuſdem Menſis pag. 890. tom. 16. Bibl. Patrum, ubi inſuper legitur idem Dionyſius *ſub Hadriano principe glorioſo martyrio coronatus, ut Ariſtides Athenienſis, vir fide ſapientiaque mirabilis teſtis eſt in eo opere, quod de Chriſtiana religione compoſuit*.

Damaris Dionyſii uxor dicitur Chryſoſtomo lib. 4. De Sacerdotio cap. 7. pag. 67. tom. 5. Aſterio hom. 8. in Principes Apoſtolorum Bibl. Patr. tom. 5. pag. 829. aliiſque apud Baronium ad an. 52. §. 12. & 13.

tas, & apud Romanos *incertis*. Unde habes, Judæorum, & Chriſtianorum Deum *Ignotum* & *Incertum* ab Ethnicis dictum, atque huic Aras ab iiſdem conſecratas. (35)

XVIII. *Ex rebus Epheſi a Paulo geſtis num quid eſt ſcitu dignum?*

Bar. ad an. 44. §. 30. & ad an. 55. §. 1. ℞. Hoc videlicet, annos tres ibi degentem Epheſinam Eccleſiam, quam S. Joannes deinde firmavit, & auxit, inſtituiſſe, & omnium primum Chriſti præceptis Epheſios initiaſſe. Qui enim Joanni ipſi hanc laudem tribuunt, eos inſcienter facere, Irenæi, ac Theodoreti Auctoritate confirmo. (36) Quod ſi rationes, quas Theodoretus affert, cur ſic ex Actis opinetur, propoſitum conficere non videntur, id tamen aliunde conſtat. Etenim Paulus ipſe: *Sic*, ait, *prædicavi Evangelium hoc,* Ad Rom. XV. 20. 21. *non ubi nunciatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificarem, ſed quibus non eſt annunciatum de eo:* quod præſertim muneris eſt Apoſtolici: nam Romanis traditam potius Fidem confirmavit, quam tradidit. (37) Cum igitur Epheſi Act. XX. 31. prædicaverit, & quidem non in tranſitu, ſed per triennium, dicendum eſt, ſi Petrus, & Joannes eo ante Paulum venerant, breviſſimo temporis ſpatio illic moratos Eccleſiam fundare non potuiſſe.

XIX.

(35) Vide Jacobum Uſſerium in Annalibus veteris & novi Teſtamenti ad annum Æræ Chriſtianæ 54.

(36) S. Irenæus adverſus hæreſes lib. 3. cap. 3. Theodoretus initio argumenti in Epiſtolam Pauli ad Epheſios pag. 290. tom. 3.

(37) Ad Rom. cap. I. 11. *Deſidero videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiæ ſpiritualis ad confirmandos vos.*

XIX. *Num quid præterea?*

℟. Hoc quoque : Dominum Apoſtolo ſuo Paulo mirabilem in modum Epheſi præſto fuiſſe, tantaque eum gloria atque gratia cumulaſſe, ut *non ſolum contactus ipſius ſanitatem refunderet, verum etiam delata a carne ejus ſudaria & ſemicinctia morbos curarent*, * *&* Mali ſpiritus τοῦ πονηροῦ πνεύματος *abigerent : quin & ii, qui curioſas artes exercuerant, comportantes libros eorum coram omnibus exurerent*. (38) Unde habes argumentum firmiſſimum ad refellendos hæreticos, qui damnant cultum ſacrarum reliquiarum.

Act. XIX. 12. Bar. ad an. 55. §. 8.

* Dæmonis.

XX. *Nonne in eadem Urbe Epheſo ad beſtias pugnavit?*

℟. Leguntur Pauli verba hæc in epiſtola prima

(38) S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 17. §. 30. pag. 279.

S. Chryſoſtomus in Epiſt. 1. ad Corinth. hom. 13. pag. 439. *Sicut qui bello multa acceperunt vulnera, ſi viderint arma ejus, qui ipſos percuſſit, horreſcunt : ita etiam Dæmones ſemicinctia ſolum videntes territi abſcedebant*. Et in Epiſt. ad Rom. hom. 8. pag. 84. *Tanta erat in illo* fidei abundantia, *ut vel ejus veſtes magna pollerent poteſtate : quo igitur pacto nos ipſi excuſabimus? ſi illius quidem & umbræ & veſtes mortem exegere*. Et in epiſt. 1. ad Tim. hom. 16. pag. 1611. Pauli *veſtes mortuos ſuſcitabant*. Et ſerm. 6. tom. 5. pag. 99. Paulus *mortem umbra ſua ſolvebat, & morbos ſuis veſtimentis fugabat*.

Sudaria aliis ſunt vittæ capitis, aliis lintea ad detergendum ſudorem, aut purgandas nares. Semicinctia *zonæ ſunt, vel balthei, quos Orientales ad hanc quoque diem deferunt :* Auguſtinus Calmet in Act. Apoſt. cap. XIX. 12. pag. 977. tom. 7. & in diſſertat. de veſtibus veterum Hebræorum pag. XXXI. tom. 6.

Iſidorus lib. 19. Originum cap. 33. *Cinctus eſt lata zona, & minus lata ſemicinctium ; & utriſque minima cingulum*.

ma ad Corinthios cap. XV. 32. *Secundum hominem ad beſtias pugnavi Epheſi*. De hac pugna variant auctores. Baronio ad an. 55. §. 7. *magis placet ſententia Tertulliani, qui ait Apoſtolum per ea verba ſignificare voluiſſe Aſiaticas preſſuras*. (39) Tillemontius vero, Auguſtinus Calmet, & Cornelius a Lapide *Paulum Epheſi beſtiis objectum, cum eiſque depugnaſſe putant: hoc enim proprie ſi-*
Pag. 691. *gnificare Grecum* ἐθηριομάχησα. (40) Hoc docuiſſe S. Joannem Chryſoſtomum Hom. 40. in 1. ad Cor. ſcribentem hæc ſtatim poſt recitata verba D. Pauli: *Quid eſt*, ſecundum hominem? *Quod ad homines attinet, pugnavi cum beſtiis*: Theodoretum
Pag. 203. tom. 3. item in eamdem Epiſtolam: *Secundum humanam opinionem a beſtiis devoratus ſum: ſed admirabiliter & præter opinionem ſum ſervatus:* Cyprianum quoque videri in eadem opinione fuiſſe: nam epiſt. 6. de Apoſtolo Paulo loquitur in hunc modum: *Poſt carcerem ſæpe repetitum, poſt flagella, poſt beſtias, circa omnia mitis & humilis perſeveravit*. Atque hinc Natalis ipſe Alexander, qui Baronium ſequitur, ita ad extremum ſcripſit: *Hæc tamen verba*, ad beſtias pugnavi Epheſi, *proprio, non metaphorico ſenſu antiqui interpretes intellexerunt, quod nempe Apoſtolus Epheſi vere fuerit*

(39) Idem Baronius ibidem: *At vero nec aſſentimur Theophylacto, qui exiſtimavit, Paulum illis verbis ſignificare voluiſſe illas preſſuras, quas ultimo anno commorationis ſuæ Epheſi paſſus eſt inſtigatione Demetrii Argentarii. Nam eo tempore, quo ſcripſit primam epiſtolam ad Corinthios, qua de pugna cum Beſtiis meminit, nondum ea (de Demetrio contigerant*. Hoc ipſum docet Auguſtinus Calmet in Diſſertatione, *An Paulus Epheſi cum beſtiis pugnaverit*, præpoſita Epiſtolis ejuſdem D. Pauli pag. 35. tom. 8.

(40) S. Auguſtinus in Pſal. 29. Enarrat. 2. §. 5. *Non ſunt comprehenſi Apoſtoli, non ſunt cæſi, non ſunt flagellati, non ſunt occiſi, non ſunt crucifixi, non ſunt incenſi vivi, non ad beſtias pugnaverunt, quorum memorias celebramus?*

rit objectus beſtiis, a quibus Deo protegente liberatus eſt. (41)

XXI. *Nonne magnus in Paulum tumultus eadem in Urbe excitatus eſt?*

℞. Sic eſt. Deſcribitur autem a D. Luca his fere verbis. Demetrius Argentarius, qui Ædiculas Dianæ argenteas faciebat, metuens ſuo quæſtui, alios ejuſdem generis opifices in Paulum excitavit, qui non Epheſiis ſolum, ſed totius pæne Aſiæ populis perſuadebat, Deos illos non eſſe, qui manibus fierent. Ira accenſi, impetu in theatrum facto, Cajum, & Ariſtarchum Macedones D. Pauli ſocios rapiunt. Paulum in eam turbam irrumpere volentem prohibuerunt diſcipuli, & quidam de Aſiæ principibus, quos habebat amicos. (42) Seditionis leniendæ cauſſa, impellentibus Judæis, unus ex his, Alexander nomine, in concionem aſcendit. Ei, quod Judæus eſſet, obſtrepitur, & per duas ferme horas una fuit omnium vox clamantium; *Magna Diana Epheſiorum*. Nihil Paulo ad dolorem acerbius accidere potuiſſe, ſignificant Chryſoſtomus, & Theodoretus, affirmantes, huc per-

Act. Cap. XIX. 24. Bar. ad an. 57. §. 174.

(41) In epiſtolam I. ad Corinthios Cap. XV. 32. pag. 239.

(42) Iſti Aſiæ principes, ſeu Aſiarchæ, Sacerdotes erant Aſianorum, & Aſiarchia erat idem, ac Sacerdotium Aſiæ. Hoc fuiſſe traditur Aſiarcharum officium, ut publica munera darent ſuo ſumtu: quamobrem ad id non eligebantur niſi ditiſſimi & principes Civitatis, quorum opes ludis apparandis ſuppeterent. Idcirco autem Sacerdotes ludorum celebritati præficiebantur, quod ludi Diis fierent. Unus, an plures ſimul Aſiarchæ Sacerdotium gererent, non conſtat inter eruditos. Ego alterum potius credo, quia D. Lucas, plures Aſiarchas in theatro fuiſſe, cum Ariſtarchus, & Cajus correpti ſunt, aperte tradit. Ait enim: *Quidam ex Aſiarchis*. Lege Valeſium in Annotat. ad Euſebii Librum 4. Hiſt. Eccl. cap. 15. pag. 64.

Digitized by Google

pertinere, quod Paulus ad Corinthios paulo poſt ſcripſit: *Non volumus ignorare vos de tribulatione noſtra, quæ facta eſt in Aſia, quoniam ſupra modum gravati ſumus, ſupra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere*. (43) Sedato demum tumultu, Paulus in Macedoniam profectus eſt.

XXII. *Quænam eſt Melita, a cujus incolis naufragus perhumaniter exceptus eſt?*

Cap. XXVII. 1. Cap. XXVIII. 1. ℟. Adhuc ſub judice lis eſt. S. Lucas in Actis Apoſtolorum refert, Paulum, cum Romam ad Imperatorem, qui eum appellaverat, mitteretur, naufragio facto, in Melitam demum inſulam cum ſociis evaſiſſe. Inde orta diſſenſio inter doctos, ſit ne hæc Melita Adriatici maris Dalmatiæ adjacens, *Meleda* vulgo dicta, an Melita Siciliam inter, & Africam collocata, quæ inclyto atque invicto Equitum Hieroſolymitanorum Ordini paret, & *Malta* nunc vocatur. Multa dicuntur in partem utramque, ut diſtrahatur in aſſentiendo animus. Pro Melita, quæ Siciliam Africamque interjacet, ſtat Cluverius lib. 2. Siciliæ Antiquæ cap. 16. pag. 438. & Lambertinus Inſtitut. 47. §. 2. pag. 249. Pro Melita Adriatici ſinus accurate & uberrime diſputatum nuper eſt ab eruditiſſimo viro Ignatio Georgio Benedictino e Congregatione Melitenſi Raguſina. (44) Eſt hæc potiſſima ejus ratio. Paulus, teſte D. Luca, ſub naufragii finem
Act. XXVII. 27. nocte quartadecima cum nautæ *ſuſpicarentur apparere ſibi regionem*, in quam illuſtri die evaſerunt, *in Adria* navigabat: Adrianum vero mare intra

(43) Chryſoſtomus in Act. hom. 42. pag. 733. Theodoretus in Epiſtolam 2. ad Corinthios cap. 1. 8. pag. 214. tom. 3.

(44) In libro, qui inſcribitur *D. Paulus Apoſtolus in mari, quod nunc Venetus ſinus dicitur, naufragus, & Melitæ Dalmatenſis Inſulæ poſt naufragium hoſpes*.

intra Veneti Sinus atque Italiæ terminos conſtituunt ſcriptores ad unum omnes tum Chriſtiani, tum Ethnici, quotquot ante Antoninos Principes, & annum Chriſti 138. floruerunt, mentionem Adriæ, vel Adriatici ſinus facientes: Paulus igitur non ad Melitam Libyci, ſeu Siculi, ſive Jonii maris, ſed ad Melitam maris Adriatici vi tempeſtatis appulſus eſt. Ibi cum ſarmentis in ignem conjectis, viperæ inter ea latentis morſu in manu appetitus eſſet, excuſſam projecit, nihilque mali paſſus eſt: mirantibus qui aderant, & Deum eſſe dicentibus, quia mox putaverant moriturum. Rem narrat S. Lucas Act. XXVIII. 3.

XXIII. *Melita ſolvens quando Romam venit?*

℟. Melita poſt menſem tertium, quam eo appulerat, navi Alexandrina, quæ ibidem hyemaverat, cum ſociis ſolvens Syracuſas primum tenuit; inde triduo poſt Siciliæ litora legens Rhegium pervenit, atque die altero Puteolos, ubi rogatu fratrum Chriſtianorum dies ſeptem manſit. Inde pedeſtri itinere Romam venienti uſque ad Appii Forum amplius quinquageſimo, ac Tres Tabernas amplius trigeſimo ab Urbe lapide Chriſtiani occurrerunt. Atque ita Veris initio, menſe, ut opinor, Aprili, anno Æræ Vulgaris 61. non tanquam victus, ſed tanquam *Rex poſt navalem pugnam* victor, ut ait Chryſoſtomus, (45) Urbem ingreſſus eſt.

Act. XXVIII. 11. Bar. ad an. 59. §. 4.

XXIV. *Quamdiu Romæ in vinculis fuit, & quid interim egit?*

℟. Per biennium, quo Paulus Romæ in vinculis fuit, non verbis ſolum, ſed etiam ſcriptis Ec-

Act. XXVIII. 30.

(45) In Act. hom. 55. pag. 856.

Ad Philip. c. I. 13. 14. Eccleſiam inſtituit, atque erudivit. Scripſit enim Epiſtolas quinque, ad Philippenſes, ad Epheſios, ad Coloſſenſes, ad Philemonem, ad Hebræos. Cum enim Romam veniſſet, non cum ceteris vinctis, quos itineris ſocios habuerat, in carcerem conjicitur, verum ei conducta in domo habitare permittitur ſimul cum milite, qui ipſum cuſtodiret. (46) Ibi Chriſtianam Fidem libere tradidit ingredientibus ad ſe tam Judæis, quam Ethnicis, ita ut ipſam Cæſaris aulam ejus doctrina pervaderet, & plures ex Fidelibus ad Evangelium fidenter prædicandum animos ſumerent. (47) Biennio expleto, vinculis ſolutus Roma emigravit.

XXV. *Quonam deinde profectus eſt?*

℟. In Aſiamne, an in Hiſpaniam Roma decedens profectus fuerit, parum invenio. Nam ſi ejus Epiſtolam conſulo, videtur in Aſiam rediiſſe, quia ad Philemonem Coloſſis degentem ex Romanis vinculis ſcribens: *Para*, inquit, *mihi hoſpitium*; *nam ſpero per orationes veſtras donari me vobis:* Sin autem Patrum teſtimonia conſidero, cogunt me, in Hiſpaniam profectum eſſe, fateri. Plures enim ſunt, qui illuc iviſſe ajunt, quam qui negant. Ajunt Athanaſius, Cyrillus Hieroſolymitanus, Epiphanius, Chryſoſtomus, Theodoretus, Hieronymus, Gregorius Magnus, & alii; negant

(46) Cuſtodiæ hic erat modus, ut captivus longiuſcula catena dexteram haberet innexam, cujus extrema parte altera læva militis manus colligaretur, ut pariter incederent. Ibi autem fuiſſe Pauli hoſpitium, ubi nunc eſt Diaconia S. Mariæ in Via Lata, docet Baronius ad an. 59. §. 5.

(47) *Quippe probabile eſt, Pauli pro fide noſtra defenſionem a Nerone, qui circa initia imperii clementius ſe gerebat, benigne admiſſam fuiſſe*. Euſebius lib. 2. Hiſt. Eccl. extremo cap. 22.

gant vero duo Pontifices Summi, Innocentius I. in epiſtola ad Decentium, & Gelaſius in Concilio Romano II. apud Labeum tom. 4. Conc. pag. 1273. & apud Gratianum 12. quęſt. 22. c. *Beatus*. Quibus præter D. Thomam adde etiam, ſi placet, Pelagium hæreticum, qui in Epiſt. ad Rom. cap. 15. apud Hieronymum tom. VIII. *Utrum in Hiſpania Paulus fuerit, incertum haberi*, dicit, quod D. Pauli verba, quæ eo loco leguntur, conſilium proficiſcendi, non profectionem ſignificent. (48)

XXVI. *Sanavitne ægrotos, ſicut Petrus, ſola corporis umbra?*

℞. Ait Chryſoſtomus Hom. 6. in Epiſt. 1. ad Corinthios. *Nam cujus veſtes*, inquit, *mortuum ſuſcitabant, & umbræ morbos abigebant, &c.* At Baronius ad ann. 55. §. 11. *more Rhetorum amplificando potius, quam ut ex authentica probari poſſet hiſtoria, locutum eſſe, opinatur*, ratus id unius Petri fuiſſe privilegium. Et quidem favent Baronii ſententiæ Arator, & Aſterius. Verum ille annos 150. poſt Chryſoſtomum Romæ vixit; hic au-

Pag. 371.

Apud Bar. ad an. 34. §. 274.

I au-

(48) Innocentius I. epiſt. cit. apud Labbeum tom. 2. Conc. pag. 1245. Gelaſius adverſus Pelagianam hæreſim apud eumdem Labbeum tom. 4. Conc. pag. 1253. D. Thomas in Epiſt. ad Romanos cap. XV. lect. 3. pag. 47. Pelagius apud Hieronymum tom. 8. pag. 189. Verba Innocentii ſunt etiam in annotat. 8. ad S. Jacobum Majorem.

Vide Baronium ad an. 61 §. 2. Natalem Alexandrum Diſſertat. 15. in Hiſt. Eccl. ſæc. I. pag. 157. tom. 3. Tillemontium annotat. 73. in D. Paulum pag. 579. tom. 1. Ludovicum Vincentium Gotti in *Veritate Religionis Chriſtianæ* tom. 5. cap. 2. §. 22. pag. 247. & Bollandum 1. Februarii §. 3. pag. 7. & die 25. Jul. §. 12. pag. 94.

Michael Glicas part. 3. Annalium pag. 183. edit. Venetæ prodit, uxorem Probi in Hiſpania vidiſſe in fronte Pauli ſcriptum aureis litteris: *Paulus ille Chriſti præco*.

Bibl. Pat. autem, qui *illud mirabile de Apoſtolo* (Petro)
tom. 5. *conſcriptum, de quovis alio inauditum* dicit, non
pag. 826. hoc factum negat, ſed hujus facti mentionem negat fieri a Scriptura. Ac ſi Aratori & Aſterio exceptionem dare non liceret, tamen eſſet aſſentiendum Chryſoſtomo tum propter ſummam ejus auctoritatem, tum propter Ambroſii, Auguſtini, & Cyrilli Alexandrini teſtimonium, qui miram ægros ſanandi vim omnium Apoſtolorum umbris tribuunt. (49)

XXVII. *Tempore Apoſtolatus quid potiſſimum paſſus eſt?*

℞. *Quis corporis divexationes, in quibus per omnem vitam ſuam vixit, ad numerum revocet?* (50) Revocat ipſe. Epiſtola quidem I. ad Corinthios:
Cap. IV. 11. XV. 30. 31. 32. *Uſque in hanc horam*, inquit, *& eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus,* (51) *& laboramus operantes manibus noſtris,* (52) *maledicimur & benedicimus, perſe-*

(49) Ambroſius Hexaem. lib. 3. cap. 17. pag. 44. *Hanc prærogativam doni virentis acceperunt & Apoſtoli, quorum nec folium umquam potuit elabi, ut eorum etiam umbra ſanaret ægrotos.*

Auguſtinus in Joann. tract. 44. §. 5. *Numquid nox erat, quando tranſeuntibus diſcipulis ægri cum lectulis ponebantur, ut vel umbra tranſeuntium tangerentur? Dominus autem cum hic eſſet, neminem tranſiens umbra ſua ſanum fecit, ſed ipſe diſcipulis dixerat: Majora horum facietis.* Eandem ſententiam habet l. 22. de Civit. Dei cap. 5.

Cyrillus Alexandrinus lib. 6. contra Julianum: *Et eos, qui apud Chriſtum fuere; Petrum, inquam, & Joannem, & alios, quorum ſolæ corporum umbræ ægrotantibus ad curandum morbum ſufficiebant.*

(50) S. Baſilius Homilia in Pſalmum 33. pag. 192. tom. 1.

(51) Chryſoſtomus hom. 12. in I. ad Cor. pag. 434. καὶ ἀστατοῦμεν ἐλαυνόμενοι, *incertis erramus ſedibus expulſi*, ut vertit Gentianus Hervetus.

(52) Vide annotat. 5.

ſecutionem patimur & ſuſtinemus; blaſphemamur & obſecramus, (53) tamquam purgamenta hujus mundi facti ſumus omnium peripſema uſque adhuc. Rurſus in eadem Epiſtola: Omni hora periclitamur: quotidie morior: (54) Secundum hominem, ad beſtias pugnavi Epheſi. (55) Epiſtola vero ſecunda ad eoſdem Corinthios diligentius enumerans calamitates ſuas: *In laboribus*, ait, *plurimis*, *in carceribus abundantius*, *in plagis ſupra modum*, *in mortibus frequenter*. (56) *A Judæis quinquies quadragenas* (plagas) *una minus accepi*. (57) *Ter virgis* (ab Ethnicis) *cæſus ſum: ſemel* (Lyſtris) *lapidatus ſum*, (58) *ter naufragium feci*, (59) Cap. XI. 23. 24. 25. 27.

I 2

(53) Convitiis affecti Deum pro convitiantibus precamur & obſecramus.

(54) Turtullianus de reſurrectione carnis cap. 48. pag. 355. *Quotidie morior, utique periculis carnis, per quam & depugnavit ad beſtias Epheſi*.

(55) Vide annotation. 39.

(56) S. Clemens epiſt. 1. ad Corinthios cap. 5. pag. 25. *Paulus propter zelum in vincula ſepties conjectus, fugatus, lapidatus patientiæ præmium ſuſtinuit, & in Oriente ac Occidente verbi præco factus illuſtrem fidei ſuæ famam ſortitus eſt, in juſtitia mundum univerſum inſtruens, & ad Occidentis terminos veniens, & ſub Præfectis Urbis martyrium ſubiens ſic e mundo migravit, & in Locum ſanctum abiit patientiæ ſummum exemplar exiſtens*.

S. Chryſoſtomus hom. 6. in Matth. pag. 59. *Quod Paulus fleverit, & per triennium noctibus id fecerit ac diebus, & alii de illo, & ipſe de ſe ipſo teſtatur. Quod vero riſerit, neque ipſe uſquam, neque de eo quiſpiam alius oſtendit*.

(57) *Quare una minus? Priſca lege* (Deuteronomii cap. XXV. 3.) *ſancitum erat, ut ſi quis plus quam quadraginta verberum ictus accepiſſet, infamis apud ipſos eſſet*. Chryſoſtomus hom. 25. in II. ad Cor. pag. 917. V. annotat. 23. in cap. XIII. hiſt. Fam. ſacra.

(58) A Judæis, & quidem adeo crudeliter, ut ſepeliendum *traherent extra Civitatem, exiſtimantes eum mortuum eſſe*, ut eſt in Actis Apoſt. cap. XIV. 18. Atque hoc modo recenſet mortis pericula, quæ ſubjerat, & de quibus dixerat: *Quotidie morior*, & *in mortibus frequenter*.

(59) *nocte & die in profundo maris fui*. (60) Addit, ſe ubique pericula ſubiiſſe a latronibus, a Judæis, a Gentilibus, a falſis fratribus, (61) ac demum profitetur, ſe vitam egiſſe *in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & ſiti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate, præter illa, quæ extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana*, (62) *ſolicitudo omnium Eccleſiarum*. (63) In hac vero narratione non modo nihil per exagerationem ſpecioſam dictum, ſed etiam, ſi Chryſoſtomum audias, *plura prætermiſſa, quam enumerata*. (64)

In 2. ad Cor. hom. 25. pag. 917.

XXVIII.

(59) Præter naufragium Melitenſe, quod poſtea contigit. Act. XXVII.

(60) Locum hunc alii alio modo interpretantur. Quidam enim diem integrum demerſum fuiſſe, arbitrantur, & divina ope, ut olim Jonas in ventre ceti, ſervatum. Aliis in mentem venit exiſtimare, in ima putei parte latuiſſe, ut imminens a Lyſtrenſibus lapidationis periculum effugeret. Nonnulli apud Baronium ad an. 58. §. 43. intelligunt *teterrimum omnium carcerem Cyzicænum, qui ex eo, quod altiſſimus eſſet, adeoque deorſum depreſſus, merito* Profundum maris *ſit dictus*, non diſſimilis Athenienſium *Barathro*, Syracuſanorum *Latomiis*, Romanorum *Tulliano*. Ei nomen Βυθὸς, *Profundum*: qua ſola voce Paulus utitur, nulla mentione facta *maris*, quod habetur in Vulgata. Ad extremum alii, in quibus Chryſoſtomus, Theodoretus, D. Thomas, malunt, Paulum diu noctuque fluctibus jactatum. Βυθὸς enim ſine additamento uſurpatus & fundum maris imum, & ſummam ejuſdem partem ſignificat.

(61) S. Auguſtinus ſerm. 167. cap. 2. §. 2. *Cetera pericula quieſcere poſſunt, pericula a falſis fratribus quieſcere uſque in finem ſæculi non noverunt*.

(62) *Tumultus, commotiones, populorum oppugnationes, Urbium impetus*. Chryſoſt. hom. 25. in II. ad Cor. pag. 918.

(63) *Iſtud præcipuum omnium caput eſt, quod animus quoque ipſius diſtorquebatur, atque cogitatio diſtrahebatur. Nam etiamſi nulla res ipſum externe impetiviſſet, ſatis tamen ſuperque inteſtinum bellum erat, denſique atque aliis alii ſuperjecti fluctus, curarum agmina, cogitationum conflictus*. Idem Chryſoſtomus ibid.

(64) Vide epiſt. 1. ad Corinth. IV. 9. 11. 12. 13. item 2.

XXVIII. *Quid erat ille* ſtimulus carnis, Angelus Satanæ, *quo ſe exagitari ajebat?* 2. ad Cor. XII. 7.

℟. Variant hac de re interpretes ſacrarum Litterarum. (65) Alii capitis, alii inteſtinorum, alii corporis dolorem quendam a Satana immiſſum, alii podagram, alii ſtomachi infirmitatem, alii alium morbum fuiſſe, putant. Sunt, qui per *ſtimulum carnis*, & *Angelum Satanæ* intelligant Pauli adverſarios Alexandrum Ærarium, Hymenæum, Philetum, & omnes Chriſtianæ doctrinæ inimicos. Sunt etiam, qui ſcribant, Paulum a Satana pugnis & verberibus cæſum, ita ut dolor in ejus corpore quaſi ſtimulus remaneret. Sed ea vulgatior, atque receptior ſententia eſt, quæ affirmat, ſtimulum carnis fuiſſe pravas concupiſcentiæ libidines, Angelum vero Satanæ fuiſſe Dæmonem affectiones illas excitantem. Cui ſententiæ mirum in modum favet ipſe D. Paulus ſcribens ad Romanos: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Itaque Auguſtinus, qui de Apoſtolo id credere, ſummæ dementiæ eſſe arbitrabatur, poſtea veritati ſe ceſſiſſe dicit, ſcribens contra Julianum Pelagianum l. Cap. VII. 23. 24.

2. ad Corinth. IV. 8. uſque ad 12. & VI. 4. 5. & ad Philip. IV. 12. Vide etiam Chryſoſtomum lib. 3. de providentia cap. 12. pag. 216. tom. 4.

(65) S. Hieronymus epiſt. 25. pag. 163. *Patitur & Apoſtolus aliquid, quod non vult, pro quo ter Dominum deprecatur, ſed dicitur ei*: Sufficit tibi gratia mea, quia virtus in infirmitate perficitur: *& ad revelationum humiliandam ſuperbiam monitor quidam humanæ imbecillitatis apponitur in ſimilitudinem triumphantium, quibus in curru retro comes adhærebat, per ſingulas acclamationes Civium dicens*: Hominem te eſſe memento.

6. c. 23. & in Pſal. 58. ſerm. 2. §. 5. interpretans verba ipſa D. Pauli, quorum nunc ſenſum inquirimus: *Quis noſtrum*, inquit, *hoc dicere auderet, niſi ille confiteri non erubeſceret? Si enim dixerimus, hoc non paſſum fuiſſe Paulum, cum ei quaſi honorem deferimus, mendacium facimus.* (*66*)

XXIX. *Quando Romam rediit?*

℟. Orientis regionibus per biennium & amplius peragratis, in Urbem anno Chriſti *65*. revertitur. Quoniam vero priora ejus vincula adhuc celebrabantur, & non modo Chriſtianis, ſed etiam ipſi Prætorio, & Cæſaris aulæ nota erant, idcirco in carcerem detruditur, nec libera, ut antea, ſed arctiſſima cuſtodia detinetur. Quo factum, ut ab Oneſiphoro inveniri non potuerit, niſi quam diligentiſſime conquiſitus, ut teſtatur ipſe in altera epi-

(*66*) Eſtius in Pauli epiſt. II. ad Corinth. cap. XII. 7. *Rejiciunt quidem longiſſime memoratam expoſitionem ſtimuli carnis* Faber, *&* Eraſmus, *tamquam indigna ſit Paulo tali viro, eoque jam ſene: ſed qui miratur in Paulo ſene carnis incentivum, miretur & in* Gregorio Nazianzeno, *qui jam ſenex de eo carnis ſuæ malo ſæpe graviterque in ſcriptis ſuis conqueritur. Loca ſunt in* Carmine adverſus carnem, *& altero*, De calamitate naturæ ſuæ, *& tertio*, De rebus ſuis, *& in* epiſtola 96. *Vide & B. Auguſtinum* ſerm. 43. de Verbis Domini cap. 9. *Quamquam Paulus quando hanc epiſtolam ſcripſit, annos habebat duntaxat quinquaginta ſeptem, ut Baronius declarat* Tom. 1, *docens eum interfectum, cum annos haberet ſexaginta octo; epiſtolam autem hanc ſcriptam undecim annos antea.*

Fromondus ibidem: Stimulus, *Græce σκόλοψ id eſt palus acutus, aut lancea, ſeu ſpiculum grande. Neque enim hic eadem eſt vox Græca* Act,. IX. 5. *κέντρον. Vocavit autem Interpres* ſtimulum, *quia repetitis quaſi ictibus, ut ſtimulus bovis carnem ſtimulat.*

Tertullianus De fuga in perſecutione exſtremo cap. 2. *Apoſtolus refert, datum ſibi ſudem, Angelum Satanæ, ut colaphizetur.*

epiſtola interea temporis ad Timotheum data, in qua eum admonet, finem vitæ ſuæ appropinquare, & cito ſe mortem pro Chriſto ſubiturum. Cap. I. 27.

XXX. *Memorata Pauli vincula ubi aſſervantur?*

℟. Romæ. Quare D. Chryſoſtomus hom. 8. in Epiſt. ad Epheſios profitetur, ſi corpore uſus eſſet Pag. 178. valentiore, minoribuſque diſtentus fuiſſet pro Eccleſia negotiis, ſe quam libentiſſime, & magna cum voluptate ſuſcepturum fuiſſe iter longiſſimum, quod eſt Antiochia Romam; eo tantum conſilio, ut videret ſimul carcerem, in quem Paulus conjectus, ſimul catenas, quibus pro Chriſto conſtrictus fuerat, eaſque Angelis venerationem, Dæmonibus terrorem injicientes amplecteretur, oſcularetur, oculis admoveret. Plurima autem miracula per iſtas Pauli catenas edi ſolita docet Gregorius Magnus extrema epiſt. 42. lib. 13. qui pariter teſtatur, ex his perinde, atque ex illis D. Petri elimatam ſcobem ad viros principes mitti conſueviſſe. (67)

 XXXI.

(67) Epiſtola 30. l. 4. ubi ſubdit: *Dum frequenter ex catenis eiſdem multi venientes benedictionem petunt, ut parvum quid ex limatura accipiant; aſſiſtit Sacerdos cum lima, & aliquibus petentibus ita concite aliquid de catenis ipſis excutitur, ut mora nulla ſit. Quibuſdam vero petentibus, diu per catenas ipſas ducitur lima, & tamen, ut aliquid exinde exeat, non obtinetur.*

Baronius in Martyrolog. Rom. Kal. Auguſti: *De limatura catenarum* Petri *pro ingenti munere ad Reges & Principes, alioſque viros primarios de Dei Eccleſia benemeritos a Romano Pontifice mitti ſolita, quam plurimæ epiſtolæ* S. Gregorii *fidem faciunt. Moris enim erat eam includere aurea clavi ab altari* Petri *Apoſtoli accepta, & ad abſentes tranſmittere. Hi vero, ad quos parvula clavis mittebatur, religioſe accipientes, eam ſuſpendebant ad collum, ut Apoſtoli muniti præſidio a malis imminentibus tuti eſſent.* Vide Bolland. 29. Junii pag. 449. §. 9. & pag. 452. §. 10.

XXXI. *Quodnam mortis genus ſubiit?*

Ad Philipp. c. 1. 23.

℞. Quod vehementi ſtudio optarat, ut corporis quaſi carcere liberatus, eſſet cum Chriſto, id Romæ obtinuit, capite, juſſu Neronis, abſciſſo. Primum enim teſtantur id ſcriptores graviſſimi Petrus Alexandrinus Canone 9. (*68*) Tertullianus de Præſcript. Hæretic. cap. 36. (*69*) Euſebius lib. 2. Hiſt. Eccl. cap. 25. Chryſoſtomus hom. 10. in Epiſt. 2. ad Timotheum, Hieronymus de Script. Eccl. cap. 5. deinde cum eſſet Romanus Civis, non aliter, quam cæſa cervice interfectum eſſe, probabile admodum eſt. Quo magis mirari ſubit, S. Gregorium Nyſſenum Orat. 8. *de Beatitudinibus* ſcribere, eum fuiſſe cruci affixum. Nec dici poteſt, locutum per metaphoram, aut Paulum poſuiſſe pro Petro. Inquit enim: *Crucem Paulus excipit, gladium Jacobus, lapides Stephanus, capite deorſum verſo crucifixionem Beatus Petrus.* (70)

XXXII.

(*68*) Apud Beveregium in Pandectis Canonum tom. 2. part. 1. pag. 14.

(*69*) Ejus verba ſunt: *Iſta quam felix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt: ubi Petrus paſſioni Dominicæ adæquatur: ubi Paulus Joannis exitu coronatur.*

(70) Cauſſam præcipuam mortis Paulo illatæ fuiſſe, quod concubinam & pincernam Neronis convertiſſet ad Chriſtianam Fidem, docet S. Chryſoſtomus lib. 1. adverſus vituperatores vitæ monaſticæ cap. 4. & hom. 10. in Epiſt. 2. ad Timotheum.

Gladius, quo caput Apoſtoli præciſum eſt, aſſervatur Toleti in Cœnobio Hieronymianorum. In parte ejus altera ſunt verba hæc ſcripta litteris vetuſtioribus: *Neronis Cæſaris Mucro:* in altera recentioribus hæc: *Quo Paulus truncatus capite fuit:*

XXXII. *Quo anno, & quo die obtruncatus eſt?*

℟. Die prorſus eodem, quo Petrus in crucem actus, nempe III. Kal. Julias: qua de re, ut ſcribit Baronius ad an. *69.* §. *3.* inter omnes convenit. Id ambigitur, mortine uterque ſicut eodem die, ita eodem anno datus ſit. Prudentius περὶ ϛεφάνων Hymno 12. annum inter obitum utriuſque ponit:

Unus utrumque dies pleno tamen innovatus anno
Vidit ſuperba morte laureatum.

Et Arator Subdiaconus in libro Hiſtoriæ Apoſtolicæ altero:

geminos quos addidit aſtris
Non eadem tamen una dies, annique voluto
Tempore ſacravit repetitam paſſio lucem. (71)

D. Auguſtinus ſerm. 295. c. 7. ait: *Unus dies paſſionis duobus Apoſtolis: quamquam diverſis diebus paterentur. Præceſſit Petrus, ſecutus eſt Paulus. Sicut traditione Patrum cognitum memoria retinetur*, ut idem Auguſtinus ſubjicit ſerm. 381. Ex Græcis Photius in Bibliotheca cod. 276. locum affert. S. Nili, qui martyrium Petri ante Pauli exitum ponit. S. Dionyſius vero Corinthiorum Epiſcopus, qui altero Chriſti ſæculo vivebat, apud Euſebium l. 2. c. 25. occiſos illos edit κατὰ τὸν αὐτὸν καιρὸν, *eodem tempore*, quam vocem idem Euſebius de eodem anno interpretatus videtur. Nam in Chronico mortem utriuſque ſub iiſdem conſulibus collocat, quod facit etiam Bucherii Kalendarium. Eodem anno utrumque interfectum placet etiam S. Epiphanio hær. 27. §. 6. S. Hieronymo de Script. Eccl. cap. 5. S. Aſterio hom. 8. & Concilium Romanum anno 494. a Gelaſio celebratum habet, D. Paulum *non diver-* Pag. 1538.

(71) Bibliothecæ Patrum tom. 10. pag. 141.

verſo, *ſicut hæretici garriunt*, *ſed uno tempore*, *uno eodemque die glorioſa morte cum Petro in Urbe Roma* extremum vitæ diem confeciſſe. (72)

XXXIII. *Quandiu vixit?*

℟. Ad annum ætatis octavum & ſexageſimum vixiſſe, tradit Auctor Orationis *in Principes Apoſtolorum Petrum & Paulum*, *eorumdemque glorioſiſſimum martyrium*. Ejus autem ſunt verba hæc: Paulus *triginta & quinque annos*, *ſumma ad ſerviendum alacritate*, *Domino mancipavit*. *Perfecto denique octo & ſexaginta annorum vitæ curſu*, *quem pro pietate inſtitutum tenuerat*, *quievit*. (73) Quod

etſi

(72) S. Chryſoſtomus commentarium ſuum in Acta ita concludit hom. 55. pag. 856. *Corinthus illum biennio detinuit*, *Aſia triennio*, *Roma quoque biennio*. *Poſtea iterum aſcendit*, *quando etiam conſummatus eſt*. In prima mea defenſione, *inquit* 2. ad Tim. IV. 16. nullus mecum aderat. *Ita tunc transfugit*, *& cum omnem impleſſet orbem*, *vitam ſic finivit*. *Quid vis diſcere quę poſt hæc? Et illa talia ſunt*, *vincula*, *tormenta*, *pugnæ*, *carceres*, *inſidiæ*, *calumniæ*, *ac mortes quotidianæ*. *Vidiſti illius parvam partem: ita ſe habent & reliqua*. *Unam Cæli partem ſi videris*, *quocumque ieris*, *videbis talem*. *Ita ſe habent & Pauli acta*. *Vidiſti ex parte*, *omnia talia ſunt*, *periculis plena*. *Cælum erat ille*, *Solem habens juſtitiæ*, *non talem*, *qualis ille eſt*, *atque adeo vir ille Cælo melior eſt*. *Parum hoc eſſe putas? Quando* Apoſtolum *dixeris*, *ſtatim omnes illum cogitant*, *ſicut appellato* Baptiſta, *Joannem*.

De tempore, quo paſſi ſunt Apoſtoli, multa Bollandiani die 29. Junii pag. 407. §. 5.

(73) Inter ſpuria opera, quæ S. Joan. Chryſoſtomo a variis adſcripta fuere tom. 8. pag. 10. novæ editionis Bernardi de Montfaucon.

Bollandiani die 29. Junii §. 2. num. 10. pag. 401. *Nos Dictos* triginta quinque annos *ſumimus ab anno Æræ vulgaris trigeſimo uſque ad annum ſexageſimum quintum*. *Atqui ſuperſunt triginta tres ætatis*, *ut perveniatur ad annos vitæ ſexaginta octo: ſunt illi*, *quos habebat in ſua ad Chriſtum converſione*. *Verum*, *inquies*, *quomodo lapidaturi Stephanum dicuntur depoſuiſſe veſtes* ſecus pedes Sauli adoleſcentis, *ſi tunc erat*

etſi certum non affirmo, non tamen improbo, ſimul quia nihil reperire eſt, quod majoris momenti ſit, atque item nihil, quod ei videatur eſſe contrarium. Illud quidem eſt certiſſimum, eum jam ſenem mortem pro Chriſto obiiſſe. Quatuor enim aut quinque ante obitum annis ad Philemonem ſcribens ſenem ipſe ſe appellat. Ver. 9.

XXXIV. *Qualem corpore fuiſſe dicis?*

℟. Conſulatur Nicephorus, qui ita ſcribit l. 2. c. 37. *Paulus corpore erat parvo & contracto, & quaſi incurvo, atque paululum inflexo, facie candida, annoſque plures præſeferente, & capite calvo: oculis multa inerat gratia, ſupercilia deorſum verſus vergebant, naſus pulchre inflexus, idemque longior, barba denſior, & ſatis promiſſa, eaque non minus, quam capitis coma, canis etiam reſperſa erat.* Chryſoſtomus Oratione 30. in Principes Apoſtolorum *tricubitalem* appellat, ſed tamen, inquit, *Cœlum attingit*. Falſus Lucianus in Dialogo Bar. ad an. 69. §. 14. Tom. 6. pag. 316.

rat annorum triginta trium? Reſpondeo: quod Græce pro Adoleſcente *legitur* νεανίας, *quæ vox ſæpe ſignificat* ferocem & protervum, *ſive* juvenili protervia & ferocia præditum.

De Pauli ætate ita ſtatuit Baronius ad an. 36. §. 6. aſſerens memoratam orationem, natum Lentulo, & Piſone Coſſ. anno ab ortu Chriſti elapſo: Chriſtiana Fide initiatum, cum annum quintum & trigeſimum ageret; Apoſtolico munere functum per annos tres ſupra triginta: & anno ætatis 68. ſecuri percuſſum, qui annus eidem Baronio eſt Chriſti 69. Uſſerio 67. aliis alius.

Paulum in prædicationem Verbi Dei incubuiſſe annos quinque & triginta docet Glycas in Annalibus part. 3. pag. 176. Editionis Venetæ.

Oecumenius in Act. Apoſt. extremo cap. 40. *Omnes anni ab ejus vocatione ad mortem uſque ipſius triginta quinque; a paſſione autem ſalutari triginta ſex.*

D. Thomas in epiſt. ad Philem. extrema lect. 1. *Raro utilis doctor invenitur in Eccleſia, quin ſit longævus. Exemplum de Petro, &* Paulo.

go *Philopatris* pag. 770. facit ἀναφαλαντίαν, & ἐπίῤῥινον, *recalvaſtrum*, & *naſo juſto præditum*. Paulus ipſe in altera ad Corinthios Epiſtola Cap. X. 10. quid de ſe aliqui dicerent, refert his verbis: *Epiſtolæ, inquiunt, graves ſunt, & fortes, præſentia autem corporis infirma*.

XXXV. *Quot ſunt ejus Epiſtolæ, & qua lingua ſcriptæ?*

℞. Quatuordecim epiſtolas in ſacro Scripturarum canone recenſitas ſcripſit. (74) Ex his decem ad octo Eccleſias, quatuor ad diſcipulos ſuos. Sermone omnes Græco exaratæ ſunt, præter epiſtolam ad Hebræos, quam Hebraice ſcriptam, pluribus antiquis Scriptoribus credo. Nam qui ex recentioribus Græce ſcriptam contendunt, eas afferunt conjecturas, quæ veterum auctoritati non videntur anteponendæ. Non tamen negaverim, vel a D. Luca, vel a S. Clemente Pontifice in Græcam linguam translatam fuiſſe. (75)

XXXVI.

(74) S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 10. §. 18. *Mirari ſubit prudens Sancti Spiritus conſilium, quomodo ceterorum quidem Epiſtolas anguſto numero definivit, Paulo vero prius perſecutori quatuordecim ſcribere dedit. Non enim, quaſi minor eſſet Petrus, & Joannes, gratiam in eis reſtrinxit: abſit; ſed ut indubitabilem doctrinæ aſſereret auctoritatem, ei, qui prius hoſtis & inſectator fuerat, plura ſcribere conceſſit, ut ea ratione certam omnes fidem conciperemus*.

(75) D. Hieronymus epiſt. 103. pag. 675. *Paulus Apoſtolus ad ſeptem ſcribit Eccleſias (octava enim ad Hebræos a pleriſque extra numerum ponitur) Timotheum inſtruit, ac Titum, Philemonem pro fugitivo famulo deprecatur*. Idem lib. 2. adver. Pelag. cap. 3. pag. 577. *Cunctæ prope Epiſtolæ Apoſtoli hoc habent principium*: Gratia vobis & pax a Deo Patre, & Chriſto Jeſu Domino noſtro, *& ſimili fine clauduntur*. Vide Baronium ad an. 57. §. 6. 7. 8. & Joan. Albertum Fabricium lib. IV. Bibliothecæ Græcæ cap. 5. §. 9.

Cor-

Digitized by Google

XXXVI. *Omnes memoratæ epiſtolæ ſuntne revera D. Pauli?*

℟. Omnes Pauli nomen præſeferunt, excepta Epiſtola ad Hebræos, quæ una eſt, de qua olim dubitatum, teſte Hieronymo de Script. Eccl. cap. 5. *Epiſtola autem, quæ fertur ad Hebræos*, inquit, *non ejus creditur, propter ſtyli ſermoniſque diſſonantiam, ſed vel Barnabæ juxta Tertullianum, vel Lucæ Evangeliſtæ juxta quoſdam, vel Clementis, Romanæ poſtea Eccleſiæ Epiſcopi, quem ajunt ſententias Pauli proprio ordinaſſe & ornaſſe ſermone*. Hinc exiſtimarunt aliqui, iſtius epiſtolæ argumentum quidem, & ſententias eſſe D. Pauli; dictionem vero & ornatum Lucæ, vel Clementis Romani. Sed utcunque hæc ſe res habeat, ex epiſtola ipſa demonſtratur, eam eſſe D. Pauli. Scripta enim eſt *de Italia* a viro vinculis conſtricto, Cap. XIII. 3. 23. 24. cui ſocius & comes Timotheus. Quæ tria nulli præterquam D. Paulo conveniunt. Scripſiſſe autem D. Paulum ad Hebræos, confirmat etiam D. Petrus ſcribens ad eoſdem Hebræos Epiſt. 2. cap. III. 15. *Sicut & chariſſimus frater noſter Paulus ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis*. Quamobrem recte Jacobus Capellus, cujus auctoritate recentiores heterodoxos contrarium ſentientes refellas, *Auctorem ejus primarium*, inquit, *eſſe Spiritum Sanctum, non eſt quod dubitemus; ſecundarium eſſe*

Cornelius a Lapide in Epiſt. ad Epheſios cap. I. 10. Paulus *nomen* Jeſu *in parvis & paucis hiſce quatuordecim epiſtolis ſuis repetit ducenties decies*, Chriſti *nomen quadringenties, & ſemel*.

Omnium primæ a D. Paulo ſcriptæ traduntur Epiſtolæ duæ ad Theſſalonicenſes. In Bibliis diſpoſitæ ſunt pro dignitate Eccleſiarum, atque ideo quæ eſt ad Romanos, obtinet locum primum.

ſe Paulum, affirmantibus optimis quibuſque Scriptoribus, non eſt cur fidem abrogemus. (76)

XXXVII. *Epiſtola hæc eſtne ſemper recepta tanquam Canonica?*

℞. Græci tanquam Canonicam ſemper admiſerunt, Latini autem ſæculo duntaxat IV. aut V. Utrumque confirmant Auctores graviſſimi. Primum Hieronymus Epiſt. 129. ad Dardanum *Illud*, ait, *noſtris dicendum eſt, hanc epiſtolam, quæ inſcribitur ad Hebræos, non ſolum ab Eccleſiis Orientis, ſed ab omnibus retro Eccleſiis, & Græci ſermonis Scriptoribus, quaſi Pauli Apoſtoli ſuſcipi, licet plerique eam vel Barnabæ, vel Clementis arbitrentur: & nihil intereſſe, cujus ſit, cum Eccleſiaſtici viri ſit, & quotidie Eccleſiarum lectione celebretur. Quod ſi eam Latinorum conſuetudo non recipit inter Scripturas Canonicas, nec Græcorum quidem Eccleſiæ Apocalypſim Joannis eadem libertate ſuſcipiunt: & tamen nos utraque ſuſcipimus, nequaquam hujus temporis conſuetudinem, ſed veterum auctoritatem ſequentes.* Alterum vero teſtantur plures ex Patribus Latinis, qui a Baronio, & Tillemontio nominantur. (77) Quibuſcum ſentit Bellarminus, qui l. 1. de Verbo Dei cap. 17. Epiſtola ad Hebræos, inquit, *recepta fuit etiam ab omnibus Latinis poſt Lactantium*. (78)

Pag. 732.

XXXVIII.

(76) Tom. 7. Criticorum Sacrorum pag. 895.

(77) Ad an. 60. §. 50. Annotat. 72. in D. Paulum pag. 577. tom. I.

(78) Baronius ad an. 60. §. 43. animadvertit, Epiſtolam hanc jam inde ab initio videri ab Eccleſia Romana receptam, vel tamquam Pauli opus, vel ſaltem tamquam Canonicam, cum auctoris incerti epiſtola poſſit certo eſſe Canonica. Siquidem Clemens Romanus Pontifex, referente Euſebio l. 3. c. 32. ſuæ ad Corinthios epiſtolæ multa ex epiſtola

XXXVIII. *De harum epiſtolarum ſtylo quid cenſes?*

℟. Ipſi D. Pauli *obtrectatores* referente ipſo epiſt. 2. ad Corinthios cap. X. 10. ita ſtatuunt: *Epiſtolæ graves ſunt, & fortes, præſentia autem corporis infirma, & ſermo contemtibilis*. Non diſſentit Paulus ipſe. Ejuſdem ſiquidem Epiſtolæ capite ſequenti XI. 6. dicit ſe *imperitum ſermone, ſed non ſcientia*, quod videlicet *Græcam facundiam contemneret, vel certe, quod erat humilitatis, diſſimularet*. (79) Et ſane epiſt. I. ad Cor. cap. II. 4. *Sermo meus*, ajebat, *& prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione Spiritus & virtutis*. Prorſus ut *videantur quidem verba ſimplicia, & quaſi innocentis hominis, ac ruſticani, ſed quocumque reſpexeris, fulmina ſint*. (80)

ſtola ad Hebræos ſumta inſeruit, & aliquando iiſdem etiam verbis ex illa petitis uſus eſt. Quamvis autem de ea nominatim non meminerit, nihilominus Euſebius inde concludit, eam & opus non eſſe recenti hominum memoria editum, & merito reliquis Apoſtoli ſcriptis annumerari. Vide Auguſtinum Calmet Præf. in hanc Epiſtol. pag. 627. to.8.

(79) S. Hieronymus in Apologia adverſus Rufinum lib. 1. cap. 4. pag. 495.

S. Auguſtinus lib. 4. de doctrina Chriſtiana cap. 7. §. 15. *Videtur ubi ait*, Etſi imperitus ſermone, ſed non ſcientia, *quaſi concedendo obtrectatoribus ſic locutus, non tamquam id verum agnoſceret, confitendo. Si autem dixiſſet*, Imperitus quidem ſermone, ſed non ſcientia, *nullo modo aliud poſſet intelligi*.

Nihilominus idem epiſt. 151. ad Algaſiam quæſt. 10. pag. 824. *Illud, quod crebro diximus*: Etſi imperitus ſermone, non tamen ſcientia: *nequaquam Paulum de humilitate, ſed de conſcientiæ veritate dixiſſe, etiam nunc approbamus. Profundos enim & reconditos ſenſus lingua non explicat; & cum ipſe ſentiat quid loquatur, in alienas aures puro non poteſt transferre ſermone*.

(80) *Sicut ergo Apoſtolum præcepta eloquentiæ ſecutum fuiſſe non dicimus, ita quod ejus ſapientiam ſecuta ſit eloquentia, non negamus.* (81)

XXXIX. *Quid narras de Epiſtola S. Pauli ad Laodicenſes?*

℞. Præter quatuordecim memoratas epiſtolas, quas omnes ſecundum decretum Concilii Tridentini Eccleſia Catholica recipit, aliam ad Laodicenſes Paulum ſcripſiſſe, veteres aliqui exiſtimarunt. *Legunt quidam & ad Laodicenſes*, ait Hieronymus de Scriptor. Eccl. cap. 5. *ſed ab omnibus exploditur* tamquam ſuppoſititia. Porro hujus ſupponendæ epiſtolæ occaſionem videtur præbuiſſe editio Latina epiſtolæ ad Coloſſenſes, in cujus cap. IV. 16. ita eiſdem Paulus præcipit: *Et cum lecta fuerit apud vos epiſtola hæc, facite, ut & in Laodicenſium Eccleſia legatur, & eam, quæ Laodicenſium eſt, vos legatis*. Sed Græcus primigenius textus, qui habet: ϗ τὴν ἐκ Λαοδικείας, *Et eam, quæ ex Laodicæa*, oſtendit, epiſtolam illam ſcriptam fuiſſe Laodicæa, non a Paulo, qui Laodicææ numquam fuit, ſed potius a Laodicenſibus ad Paulum, qui quod eam informandis ad pietatem animis idoneam cenſuit, ejus lectionem imperavit. Ita hunc locum interpretantur Theodoretus,

Seſſ. 4.

(80) S. Hieronymus epiſt. 50. ad Pammachium cap. 4. pag. 391. ubi hæc etiam habet: *Paulum Apoſtolum proferam, quem quotieſcumque lego, videor mihi non verba audire, ſed tonitrua.*

(81) S. Auguſtinus lib. 4. de doctrina Chriſtiana cap. 7. §. 11.

Chryſoſtomus lib. 4. de Sacerdotio cap. 7. pag. 67. tom. 4. aſſerit, Paulum non miraculis ſolum inclaruiſſe, ſed etiam arte dicendi, & vocatum a Lycaonibus (Act. XIV. 11.) Mercurium *non a ſignis, ſed ab eloquentia.*

tus, & Oecumenius. (82) Sane Baronius ad an. 60. §. 13. obſervat, cum Paulus Coloſſenſibus mandaverit, ut Laodicenis ſalutem verbis ſuis nunciarent, id aperte demonſtrare, nullam tunc ad eos ſcriptam a Paulo epiſtolam. Neque vero Marcion, ut ait Tertullianus adverſus eumdem Marcionem cap. 11. & 17. quæ a D. Paulo ſcripta eſt ad Epheſios; eam ad Laodicenſes datam putaſſet, ſi exſtitiſſet id temporis alia ab eodem Apoſtolo ad Laodicenſes miſſa. Itaque arbitror aliquid humani paſſum fuiſſe Gregorium Magnum, qui lib. 39. Moralium in Job. cap. 20. præter quatuordecim epiſtolas, quas *Sancta Eccleſia tenet*, quintamdecimam ad Laodicenſes a Paulo ſcriptam videtur crediſiſſe. (83)

XL. *Quid de epiſtolis Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum?*

℟. Mutuam litterarum viciſſitudinem Paulum inter & Senecam interceſſiſſe, credunt viri Hiſto-

(82) Theodoretus in Epiſt. ad Coloſſenſes cap. IV. 16. pag. 363. *Quidam exiſtimarunt, ipſum etiam ſcripſiſſe ad Laodicenſes. Itaque fictam epiſtolam proferunt. Divinus autem Apoſtolus non dixit, eam, quæ eſt ad Laodicenſes: ſed eam, quæ eſt ex Laodicæa.* Eadem habet OEcumenius in eandem Epiſtolam cap. 10. pag. 146.

Vide Cellarii diſſertat. 3. *De ſeptem Eccleſiis Aſiæ in Apocalypſi memoratis* §. 37. pag. 450. part. 2.

(83) Utrum Epiſtola ad Laodicenſes, de qua meminit Hieronymus, eadem ſit, ac illa, quæ refertur a Sixto Senenſi l. 2. Bibliothecæ Sanctæ, habeturque Græce, & Latine impreſſa in Novo Teſtamento Hutteri, & in Philologo Hebræo Græco Joannis Leuſdens, incompertum eſt. Illud pro certo affirmare licet, eam non eſſe D. Pauli, cujus nomen præfert. Longe enim diſtat ab ejus ſtilo; nullum habet certum argumentum, & minime digna eſt, quæ a D. Paulo aliis legenda commendaretur. Vide Joannem Albertum Fabricium in Codice Apocrypho Novi Teſtamenti pag. 853.

riæ Eccleſiaſticæ peritiſſimi. Moventur autem auctoritate Hieronymi, & Auguſtini. Hæc ſiquidem ille de Script. Eccl. c. 12. *Lucius Annæus Seneca Cordubenſis, Socionis Stoici diſcipulus, & patruus Lucani Poetæ, continentiſſimæ vitæ fuit; quem non ponerem in catalogo Sanctorum, niſi me illæ epiſtolæ provocarent, quæ leguntur a plurimis Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum.* Hic vero epiſt. 153. §. 14. *Merito*, ait, *Seneca, qui temporibus Apoſtolorum fuit, cujus etiam quædam ad Paulum Apoſtolum leguntur epiſtolæ*, omnes odit, qui malos odit. At verbum illud *leguntur*, quo uſum utrumque video, nonnihil ſuſtinet aſſenſionem meam, atque efficit, ut haud ſatis credam, eos pro certo habuiſſe epiſtolas a Paulo ad Senecam, & a Seneca ad Paulum revera ſcriptas. Profecto ſex epiſtolas D. Pauli ad Senecam, & a Seneca octo ad D. Paulum, quæ exſtant apud Sixtum Senenſem lib. 2. Bibliothecæ Sanctæ, ſuppoſititias eſſe probatiſſimi conſentiunt auctores. Eodem modo alia ſcripta omnia, quæ hujus Apoſtoli nomine circumferuntur, ad fabulas amandant. (84)

(84) Vide Baronium ad an. 66. §. 11. Natalem Alexandrum ſæc. I. Hiſt. Eccl. cap. 12. §. 5. & Joannem Albertum Fabricium in Codice Apocrypho Novi Teſtamenti pag. 880.

DE

DE

S. ANDREA.

I. *Hujus initia quænam?*

℞. ANDREAS Simonis Petri frater fuit, *quem priorem* Petro *Chriſtus Apoſtolum ſcribitur elegiſſe*. (1) Quare a Græcis πρωτόκλητος, *primus vocatus*, cognominatur. (2) Is *cœlibem vitam ducens Præcurſoris Domini factus eſt diſcipulus: Petrus negotiis intendebat, qui uxori, & familiæ, & patris ſenio providebat*. (3) Uter natu ma- Joan. I. 35. 40.

(1) S. Gaudentius ſerm. 17. tom. 5. Bibl. Patr. pag. 968.

(2) S. Auguſtinus De conſenſu Evangeliſtarum lib. 2. cap. 17. §. 37. *Joannes* cap. I. 40. *dicit non in Galilæa, ſed juxta Jordanem primo Andream ſecutum eſſe Dominum cum alio, cujus nomen tacetur*. Hunc verò *unum e Zebedæi liberis fuiſſe, propter artis ſocietatem ac communionem rectiſſima conjectura ſuſpicatus eſt* S. Epiphanius hær. 51. §. 15.

Ducangius in Gloſſario ad Scriptores mediæ, & infimæ Græcitatis ad verbum πρωτόκλητος pag. 1265.

Alii Petrum ſimul & Andream πρωτοκλήτους *primos vocatos* nominant, quod ſimul ante alios omnes a Chriſto vocati ſint: Cyprianus Ep. 71. *Petrus, quem primum Dominus elegit, & ſuper quem ædificavit Eccleſiam ſuam*. Gregorius l. 2. in Ezech. Hom. 6. alias 18. *Non ad memoriam revocat* (Petrus) *quod primus in Apoſtolatum vocatus ſit*. Sed Patres iſti, cum dicunt primum electum, vocatumque Petrum, non ſignificant, primum fuiſſe ordine, ſed dignitate, & Principatu, quem Chriſtus Petro in ceteros Apoſtolos, Eccleſiamque univerſam contulit.

(3) Sophronius Hieroſolymitanus tom. 5. Bibl. Patr. pag. 1123.

Michael Maudit. tom. 2. Analyſis Scripturæ Sacræ differtat. 2. in Evangelia pag. 489. Petrum quoque facit diſcipulum Joannis Baptiſtæ. Sed peritiſſimus ille ſcriptorum ve-

te-

Joan. I. 40. major, non ſat planum traditur. Id certo conſtat, ab Andrea ad Jeſum, quem ipſe prius invenerat, Petrum adductum. Ambo cum Chriſto collocuti ad propria deinde reverſi ſunt. Non enim ſtatim ſe totos Chriſto addixere; ſed quo modo antea Joannis Baptiſtæ diſcipulus Andreas fuerat, eodem poſtea uterque Chriſti, ita nimirum, ut ad eum ventitarent, & rurſus piſcatum redirent. (4) Quos cum Jeſus in mari Galilææ piſcantes vidiſſet, arceſſivit pollicitus ſe effecturum, ut piſcatores hominum in poſterum eſſent. Qua voce vix audita, retibus relictis totos ſe ad ejus voluntatem nutumque converterunt. *Et ex illo jam inhæſerunt illi, ut non recederent.* (5)

II. *Quibus gentibus prædicavit?*

℟. Sophronius Hieronymo ætate, & familiaritate conjunctus memoriæ prodit, Evangelium prædicaſſe Scythis, Sogdianis, Saccis, & Sebaſtopoli, cui *Magnæ* cognomen, Colchidis Urbe. (6) De Scy-

terum Tillemontius, nullam ſe uſpiam ejus rei mentionem inveniſſe, affirmat ad calcem annotat. I. in S. Mariam Magdalenam. pag. 477. tom. 2.

(4) S. Aug. de conſenſu Evangeliſtarum lib. 2. cap. 17. §. 37. S. Epiphanius hær. 51. §. 15. *Dicente Petro* (apud Lucam V. 8.) Diſcede a me quia homo peccator ſum. *Fortaſſis enim pœnitebat ipſum, quod ab illo vocatus initio ad piſcaturam denuo rediiſſet.*

(5) S. Auguſtinus in Joan. Tract. 7. §. 9. Epiphanius hær. 51. §. 15. *Quam rem accuratiſſime Lucas expreſſit: cur ita ſecuti ſint, numquam ut amplius diſceſſerint, nec vocati diſtulerint. Ita quippe ſcripſit:* Cum ad lacum Geneſareth veniſſet, vidit Simonem & Andream reficientes retia: & aſcendit in navim, quæ erat Simonis Petri, & Andreæ. *Quod quidem declarat, jam inter ipſos aliquam interceſſiſſe notitiam. Hunc igitur propter familiaritatem accipiunt; & is conſcenſo navigio ſedit.*

(6) Apud Hieronymum de ſcriptoribus Eccleſiaſticis pag. 265. tom. I.

Scythia idem teſtatur Origenes apud Euſebium l. 3. Hiſt. Eccl. c. 1. Theodoretus in Pſal. 116. addit Græciam, S. Gregorius Nazianzenus Orat. 25. Epirum, S. Hieronymus epiſt. 148. Achajam, & complura Martyrologia ejus in Epiſcopum Ordinationem, ſeu Cathedram Patris Achajæ Urbe Nonis Februarii celebrant, ut eſt apud Bollandum die 5. Februarii pag. 594. (7) Moſchi hodie eum ſuæ auctorem Fidei jactant. (8)

III. *Inſtituitne etiam Eccleſiam Conſtantinopolitanam?*

℟. Tradunt id Græci quidam recentiores, Nicephorus Conſtantinopolitanus in Chronographia, Pag. 329. & Nicephorus Calliſtus lib. 2. Hiſt. Eccl. c. 39. Codinus de Antiquitatibus, ſeu Originibus Con- Pag. 47. ſtantinopolitanis, Græcorum Menæa, ipſumque Romanum Martyrologium pridie Kal. Novem- Ad an. bris. Sed his fidem non adjungendam putat Ba- 44. §. 12. ronius, *cum nemo umquam antiquorum id dixiſſe re-* & 31. Ad *periatur*. Nicolaus Magnus ſimiliter Eccleſiam il- an. 314. §. 96. lam ab aliquo ex Apoſtolis inſtitutam, negat, Pag. 588. ut legere eſt apud Tillemontium annotat. 1. in tom. 1. S. Andream. Eodem accedit, quod S. Gregorius Pag. 436. Nazianzenus Orat. 25. cum eos refelleret, a quibus reprehendebatur, quod peregrinus & extraneus divini Verbi prædicator Conſtantipolim acceſſiſſet, cumque ad ſe purgandum S. Andreæ exemplum aſſumeret, meminit quidem prædicatio-

 nis

(7) S. Paulinus Carm. 24. tom. 6. Bibl. Patr. pag. 289.
Hic Pater Andreas, hic qui piſcator ad Argos
Miſſus, vaniloquas docuit muteſcere linguas.

(8) Hieronymi verba ſunt: *Dominus in omnibus locis verſabatur, cum Thoma in India, cum Petro Romæ, cum Paulo in Illyrico, cum Tito in Creta, cum Andrea in Achaja, cum ſingulis Apoſtolis, & Apoſtolicis viris in ſingulis cunctiſque regionibus.*

nis ejus in Epiro, nullam vero de illa Thracia, & Conſtantinopolitana mentionem facit: quam profecto non omiſiſſet, ſi ullam certam ejus rei memoriam inveniſſet. Quidni igitur commentum id a Græcis fuerit, ut Byzantinam Eccleſiam Apoſtolicam jactarent, & ab Andrea potius, quam ab alio Apoſtolorum inſtitutam dicerent, quod ejus corpus anno 357. Patris Conſtantinopolim translatum, ibi tunc inveniretur? (9)

IV. *Ubi, & quando mortem pro Chriſto ſubiit?*

℞. Acta martyrii S. Andreæ a Presbyteris, & Diaconis Eccleſiarum Achajæ conſcripta, quæ a ſeverioribus ævi noſtri Criticis vetuſtiſſima quidem, non tamen autographa creduntur, Patris in Achaja Egææ Proconſulis juſſu in crucem actum referunt. (10) Quo autem tempore id contigerit, ignoratur. Baronius in annum Chriſti 69.
Ad an. 69. §. 34. ejus mortem refert. Tillemontii ſententia inclinat in annum ſequentem. (11) Martyrologia omnia tum Græca, tum Latina pridie Kal. Decem-

(9) D. Hieronymus adverſus Vigilantium cap. 2. pag. 408. tom. I. *Conſtantinus Imperator ſanctas reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei tranſtulit Conſtantinopolim, apud quas Dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantii illorum ſe ſentire præſentiam confitentur.*

(10) Honorius Auguſtodunenſis lib. 1. de antiquo ritu Miſſarum cap. 104. tom. 20. Bibl. Patr. pag. 1061. *Pro teſtimonio hujus ſacrificii* Petrus, & Andreas, & Philippus *ſunt crucifixi*, Paulus, & Jacobus, Matthæus, & Bartholomæus *decollati*, Jacobus, Simon, & Thaddæus *enecati*, Joannes *veneno*, & *exilio excruciatus*, Thomas *transfoſſus*.

Patris tumulatum docet S. Paulinus Carm. 26. Bibl. Patr. tom. 6. pag. 293.

Sic Deus & reliquis tribuens pia munera terris,
Sparſit ubique loci magnas ſua membra per Urbes,
Sic dedit Andream Patris, Epheſoque Joannem.

(11) Annotat. 3. in S. Andream pag. 593. tom. I.

cembris de eo memorant. Ex his quædam habent, S. Andream Apoſtolum Betlehemi ſub Herode Agrippa morte affectum. Sed hunc alium eſſe a S. Andrea Apoſtolo, docet Florentinius in Martyrologio Hieronymiano, & loco *Apoſtoli* legendum *Aporii*, ſeu *Aponii*. Pag. 119. & 120. 307. & 308.

V. *Verene cruci affixus eſt?*

R. Vere. Conſtat id ex antiquiſſima Eccleſiæ Traditione. S. Petrus Chryſologus tamen arbori ſuffixum dicit, quam oleam fuiſſe, vult falſus Hippolytus. (12) Hinc fortaſſe pictores ad Crucem D. Andreæ effingendam truncos arboris duos in ſpeciem Græcæ litteræ χ, aut Latinæ X decuſſatos pingere ſolent. (13) Secundum Menæa die 30. Novembris, & Nicephorum lib. 2. cap. 30. cruci *clavis affixus eſt*. Itaque funibus alligatum, quod volunt nonnulli, jure negat Bellarminus lib. 2. de imaginibus Sanctorum cap. 27.

(12) Chryſologus ſerm. 133. Bibl. Patr. tom. 7. pag. 950. Hippolytus Bibl. Patr. tom. 3. pag. 265.

(13) Etiam Lipſius lib. 1. de Cruce cap. 7. ambigit, num vera fama ſit de cruce decuſſata, in quam fertur ſublatus S. Andreas. De Cruce S. Andreæ erecta, quæ aſſervatur Maſſiliæ, multa Joannes Jacobus Chiffletius in Veſontione part. I. cap. 48. pag. 200.

DE
S. JACOBO,
CUI *MAJORI* COGNOMEN.

I. *Quænam ſunt de Jacobo-*Majore *ante Chriſti mortem ſcitu digna?*

Matth. IV. 21. ℞. JACOBUS, qui cognomine *Major* dicitur, ut diſtinguatur a Jacobo *Minore* primo Hieroſolymorum Epiſcopo, Bethſaidæ in Galilæa Patre Zebedæo, matre Salome natus eſt. Fratrem habuit S. Joannem Evangeliſtam. Uter-
Marci I. 19. III. 17. que cælebs, uterque piſcator. (1) Hi cum intenti componendis in cymba retibus a Chriſto Domino vocarentur, ſtatim, *relicto patre, rete, navicula*, eum *ſecuti ſunt, affectum ſanguinis & vincula ſaculi, & curam domus pariter relinquentes*. (2) Apoſtoli conſtituti, *Boanerges*, hoc eſt tonitrus filii *ex firmitate, & magnitudine Fidei* nominati ſunt, ut ait Hieronymus in cap. X. Mat-
Pag. 15. thæi. Una cum D. Petro & ab ſocru ejus ma-
Matth. XVII. 1. gnas febres pellentem, *& in monte transfiguratum Dominum conſpexerunt, & ad Archiſynagogi*
XXVI. 37. *filiam* a mortuis excitandam *ire cum Domino*, ac
Marc. I. 29. tri-

(1) S. Hieronymus in Eſajam lib. 2. cap. 42. pag. 141. & 142 *Apoſtolos videns Jeſus in litore juxta mare Geneſaret, reficientes retia ſua, vocavit, & miſit in magnum mare, ut de piſcatoribus piſcium faceret hominum piſcatores, qui de Hieruſalem uſque ad Illyricum & Hiſpanias Evangelium prædicaverunt, capientes in brevi tempore ipſam quoque Romanæ Urbis potentiam.*

(2) S. Hieronymus epiſt. 22. ad Euſtochium de cuſtodia Virginitatis cap. 9. pag. 145.

Digitized by Google

triſtitiæ ejus in horto teſtes eſſe, *meruerunt*. (3) Cum Samaritani eum hoſpitio recipere noluiſſent, maxima fiducia petiere, velletne, Cælo deducerent ignem, qui duros illos & inhumanos abſumeret. (4) Sed nimium eorum zelum Chriſtus repreſſit. Non effecit tamen ea reprehenſio, ne per matrem Salomem, quæ Chriſtum una cum aliis feminis ſequebatur, id paucis poſt diebus peterent, ut alter ad dexteram, ad lævam alter in Regno ejus collocarentur. (5) Verum Chriſtus *intelligens*, ut eſt apud Hieronymum in Matth. cap. 20. *preces matris ex filiorum deſcendere voluntate*, illos rejecit ea voce: *Neſcitis*, *quid petatis*, præ-

Luc. IX. 53. 54.

Pag. 42.

(3) S. Hieronymus in Eſajam cap. 17. pag. 76. tom. 4. S. Ambroſius lib. 7. in Luc. cap. 9. pag. 121. *Petrus aſcendit, qui claves Regni Cælorum accepit: Joannes, cui committitur Domini mater: Jacobus, qui primus martyrium ſuſtinuit.*

(4) Peccaverintne tunc Apoſtoli, dubitatum eſt. Tractat hunc locum Hieronymus epiſt. 151. ad Algaſiam quæſt. 5. pag. 818. atque ita concludit: *Dominus increpat eos, quod non meminerint doctrinæ ſuæ, & bonitatis Evangelicæ, in qua dixerat:* Qui te percuſſit in maxillam, præbe ei & alteram: Et diligite inimicos veſtros. Auguſtinus contra Adimantium cap. 17. §. 5. *Illi animo inimico perdere cupiebant, quos volebant igne conſumi.* Contradicit Ambroſius in Lucam cap. 9. pag. 125. *Nec diſcipuli peccant, qui legem ſequuntur. Sciebant enim, & Phinees reputatum ad juſtitiam, quia ſacrilegos interemerat, & ad preces Eliæ ignem deſcendiſſe de Cœlo, ut prophetæ vindicaretur injuria.*

(5) Quemadmodum cum Chriſto, ita cum Apoſtolis *fideles mulieres habentes terrenam ſubſtantiam ibant cum eis, & miniſtrabant eis de ſubſtantia ſua, ut nullius indigerent horum, quæ ad neceſſaria vitæ hujus pertinent*, ait Auguſtinus de Opere Monachorum cap. 4. §. 5. Id ſiquidem, ut refert Hieronymus in Matth. cap. 27. *pag. 65. conſuetudinis Judaicæ fuit (nec ducebatur in culpam more gentis antiquo) ut mulieres de ſubſtantia ſua victum atque veſtitum præceptoribus miniſtrarent. Hoc quia ſcandalum facere poterat in nationibus, Paulus abjeciſſe ſe memorat. Dicit enim ipſe* (1. ad Cor. Cap. IX. 5.) Numquid non habemus poteſtatem ſorores circumducendi, ſicut & ceteri Apoſtoli faciunt? Vide textum & annot. 103. de Apoſtolis in univerſum.

prædicens utriſque, fore, ut martyrium ſubirent. Quam vaticinationem etiam in Joanne, ut idem Hieronymus tradit, eventus comprobavit.

II. *Cur dicitur* Major?

℞. Triplici de cauſa. Primum enim dicitur *Major* comparatus cum Jacobo *Minore*, ante quem
Cap. X. 3. in catalogo Apoſtolorum recenſetur a D. Matthæo. Deinde quia fuit unus ex tribus Apoſtolis, quos Chriſtus Dominus pluris, quam ceteros, facere viſus eſt: (6) nam dignus eſt habitus, qui ſimul cum Petro, & Joanne præſens videret Chriſtum ſecreto ab aliis Apoſtolis, & *transfigurantem* ſe in monte, & filiam Archiſynagogi vitæ pri-
Cap. XVII. 1. ſtinæ reſtituentem, quorum alterum Matthæus,
Cap. V. 37. alterum Marcus tradit. Poſtremo quia primus Apoſtolorum omnium per mortem teſtatus eſt Fi-
Act. XII. 2. dem Chriſti, ut Lucas narrat.

III. *Cur dignus habitus eſt, qui cum Petro, & Joanne intereſſet Transfigurationi Chriſti?*

℞. Interrogat ſimul & reſpondet S. Chryſoſto-
Pag. 500. mus hom. 57. in Matthæum. *Quamobrem hos ſolos accipit? Quia excellentiores ceteris erant. Et Petrus quidem, quia valde Chriſtum diligeret, idcirco præſtabat. Joannes vero, quia nimium diligebatur, ac Jacobus a reſponſo, quod dedit cum fratre interrogatus dicens:* Poſſumus hunc calicem bibere: *& non ſolum a reſponſo, ſed etiam ab operibus*

(6) Euſebius lib. 2. Hiſt. Eccl. cap. I. pag. 30. *Clemens in ſexto Inſtitutionum libro ait, poſt Servatoris aſcenſum Petrum, Jacobum, & Joannem, quamvis Dominus ipſos ceteris prætuliſſet, non idcirco de primo honoris gradu inter ſe contendiſſe; ſed Jacobum cognomine* Juſtum *Hieroſolymorum Epiſcopum elegiſſe.* Vide annot. 6. & 7. de Apoſtolis in univerſum.

ribus tum aliis, tum ab his, per quæ implevit, quod dixerat: ſic enim acer, atque gravis Judæis erat, ut magnum munus illis obtuliſſe, cum eum interfecerit Herodes, viſus ſit. (7)

IV. *Uter natu major, Jacobus, an Joannes?*

℞. Jacobus. Nam Jacobus, ut ait Hieronymus Pag. 472.
in Ezechiel. cap. 43. *in catalogo Apoſtolorum, in quo bina junguntur nomina, prior fratre ponitur:* & Joannes, eodem Hieronymo teſte, omnium Apoſtolorum natu minimus fuit. Ita enim ſcribit epiſt. 1. *Minimum diſcipulum Jeſus amabat plurimum.* Pag. 3.
Libro autem adverſus Jovinianum primo cap. 14. *Joannes unus ex diſcipulis, qui minimus traditur fuiſſe inter Apoſtolos:* & paucis interjectis, Pag. 334. & 335.
Joannes electus eſt adhuc adoleſcens, ac pene puer.... Ut autem ſciamus, Joannem tunc fuiſſe puerum, manifeſtiſſime docent Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, quod uſque ad Trajani vixerit imperium, id eſt, poſt Paſſionem Domini ſexageſimo octavo anno dormierit. Quæ verba reputantibus ſatis apparet, omnes Apoſtolos Joanni Evangeliſtæ ætate præceſſiſſe. (8)

IV.

(7) Idem Chryſoſtomus in Matthæum hom. 66. pag. 577. *Jacobus non longo tempore poſtea vixit. Nam ſtatim ab initio rerum tanto ardore concaluit, ut humanis omnibus rebus neglectis ad tantam ſublimitatem aſcenderet, ut a perſecutoribus confeſtim occiſus ſit.*

Origenes contra Celſum lib. 2. §. 64. pag. 435. *Jeſum non ſemper intuentibus viſum fuiſſe, ſed pro intuentium captu, evidens erit cogitanti, illum, cum in excelſo monte transfigurandus eſſet, non ſecum Apoſtolos omnes duxiſſe; ſed Petrum, Jacobum, & Joannem ſolos, utpote qui ſoli videndæ ejus gloriæ pares erant, poterantque Moyſem, & Eliam in gloria conſpicuos contemplari, eos colloquentes, & cæleſtem vocem e nube emiſſam audire.*

(8) In eadem ſententia eſt S. Ambroſius in Lucam cap. 23. pag. 225. & S. Paulinus epiſt. 21. alias 24.

V. *Quibus Jacobus prædicavit?*

℞. *Duodecim Tribubus in diſperſione omnibus prædicavit Evangelium Domini noſtri JESU Chriſti*, ſi ei, qui Catalogum Scriptorum Eccleſiaſticorum pag. 268. D. Hieronymi amplificavit, libet aſſentiri. *Eundem Apoſtolum in Hiſpanias eſſe profectum, illiſque prædicaſſe Evangelium, Hiſpaniarum Eccleſiæ omnes ex æquo profitentur*, ut ait Baronius ad an. 44. §. 1. Sed quæ afferuntur hujus rei probationes, vel falſæ ſunt, vel ita leves, ut nihil ex iis concludi poſſit. Quod demum ſenſit idem Baronius ad annum 816. §. 49. ubi revocat, aut dubiam ſaltem facit ſententiam, quam in annotat. ad Martyrologium VIII. Kal. Auguſti poſuerat. Cum enim in Concil. OEcum. XII. Lateranenſi IV. anno 1215. controverſia de Jure *Primatus* inter Archiepiſcopos Toletanum, & Compoſtellanum magna contentione diſceptaretur, recuſaretque hic illi parere, & ſubeſſe, quod corpus S. Jacobi primi, ut ajebat, Hiſpaniarum Apoſtoli in ſua Eccleſia coleretur, Rodericus Ximenius Archiepiſcopus Toletanus coram Innocentio III. & quingentis octoginta tribus Epiſcopis acriter defendit, nullum argumentum afferri poſſe, quo probaretur, S. Jacobum in Hiſpaniam aliquando profectum: ſubjecitque, ſe id nunquam legiſſe, ſed tantum a religioſis quibuſdam feminis accepiſſe, cum junior eſſet. Subjungit præterea Baronius teſtimonia Innocentii I. & Gregorii VII. Alter enim in epiſtola ad Decentium ſcribit, nullum alium, quam D. Petrum Hiſpanos docuiſſe, & omnes ejus regionis Eccleſias a Petro, aut a Petri Succeſſoribus conſtitutas. Alter vero in epiſtola ad Alphonſum, & Sancium Reges Hiſpaniarum narrat, *ſeptem Epiſcopos ab Urbe Roma ad inſtruendos Hiſpaniæ populos a Petro & Paulo Apoſtolis di-*

directos fuiſſe, *qui*, *deſtructa idololatria*, *Chriſtianitatem fundaverunt*; idque confirmat auctoritate Prædeceſſorum ſuorum Innocentii I. Hormiſdæ, & Conciliorum Toletani, & Bracarenſis. (9) Opinio igitur de adventu Jacobi in Hiſpaniam non admodum certa eſt, ut videre licet apud Ludovicum Vincentium Gotti in *Veritate Religionis Chriſtianæ* tom. 5. cap. 4. §. 2. ubi utriuſque opinionis argumenta non ſolum refert, ſed etiam expendit.

VI. *Iſthæc opinio quando orta?*

℞. Poſt ſæculum VIII. quo elapſo, exſtitere, qui Hiſpanos Chriſti præceptis a S. Jacobo primum imbutos volunt. Reſponſio autem Roderici Archiepiſcopi Toletani aperte indicat, Hymnum, quo S. Jacobi in Hiſpaniam adventus celebratur, Bre-

(9) Verba Innocentii ſunt hæc in epiſtola ad Decentium Epiſcopum Eugubinum apud Gratianum cap. ult. diſt. XI. & apud Labbeum tom. 2. Conc. pag. 1245. *Quis neſciat, aut non advertat id quod a Principe Apoſtolorum Petro Romanæ Eccleſiæ traditum eſt, ac nunc uſque cuſtoditur, ab omnibus debere ſervari, nec ſuperinduci aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum? præſertim cum ſit manifeſtum, in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam, atque Siciliam, inſulaſque interjacentes nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, quos venerabilis Apoſtolus Petrus, aut ejus ſucceſſores conſtituerint Sacerdotes. Aut legant, ſi in his provinciis alius Apoſtolorum invenitur, aut legitur docuiſſe. Quod ſi non legunt, quia nuſquam inveniunt, oportet eos hoc ſequi, quod Eccleſia Romana cuſtodit, a qua eos principium accepiſſe, non dubium eſt.*

Gregorii VII. locus integer eſt apud Labbeum tom. 10. Conc. pag. 53.

Prædicationem Jacobi in Hiſpania propugnant Bollandiani ad diem 25. Julii pag. 69. tom. 6. Cardinalis de Aguirre in Collectione Maxima Conciliorum Hiſpaniæ tom. I. diſſertat. 9. Excurſu 2. §. 15. pag. 137. & alii, a quibus non diſſentit Lambertinus De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 4. part. 2. cap. 10. num. 17.

Breviario Toletanæ Eccleſiæ poſt annum 1215. fuiſſe inſertum, alioquin non ita fidenter id Rodericus negaſſet.

VII. *De Jacobi morte quid narras?*

℟. Eum juſſu Herodis Agrippæ Regis Judæo-
Act. XII. 2. rum gladio Hieroſolymis cæſum, ut in Actis A-
poſtolorum; non *Cæſareæ Palæſtinæ*, ut in Baſilii
Menologio legitur: (10) Primum ex Apoſtolis
Martyrium ſubiiſſe, ac proinde, quem inter Mar-
Bar. ad tyres Stephanus, eundem inter Apoſtolos locum
an. 44. §. Martyrii gloria obtinere. (11) Ad tempus mor-
1. tis quod attinet, alii anno Chriſti 42. alii 44. paulo ante Feſtum Paſchæ obtruncatum dicunt. Eccleſia Latina nihilominus honorem ei habet die quinto & viceſimo Julii, & Græca pridie Kal. Majas, cujus rei certam cauſam non invenio.

VIII. *Quando ejus corpus in Hiſpaniam translatum eſt?*

Bar. ad ℟. Ferunt, translationem eodem anno conti-
an. 816. giſſe, quo idem Apoſtolus obtruncatus eſt; tunc
§. 52. An. 918. ſublatum fuiſſe corpus, quod canibus atque volu-
§. 2. cribus objectum fuerat, impoſitumque navigio I-
ri-

(10) Apud Ughellum tom. 10. Italiæ Sacræ in Anecdotis pag. 294. num. 185.

(11) Euſebius lib. 2. Hiſt. Eccl. cap. 9. *De hoc Jacobo rem prorſus memoria dignam refert Clemens in ſeptimo Inſtitutionum libro, prout eam a majoribus acceperat. Ait enim eum, qui Jacobum judicio obtulerat, cum illum vidiſſet Chriſti fidem libere confitentem, commotum viri conſtantia, ſe quoque Chriſtianum eſſe affirmaſſe. Ambo igitur, inquit, ſimul ad ſupplicium ducti ſunt. Cumque inter eundum rogaſſet Jacobum comes, ut ſibi veniam daret, pauliſper moratus Jacobus:* Pax tibi, *inquit, ſtatimque illum oſculatus eſt. Ita ſimul ambo capite truncati interiere.*

riam Flaviam delatum VIII. Kal. Auguſti, atque inde Compoſtellam: ſævientibus autem in Chriſtianos perſecutionibus, occultatum ſub terram; mortuiſque, qui detulerant, & occultaverant, uſque ad annum Chriſti 816. latuiſſe. Quare Venantius Fortunatus, qui medio Sæculo VI. vixit, lib. 1. carm. 4. Vincentium, non Jacobum apud Hiſpanos celebrem tradit, ut plane appareat, nullam id temporis fuiſſe de corpore S. Jacobi in Hiſpaniam translato, & ibi quieſcente famam. (12)

(12) Pictores Jacobum Majorem fingere ſolent cum baculo, & concha. Vide Joannem Molanum lib. 3. De imaginibus cap. 26.

DE

Digitized by Google

DE S. JOANNE, APOSTOLO, ET EUANGELISTA.

I. *Expone mihi S. Joannis vitam.*

℞. JOANNES, quo in nomine Hebraicæ linguæ periti divinæ gratiæ ſignificationem ineſſe ajunt, Zebedæi & Salomes filius, adoleſcens
Marci I. 19. annorum circiter viginti ſex, deſertis parentibus, abjecto omni inſtrumento artis, qua uſque ad eum diem victitarat, Chriſtum vocantem, nulla interpoſita mora, ſecutus, totum ſe ei addixit. Itaque tanta illum ſibi caritate devinxit, ut ab eo eximie ac ſingulariter præ ceteris omnibus ſectatoribus ac diſcipulis amaretur. Cujus *amoris præcipui cauſam virginitatem* dixit Hierony-
Pag. 334. mus lib. 2. adverſus Jovin. cap. 14. (1) Ego tamen ut illud non nego, ita non dubito, quin aliis etiam virtutibus tantam ſibi apud Chriſtum gratiam conciliaverit. Omni enim ex parte digniſſimum fuiſſe neceſſe eſt, quem optimus Judex amore digniſſimum judicavit. Inenarrabilis hujus benevolentiæ babeo teſtimonia duo, ex quibus facile conjici poterit, quam carus Chriſto fue-

(1) Ambroſius, fuiſſe amorem Joannis erga Chriſtum *Propenſiori ſtudio caritatis*, inquit in Luc. cap. IX. 29. pag. 124. *Joannes plurimum diligens, & ideo plurimum redamatus*; Chryſoſtomus autem manſuetudinem: *Quid igitur*, ait hom. 32. in Joan. pag. 170. *hanc præcipuam dilectionem conciliavit? Incredibilis, arbitror, Joannis manſuetudo, & lenitas, qua remiſſior ſæpenumero videbatur: quæ quanta ſit virtus, ex Moſe manifeſtum eſt, quippe quæ tantum & talem præſtiterit: nihil enim humilitati comparandum.*

fuerit. In cœna enim illa Myſteriorum pleniſſima, qua cum ſuis celebrata, & ſacratiſſimo Euchariſtiæ Sacramento inſtituto, omnem in omnes amorem ſuum effudit, unus ex omnibus Joannes dignus habitus eſt, qui in ſinu ejus recumberet, & *cui ſoli Judam traditorem præmonſtraret*. (2) Parem, atque adeo majorem in Joannem amorem Chriſtus poſtea oſtendit, cum id, quod cariſſimum habebat in terris, Matrem ſcilicet ſuam, ei commendavit, & illam huic matrem, hunc illi filium eſſe juſſit. Quare ſicut Petro plus ceteris amare Chriſtum, ita Joanni plus ceteris amari a Chriſto, ſacrarum litterarum auctoritate tribuitur. (3) Qui ſumme a Chriſto amabatur,

Joan. XIII. 23.

Joan. XIX. 26. 27. XXI. 15.

L ma-

(2) Tertullianus De Præſcript. Hæretic. cap. 22. pag. 209.

(3) D. Auguſtinus in Joan. tract. 124. §. 4. *Illud in his duobus Apoſtolis Petro, & Joanne quem non moveat ad quærendum, cur Joannem plus dilexerit Dominus, cum ipſum Dominum plus dilexerit Petrus? Ubicumque enim ſe commemorat Joannes, ut nomine ſuo tacito ipſe poſſit intelligi, hoc addit, quod eum diligebat Jeſus, quaſi ſolum diligeret, ut hoc ſigno diſtingueretur a ceteris, quos utique omnes diligebat. Quid ergo niſi amplius ſe dilectum, cum hoc diceret, volebat intelligi?* Quæſtionem ſolvit idem Auguſtinus, cujus reſponſum D. Thomas 1. p. quæſt. 20. art. 4. ad 3. paucis complectitur. *Vita activa*, inquit, *quæ ſignificatur per Petrum, plus diligit Deum, quam vita contemplativa, quæ ſignificatur per Joannem, quia magis ſentit præſentis vitæ anguſtias, & æſtuantius ab eis liberari deſiderat, & ad Deum ire. Contemplativam vero vitam Deus plus diligit, quia magis eam conſervat; non enim finitur ſimul cum vita corporis, ſicut vita activa.*

Quidam *vero dicunt, quod Petrus plus dilexit Chriſtum in membris, & ſic etiam a Chriſto plus fuit dilectus; unde ei Eccleſiam commendavit. Joannes vero plus dilexit Chriſtum in ſeipſo, & ſic etiam plus ab eo dilectus; unde ei commendavit Matrem.* Alii *vero dicunt, quod incertum eſt, quis horum plus Chriſtum dilexerit amore caritatis, & ſimiliter quem Deus plus dilexerit in ordine ad majorem gloriam vitæ æternæ. Sed Petrus dicitur plus dilexiſſe, quantum ad quamdam promptitudinem, vel fervorem: Joannes vero plus dilectus, quantum ad quædam*

ſa-

magnopere Chriſtum amabat. Nam captum a militibus uſque ad Caiphæ domum comitatus eſt, eoque ingreſſus etiam Petrum paulo poſt introduxit, nec unquam ab eo confitendo deterritus, *ſtetit ſolus Apoſtolorum ante Crucem, matremque Salvatoris in ſua recepit*, ut ait Hieronymus epiſt. 16. Ad ejus ſepulcrum tanta celeritate properavit, ut Petri adventum præcurreret. (4) Eundem redivivum, dum una cum aliis diſcipulis in mare Tiberiadis piſcaretur, ſtantem in litore omnium primus agnovit, & Petro oſtendit. (5) Poſt Aſcenſionem ejus in Cælum, Concilio Hieroſolymæ de cæremoniis veteris legis celebrato interfuit. (6) Ad Parthos deinde ſe contulit; quod

Joan. XX. 4. Pag. 122. Jo. XXI. 7.

familiaritatis indicia, quæ Chriſtus ei magis demonſtrabat propter ejus juventutem, & puritatem. Alii *vero dicunt, quod Chriſtus plus dilexit Petrum, quantum ad excellentius donum caritatis; Joannem vero plus, quantum ad donum intellectus. Unde ſimpliciter Petrus fuit melior, & magis dilectus; ſed Joannes ſecundum quid. Præſumtuoſum tamen videtur hoc dijudicare, quia, ut dicitur Proverb. XVI.* Spirituum ponderator eſt Dominus, & non alius.

Ex quibus intelligis, quomodo explicare poſſis Chryſoſtomum, cum ſeorſum ſentiens ab Auguſtino ad illud Joan. cap. XXI. *Petre, amas me magis his?* inquit hom. 32. in Joan. pag. 170. *Qui autem præ ceteris diligebat, procul dubio & præ ceteris diligebatur.*

(4) Euthymius in Joan. cap. 18. tom. 19. Bibl. Patr. pag. 723. *Invicem ſe ambo vicerunt: Joannes quidem præcurrendo, Petrus vero in monumentum introeundo.*

(5) Idem Euthymius eodem loco Bibl. Patr. pag. 726. *Perſpicacior quidem erat Joannes magnitudine puritatis: Petrus vero ferventior vehementia amoris: ideo agnoſcit quidem eum Joannes ante Petrum: ſed egreditur ad eum Petrus ante Joannem.*

(6) Ibi, teſte Chryſoſtomo in Epiſt. ad Gal. cap. 1. pag. 962. *Eorum, qui ex Judæis crediderant, imbecillitati* valde indulgere viſus eſt, quod illi ægre adducerentur, ut ſacros Veteris Teſtamenti ritus relinquerent. S. Irenæus quoque l. 3. adver. Hær. cap. 12. docet, eum *religioſe egiſſe circa diſpenſationem Legis, quæ eſt ſecundum Moyſem*; & Euſebius l. 5. c. 24.

quod docet epiſtola ejus prima Parthis olim inſcripta, ut eſt apud Auguſtinum libro Quæſtionum Evangelicarum ſecundo cap. 39. Indi etiam, ſe ab eo Chriſti fidem accepiſſe, tradunt. complures in minore Aſia Eccleſias inſtituit; omnes vero præceptis & doctrina conſtabilivit: Epheſi præſertim commoratus eſt. Sæviente altera a Domitiano excitata in Eccleſiam perſecutione, Epheſo Romam vinctus mittitur, ubi in ferventis olei dolium injectus, non ſolum illæſo corpore exivit, ſed etiam tanquam Chriſti athleta vegetiore. (7) In Patmon Ægæi maris Inſulam poſtea relegatus, ibi divinum Apocalypſeos libellum conſcripſit: Domitiano interfecto, reſtitutiſque ab ejus ſucceſſore Nerva exulibus, rogatu diſcipulorum, ac omnium pęne Epiſcoporum Aſiæ, Epheſi degens, Evangelium, jam centum annos natus, ut Chryſoſtomus, ſeu potius nonaginta, ut Epiphanius auctor eſt, (8) litteris conſignavit, ad retundendam Cerinthi, & Ebionis inſaniam, qui, Chriſtum ante Mariam non fuiſſe, & hominem tantum eſſe, ef-

c. 24. Paſcha celebraſſe Luna decima quarta. Quem propterea Paſcha celebrandi morem diu, & quidem pertinacius retinere Aſiani, ac defendere conati ſunt.

(7) Eo ſupplicio affectum Romæ juſſu Domitiani, affirmant Martyrologiorum Scriptores die 6. Maji: at falſus Abdias lib. 5. Hiſtoriæ Apoſtolicæ §. 2. vult id contigiſſe Epheſi juſſu Proconſulis. Illis magis credendum, docet Tertullianus De Præſcr. Hæret. cap. 36. *Apoſtolus Joannes poſteaquam in oleum igneum demerſus, nihil paſſus eſt, in inſulam relegatur.*

(8) Chryſoſtomus hom. 67. De Joanne Theologo tom. 6. pag. 604. *Poſtea vero quam ab exilio reverſus eſt, pervenit Epheſum, ibique commorans Evangelium conſcribit, cum eſſet annorum centum, & uſque ad totos centum viginti vitam propagavit.*

Epiphanius Hær. 51. §. 12. pag. 433. & 434. *Spiritus Sanctus Joannem ad ſcribendum Evangelium impulit affecta jam ætate, utpote qui jam nonageſimum annum excederet, poſtquam a Patmo inſula reverſus eſt.*

effutiebant: atque ideo ea præſertim perſecutus eſt, quæ Chriſtum etiam Deum eſſe comprobarent, expromens altiſſimi Myſterii cognitionem, quam ex pectore ipſius Chriſti Salvatoris hauſerat. (9) Præter Evangelium, & Apocalypſin, tres Epiſtolas ab Eccleſia receptas ſcripſit. Cum præ ſenectute ad plura verba non ſufficeret, præclaram illam vocem: *Filioli diligite alterutrum*, ſæpe in Eccleſia iterare conſuevit. Ajebat enim hoc præcepto omnia contineri, teſte D. Hierony-
Pag. 158. mo in Epiſt. ad Gal. cap. 6. Denique cum Epheſi in ſumma tranquillitate uſque ad amplius nonaginta ætatis annos vixiſſet, (10) ita ut Dominus

(9) S. Ambroſius in Luc. lib. 2. cap. 2. pag. 26. tom. 3. *De cæleſti generatione, ſi quæris, lege Evangelium S. Joannis, qui a cæleſtibus exorſus ad terrena deſcendit: illic invenies, & quando erat, & quomodo erat, & quid erat, quid egerat quid agebat, & ubi erat, & quo venerit, quo tempore venerit & qua cauſſa venerit*. Quæ omnia e veſtigio S. Ambroſius exponit.

S. Hieronymus epiſt. 85. pag. 624. *Filius tonitrui, quem Jeſus amavit plurimum, qui de pectore Salvatoris doctrinarum fluenta potavit*. Et in Ezech. cap. 28. pag. 418. *Joannes Evangeliſta recubuit in pectore ejus, ut hauriret fluenta ſapientiæ, & poſſet dicere*: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.

S. Hilarius De Trinitate lib. 2. §. 12. *Quærite & intelligite, utrum mirabilius fuerit mortuos excitaſſe, an imperito, ſcientiam doctrinæ iſtius intimaſſe. Ait enim* In principio erat Verbum.

Chryſoſtomus Procem. in Joan. pag. 2. *Plane conſtat, ipſos Angelos ſumma cum attentione ejus ſeſe auditores exhibuiſſe. Idcirco non parum honoris conſequimur, quod nobiſcum Angeli didicerint, quæ neſciebant, priuſquam hic diceret*.

(10) Epiphanius Hær. 51. §. 12. pag. 434. dicit, Joannem ætatis *nonageſimum annum exceſſiſſe*. Beda in Chronico pag. 111. tom. 2. tradit, eum *ſexageſimo octavo anno poſt paſſionem Domini, ætatis autem ſuæ nonageſimo octavo Epheſi placida morte quieviſſe*. Uſuardus in Martyrologio eumdem mortuum narrat annos natum novem ſupra nonaginta, Chronicon Paſchale pag. 201. *centum, & menſes ſeptem*, Cedrenus in Compen-

nus fore prædixerat, exceſſu placidi ſoporis ſimillimo, ad eum omnium Apoſtolorum poſtremus evolavit, virgineo nitore, Apoſtolica dignitate, Evangeliſtæ gloria, Martyrii citra violentam mortem laurea, & Prophetiæ ſpiritu unus ex omni cælicolarum numero inſignis. (11) An. Chr. 101.

II. *De ejus virginitate quid ſcriptis traditum?*

℞. Fuerunt recentioris ævi Scriptores non ignobiles, qui exiſtimarent, Joannem eum fuiſſe, cujus nuptiis in Cana Galilææ habitis Chriſtus interfuit. Sed contra cœlibem fuiſſe affirmant graviſſimi, & antiquiſſimi Eccleſiæ Patres, ut videatur hæc fuiſſe communis veterum ſententia. (12) Nam ut alios taceam, Hieronymus quidem certe in Eſaiam cap. 56. ſcribit, Eccleſiaſticam Hiſtoriam teſtem eſſe cælibatus Joannis: & lib. 1. adverſus Jovin. cap. 14. collata in ipſum a Chriſto privilegia ejus virginitati tribuit; quæ ſane non tribueret, ſi Veteres de Joannis cælibatu unquam du- Bar. ad an. 31. §. 30.

L 3

pendio Hiſtoriarum pag. 196. *annos centum & ſex*, Hippolytus Thebanus apud Lambecium lib. 3. Commentar. de Bibliotheca Cæſarea pag. 47. *decem ſupra centum*. Denique Chryſoſtomus hom. 67. tom. 6. pag. 604. *uſque ad totos centum viginti annos vitam* Joannis *propagavit*.

(11) S. Hieronymus lib. 1. adver. Jovin. cap. 14. pag. 335. *Petrus Apoſtolus eſt, & Joannes Apoſtolus, maritus, virgo: ſed Petrus Apoſtolus tantum, Joannes & Apoſtolus & Evangeliſta & Propheta: Apoſtolus, quia ſcripſit ad Eccleſias, ut magiſter: Evangeliſta, quia librum Evangelii condidit, quod, excepto Matthæo, alii ex duodecim Apoſtoli non fecerunt: Propheta, vidit enim in Patmos inſula, in qua fuerat a Domitiano Principe ob Domini martyrium relegatus, Apocalypſim infinita futurorum myſteria continentem.*

(12) Epiphanius hær. 58. §. 4. Chryſoſtomus de Virginitate cap. 82. Caſſianus collat. 16. cap. 14. Ambroſius de inſtitut. Virginis cap. 7. Paulinus epiſt. 43. Vide Lambertinum De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 3. cap. 37. num. 1. & Capiſuccum Controverſia 13. §. 1.

dubitaſſent. Magnum enim inde negotium Hieronymo creaſſet Jovinianus, qui Joannem cælibem fuiſſe pertinaciter negabat, ſi veterum alicujus auctoritate niti potuiſſet.

III. *Unde iſte de ejus nuptiis error natus?*

Ad an. 31. §. 31. ℞. Baronius exiſtimat, erroris anſam dediſſe non recte intellecta D. Auguſtini, ſeu potius auctoris incerti verba, quæ ſunt apud eundem Auguſtinum in præfatione ad Evangelium Joannis. Accipe verba ipſa: *Iſte ſiquidem eſt Joannes, quem Dominus de fluctivaga nuptiarum tempeſtate vocavit, & cui matrem Virginem virgini commendavit.* Locum igitur hunc ita quidam accipiunt, ut putent, Joannem jam nuptiis obſtrictum a Chriſto vocatum fuiſſe. Quo reſpexiſſe crediderim D. Thomam cum ſcripſit, *Joannem volentem nubere, a nuptiis* a Chriſto revocatum. Bene tamen habet, quod Auguſtinus ipſe ad calcem ejuſdem operis referens opinionem eorum, qui dicunt, *a Chriſto Joannem Apoſtolum propterea plus amatum, quod neque uxorem duxerit, & ab ineunte pueritia caſtiſſimus vixerit*, ipſam non improbat, & Evangelii locum de nuptiis explanans, nullam facit de Joanne mentionem. Et in libro De bono conjugali cap. 21. affirmate & aſſeveranter dicit, eum *nullas expertum eſſe nuptias*. Id autem cum ita ſit, ſequitur, per ea verba indicari, Joannem vocatum a nuptiis fuiſſe, non quod uxorem jam ductam dimiſerit, ſed quod omninò non duxerit. (13)

2. 2. q. 186. art. 4. ad 1.

In Joan. tract. 124. §. 7.

IV.

(13) Vide Eſtium in Evangelium Joannis cap. II. 1. pag. 530.

IV. *Fuitne Joannes adoleſcens ille, qui, cum Jeſum ſequeretur, captus a ſatellitibus*, rejecta ſindone, nudus profugit ab eis? Marci XIV. 52.

℟. Non convenit. Affirmat Baronius ſecutus auctoritatem Ambroſii, Gregorii Magni, & Bedæ, ſubjicitque, recentiores, qui id negarunt, eo negaſſe, *quod cauſam, cur Joannes ſuper nudo ſindone amictus eſſet, ignorarunt*. Quæ tamen ratio nihil aliud probat, quam difficile eſſe, hujus rei veram cauſam afferre. Epiphanius Hær. 78. §. 13. dicit, fuiſſe Jacobum fratrem Domini, in quo tamen ſibi non conſtat. Nam refert eodem loco, illum mortuum eſſe, cum annum ſextum & nonageſimum expleſſet. Cujus mors cum anno Chriſti *61*, aut *63*. contigerit, efficitur, annis amplius triginta ante Chriſtum natum fuiſſe, ac propterea ſenem fuiſſe, non adoleſcentem tempore mortis Chriſti. Theophylactus opinatur, *fuiſſe quemdam e domo, in qua comederant Paſcha*. Cajetanus ait, *æſtimari poſſe, quod adoleſcens ille in lecto erat ibi in horto, & ſurrexerat vel forte ad rumorem, vel ad aperiendam januam horti, & amans Chriſtum, utpote frequenter converſatum in illo horto, ſequebatur illum*. Alii exiſtimant, fuiſſe juvenem quendam juxta viam degentem, qui, audito ſtrepitu ſatellitum tranſeuntium, ſciendi cupidus, quid ille tumultus eſſet, e lecto ſubito ſurgens endromide induſio ſuperjecta in turbam proſilierit. (14) Joannes enim, ut aperte teſtatur Chryſo-

Ad an. 34. §. 68. 69.

In Marc. cap. XIV. pag. 276. Quæſt. 4. Jentaculi 6.

L 4

(14) Sindonem illam endromidem fuiſſe ſuſpicor, non vero linteum nulla veſtis forma donatum, & frigori arcendo minime idoneum. Induſio autem fuiſſe circumpoſitam, veriſimile eſt. Subucula vero indutum diei nudum poſſe, conſtat ex ſacra Scriptura. Nam Saul nudus prophetaſſe (1. Reg. XIX. 24.) Iſaias nudus ambulaſſe dicitur (Iſai. XX. 2.)

ſoſtomus, Chriſto a Judæis vincto, numquam aufugit: (15) atque univerſalis illa enunciatio Matthæi, & Marci: *Tunc diſcipuli omnes, relicto eo, fugerunt*, aliquam exceptionem admittit, ſicut admittunt hujuſmodi aliæ: quod omnes facile norunt. (16)

Cap. XXVI. 56. cap. XIV. 50.

Joan. XVIII. 15.

V. *Diſcipulus ille, qui cum Jeſu atrium Caiphæ Pontificis ingreſſus Petrum intromiſit, fuitne Joannes?*

Pag. 577. ℟. Ajunt Chryſoſtomus, & Hieronymus, ille
Pag. 421. hom. 66. in Matth. & hom. 82. in Joan. hic ep. 16. ad Principiam. At S. Auguſtinus Tract. 113.
Pag. 122. in Joannem §. 2. id dubitavit affirmare. Inquit enim:

2.) & in libro Job. cap. XXII. 6. habetur: *Nudos ſpoliaſti veſtibus:* demum a Joanne cap. XXI. 7. Petrus *nudus* ſcribitur, non quod omnino nudus in navi cum ſociis eſſet, ſed quod ſuperiorem veſtem abjeciſſet, ut commodius piſcaretur. His ſimilia loquitur Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium l. 6. c. 40. ἤμην γυμνὸς ἐν τῷ λινῷ ἐσθήματι: *eram nudus in linea tunica*. Ea igitur ratione juvenis ille, relicta ſindone, ſeu endromide, nudus aufugit.

(15) Ecce verba Chryſoſtomi hom. 85. in Matthæum pag. 714. *Ingens hujus diſcipuli* (Petri) *ardor fuit, qui nec ceteris quidem fugientibus territus eſt, ſed ſecutus etiam introivit. Nam etſi Joannes quoque id fecerat, ſed tamen notus erat Pontifici*. Ceterum de fuga Apoſtolorum tempore paſſionis Chriſti legendus Auguſtinus in Joannis Evangelium tract. 103. §. 3. & Melchior Canus de Eccleſiæ Catholicæ auctoritate lib. 4. cap. 5.

(16) Suarez in 3. part. D. Thom. tom. 2. quæſt. 46. art. 8. Diſputar. 34. ſect. 3. *Adde, nullum eſſe fundamentum ad affirmandum, illum fuiſſe Jacobum, vel Joannem, præſertim cum neuter eorum adoleſcens tunc fuerit, vel potius adoleſcentulus, ut Græca habent. Nam Jacobus ſexageſimum ætatis annum excegerat, Joannes vero trigeſimum attigerat, ſi tempora & ætates, in quibus mortui ſunt, conſulantur. Quare veriſimile eſt, quod Caietanus dicit, illum fuiſſe aliquem ex ſervis, qui in ea villa degebant*. Vide Caſaubonum exercitat. 16. ad Annales Baronii §. 65.

enim: *Quiſnam iſte ſit diſcipulus, non temere affirmandum eſt, quia tacetur. Solet autem ſe idem Joannes ita ſignificare, & addere*, quem diligebat Jeſus. *Fortaſſis ergo & hic ipſe eſt*. Sed huic rationi præoccupavit occurrere Chryſoſtomus hom. memorata 82. in Joan. *Sequebatur autem Petrus*, Pag. 421.
& alius diſcipulus. Quis alius? Ipſe, qui hæc ſcripſit. Et cur ſe non nominat? Cum enim ſupra pectus Jeſu recumberet, merito ſe ſilentio præteriit. Sed qua gratia in hoc loco? Eadem ipſa: nam & hic quoque rem præclaram narrat, quod, aliis diffugientibus, ipſe ſequeretur, ideo & ſuum nomen ſilet, & Petrum ſibi præponit, & ſui meminiſſe tamen coactus eſt, ut intelligas, eum ceteris diligentius, quæ in aula Principis facta ſunt, enarrare, utpote qui aderat. At animadverte, quomodo propriæ laudi demit. Ne quis enim diceret, quomodo omnibus aufugientibus ipſe ingreſſus eſt, cauſſam affert, quod eſſet notus Pontifici; ne quis ſe ſecutum admiraretur, neve id ei fortitudini adſcriberet. (17) Notum autem Pontifici fuiſſe *propter generis nobilitatem*, exiſtimat Hieronymus epiſt. 16. Quam tamen Pag. 122.
cauſſam non probat Baronius ad an. 34. §. 21. propter id, quod traditur a Matthæo cap. IV. 18. & Marco cap. I. 16. eum piſcatorem fuiſſe, & retia conſarcinaſſe, licet meliore, quam ceteri Marc. I. 20.
Apoſtoli, fortuna uſus videatur, quippe qui operas

(17) Idem Chryſoſtomus in Matth. hom. 66. pag. 576. *Audias, quomodo ipſe ille Joannes primis honoribus Petro cedat tum concionanti, tum mirabilia facienti, ut Actus Apoſtolorum* (cap. VIII. 2.) *teſtantur: nec latere patiatur Petri virtutes, ſed & confeſſionem, quam, ſilentibus ceteris, magna edidit voce Joannes* (cap. VI. 69.) *& ingreſſum ejus in monumentum non tacet* (cap. XX. 6.) *ceteriſque in omnibus ſibi eum antep[illegible]t. Nam quandoquidem patienti ambo affuerunt, ſuas laudes [illegible]annes ſuccidens ait:* Quia notus erat diſcipulus ille Sacer[illegible] (cap. XVIII. 15.)

ras ad piſcandum conduceret. (18) Aliam nihilo, ut opinor, firmiorem ejus rei cauſſam affert Nicephorus lib. 7. cap. 28. & lib. 2. cap. 3. quod ſcilicet prædium ſuum in Galilæa poſitum Caiphæ vendidiſſet. S. Thomas in Joan. cap. 18. Lect. 3. dicit, ideo notum fuiſſe Pontifici, *vel quia pater Joannis ei ſervus erat, vel aliquis ex conſanguineis ſuis*. (19)

VI. *In ejuſne domo celebratum a Chriſto ultimum Paſcha?*

℞. Id quidem referunt Nicephorus Calliſtus, quem modo nominavi, lib. 1. cap. 28. & Cedrenus in Compendio Hiſtoriarum. Sed contradicit Lucas, dum narrat, Joannem ipſum una cum Petro miſſum ad quendam Patremfamilias, ut in ejus domo pararent Paſcha. Fortaſſe in Nicephoro, & Cedreno nominis error eſt. Invenio enim apud antiquiores, ultimum Paſcha a Chriſto celebratum in domo *Joannis*, cui *Marco* cognomen, filii Mariæ, Barnabæ conſobrini, atque diſcipuli. In qua quidem *Joannis Marci* domo Chriſtus, Hieroſolymis cum eſſet, hoſpitari conſuevit: in ea redivivus ſe primum Apoſtolis conſpiciendum præ-

Apud Bar. ad an. 34. §. 21. 22. Cap. XXII. 8.

(18) S. Chryſoſtomus in Joan. hom. 1. pag. 7. *Piſcatoribus nihil pauperius, nihil abjectius, addo etiam indoctius: in eorum autem numero alii aliis præſtant: hunc autem Apoſtolum ex vilioribus fuiſſe id argumentum eſt, quod non in mari, ſed parvo quodam in ſtagno cum patre & fratre Jacobo piſcabatur, ſciſſaque reſarciebat retia, quod non modicæ erat paupertatis indicium.*

(19) S. Petrus Chryſologus ſerm. 28. Bibl. Patr. tom. 7. pag. 867. *Petrus & Andreas, Jacobus & Joannes, germanitas combinata, imo congeminata paupertas, in Apoſtolorum principes eliguntur, pauperes cenſu, loco humiles, viles arte, obſcuri vita, labore communes, addicti vigiliis, fluctibus mancipati, negati honoribus, injuriis dati, præſidio retis, ſolo piſcium captu victum veſtitumque conquirentes.*

præbuit; & D. Thomæ vulnera tractanda exhibuit: in ea demum congregati Apoſtoli Spiritum Sanctum die Pentecoſtes acceperunt. Eo ſiquidem Apoſtolos convenire ſolitos, ex Actis Apoſtolorum perſpici poteſt. Cap. XXII. 12.

VII. *Fuitne Epiſcopus Epheſinus?*

℞. Palladius in dialogo de vita S. Joannis Chryſoſtomi Joannem Evangeliſtam pro Epiſcopo Epheſino habet: ejuſque ſucceſſorem S. Timotheum ille facit, qui dialogum illum latinitate donavit. Perperam omnino. *Primus enim*, ut ait Baronius ad an. 109. §. 55. *illi Eccleſiæ a Paulo Apoſtolo præfectus eſt Timotheus, cui ſubrogatus Oneſimus: Joannes autem Evangeliſta non Epheſinæ, ut privatim ejus Epiſcopus præeſſet Eccleſiæ, ſed ut Paulus ibi olim & Petrus, Aſiæ omnes curabat Eccleſias.* Baronii ſententia firmatur teſtimonio Synodi Chalcedonenſis OEcum. IV. quæ ſeriem Epiſcoporum ejuſdem Eccleſiæ a S. Timotheo numerare cœpit. (20) Neque Apoſtolica auctoritas, qua Epiſcopis ipſis Joannes præſtabat, neque mora, quam Epheſi traxit, impedimento eſſe potuit, quominus Timotheus ſemper Epiſcopus eſſet: quandoquidem caritas & moderatio non modo alienam juriſdictionem non uſurpat, ſed etiam liberam ſervat. Quod autem ſcribit Hieronymus de Script. Eccl. cap. 9. Joannem *totas Aſiæ fundaſſe & rexiſſe Eccleſias*, & quod habet Tertullianus lib. 4. adverſus Marcionem cap. 5. Ordinem Epiſcoporum in ea regione a Joanne originem ducere, id ad ſententiam, non ad verbum accipi debet. Conſtat enim, cum Petrus & Paulus diverſas minoris Aſiæ Eccleſias inſtituerent, Timotheum Bar. ad an. 97. §. 2. 3.

(20) Apud Labbeum tom. 4. Conc. pag. 700. & apud Harduinum tom. 2. pag. 558.

theum Epheſinæ a Paulo præfectum fuiſſe. Illud etiam eſt verum, Aſiaticas Eccleſias majore ex parte a Joanne inſtitutas; omnes doctrina & ſcriptis munitas; pleraſque Epiſcopis decoratas. Itaque Hieronymus, & Tertullianus eo affirmant, D. Joannem totas Aſiæ fundaſſe Eccleſias, & Epiſcoporum Ordinem induxiſſe, quod pleraſque Eccleſias, & pleroſque Epiſcopos conſtituerit. (21)

VIII. *Liber Apocalypſeos cujus eſt auctoritatis?*

℟. Divinam ejus auctoritatem agnoverunt complures antiqui Patres tum Græci, tum Latini, qui D. Hieronymum ætate præcurrerunt, recenſiti a Baronio ad an. 97. §. 5. & Nat. Alexandro ſæc. I. Hiſtor. Eccl. cap. 12. §. 5. Aliquibus tamen aliter eſt viſum. Cajus quidam Romanæ Eccleſiæ Sacerdos, ut narrat Euſebius lib. 3. Hiſt. Eccleſ. cap. 28. exiſtimavit, labente altero Chriſti ſæculo, Joannis nomine editum a Cerintho. Quam opinionem rejecit Dionyſius Alexandrinus, qui apud eumdem Euſebium lib. 7. cap. 25. fatetur, *Sancti cujuſdam, & divino Spiritu afflati viri id opus eſſe*, virumque illum vocatum Joannem, licet eſſe Joannem Evangeliſtam non concedat. Concilium Laodicenum can. 60. in quo Novi Teſtamenti libros colligit, nullam facit de Apocalypſi mentionem. (22) Cyrillus quoque Hieroſolymitanus Catech. 4. §. 36. & Gregorius Nazianzenus

(21) Acta martyrii S. Timothei apud Bollandum ad diem IX. Kal. Februarii pag. 566. §. 7. narrant, Joannem ab exilio Epheſum, Timotheo mortuo, reducem, ut iis morem gereret, *qui tunc inventi ſunt ſacrorum principes*, Epiſcopis videlicet, Epheſinæ Eccleſiæ curam ſuſcepiſſe, eamque uſque ad Imperium Trajani adminiſtraſſe.

(22) Apud Labbeum tom. 1. Concil. pag. 1508. & 1521. apud Harduinum pag. 791.

zenus Carm. 33. ſacrarum Scripturarum catalogum contexentes, Apocalypſim omittunt. Ejus tandem auctor, & divina auctoritas communiter agnita eſt; nec ullus poſt ſæculi IV. exitum repertus, qui honorem libris *Canonicis* debitum ei non haberet. Primus, qui contra faceret, poſt undecimum a quarto ſæculum exſtitit Lutherus, cui aſſentientes plurimi ex junioribus heterodoxis, renovato errore antiquorum hæreticorum Cerdonis, Marcionis, & eorum, qui *Alogi* ab Epiphanio Hær. 51. §. 3. & 32. dicuntur, divinum libellum contemſerunt. Sed Catholicam veritatem defendere non dubitarunt *Proteſtantes* alii. Beza in primis, qui allata contra Apocalypſim a Luthero argumenta egregie confutavit. Nullum tandem dubitandi locum reliquit Tridentina Synodus, quę *Apocalypſin Joannis Apoſtoli* in ſacris libris numerari juſſit. (23)

Pag. 98.

Seſſ. 4.

IX. *Joannis Evangelium eſtne Græca lingua ſcriptum, ſemperque ab Eccleſia receptum?*

℟. Evangelium, quod Joannes noviſſimus omnium Epheſi ſcripſit, a Catholicis ſemper receptum eſt, habitique pro hæreticis, qui id facere recuſarent. (24) *Alogos*, id eſt, *a Verbo alienos* ap-

(23) D. Hieronymus epiſt. 103. pag. 675. ad Paulinum. *Apocalypſis Joannis tot habet ſacramenta, quot verba. Parum dixi; pro merito voluminis laus omnis inferior eſt. In verbis ſingulis multiplices latent intelligentiæ.*

(24) Epheſi ſcriptum ab Joanne Evangelium Irenæus l. 3. c. 1. Epiphanius hær. 51. §. 12. auctores ſunt. Et Hieronymus in præfatione commentarii ad Evangelium Matthæi habet, Joannem *cum eſſet in Aſia, coactum ab omnibus pœne tunc Aſiæ Epiſcopis, & multarum Eccleſiarum legationibus, de divinitate Salvatoris altius ſcribere, & ad ipſum, ut ita dicam, Dei Verbum non tam audaci, quam felici temeritate prorumpere.* Errant enim falſus Hippolytus, & Dorotheus uterque in

appellat Epiphanius Hær. 51. §. 3. quem ſecutus Auguſtinus, *Alogi propterea ſic vocantur*, inquit de Hæreſibus ad Quodvultdeum hær. 30. *tanquam ſine verbo* (λόγος *enim Græce verbum dicitur*) *quia Deum Verbum recipere noluerunt, Joannis Evangelium reſpuentes, cujus nec Apocalypſim accipiunt; has videlicet Scripturas negantes eſſe ipſius*. Scriptum porro Græca lingua perinde, ac Apocalypſim, *omnes conſentiunt*, ut ait Baronius ad an. *99. §. 6.* In Hebræam ante Sæculum Chriſti quartum fuiſſe translatum, & Tiberiade in Judæorum gazophylaciis ſua ætate reconditum; prodit Epiphanius Hær. 30. §. 3. (25)

X. *Hiſtoria mulieris adulteræ eſtne hujus Evangelii pars?*

Cap. VIII. 3. ℞. Locum Evangelii S. Joannis, ubi hiſtoria adulteræ narratur, exiſtimarunt aliqui ſumptum eſſe de Evangelio ſecundum Hebræos, ſeu Nazaræos, propterea quod Euſebius lib. 3. c. 39. referat, a Papia, qui Joannis auditor fuit, narrari hiſtoriam de muliere multis criminibus apud Chriſtum

in Biblioth. Patrum Lugdunenſi tom. 3. pag. 265. & 426. opinantes, compoſitum in Patmo. Euſebius lib. 3. Hiſt. Eccl. cap. 24. *Joannes quidem res a Chriſto geſtas, priuſquam Joannes Baptiſta cuſtodiæ mancipatus fuiſſet, Evangelio ſuo complectitur; reliqui vero tres Evangeliſtæ res Chriſti geſtas, ex quo Baptiſta conjectus eſt in carcerem, perſequuntur.*

(25) Maldonatus in Evang. Joan. cap. I. 1. *Tanti hoc Evangelium principio Chriſtiani faciebant, ut nimia pæne religione venerarentur. Nam ſolitos multos ſuſpenſum de collo ferre, Concilium Antiochen. Hieronymus in comment. in cap. Matth. 23. & Chryſoſtomus hom. 73. in Matth. indicant, & tamquam anilem ſuperſtitionem reprehendunt: mulierculas enim id maxime feciſſe ajunt. Quamquam non video, cur id factum non poſſimus in meliorem partem interpretari: non tamquam amuletum ex ſuperſtitione geſtaſſe; ſed præcipue tamquam ſymbolum Fidei, ut ſe Chriſtianos, non Arianos eſſe profiteremur.*

ſtum inſimulata, eamque haberi in Evangelio ſecundum Hebræos. Sed fœmina hæc diverſa eſt ab illa, de qua memorat Joannes, ut animadvertit Baronius ad annum 99. §. 6. Joannes enim adulterii duntaxat, non multorum criminum ream, quemadmodum Papias, facit. Quod ſi Euthymius Monachus Sæculi XII. apud Sixtum Senenſem dicit, adulteræ hiſtoriam *in exactioribus exemplaribus aut non inveniri, aut obelo notari, eo quod illegitima videatur, & addita;* contra D. Hieronymus adverſus Pelagianos lib. 2. cap. 6. *In Evangelio*, inquit, *ſecundum Joannem in multis & Græcis, & Latinis Codicibus invenitur de adultera muliere, quæ accuſata eſt apud Dominum*. De ea meminerunt etiam Hieronymo antiquiores Tatianus & Ammonius in ſua uterque Evangeliorum Harmonia, alter cap. 12. alter cap. 120. (26) Item S. Athanaſius, ſeu alius in Synopſi Sacræ Scripturæ: & S. Chryſoſtomus, quam explanans caput Joannis octavum omiſerat, eam hom. 60. in cap. decimum refert, & certiſſimam putat. S. Ambroſius huic in hoc ſimilis l. 6. epiſt. 52. *celebrem* appellat. S. Auguſtinus vero non ſolum eam hiſtoriam explicat tract. 33. in Joann. ſed etiam libro *de conjugiis adulterinis* ſecundo, cap. 7. §. 6. monet, idcirco in aliquibus Codicibus deſiderari, quod inde expuncta ſit a nonnullis metuentibus, ne fęminis adulteris, in quas graviter animadverterent Civiles Leges, peccandi licentia & impunitas in Evangelio data videretur. Accipe ipſa ſummi Doctoris verba: *Sed hoc videlicet infidelium ſenſus exhorret, ita ut nonnulli modicæ fidei, ſeu potius inimici veræ fidei, credo, metuentes peccandi impunitatem dari mulieribus ſuis, illud, quod adulteræ indulgentia Dominus fecit, auferrent de Codi-*

Biblioth. Sanctæ Pag. 50. Pag. 580.

Pag. 132. tom. 2.

Pag. 316.

(26) Bibl. Patr. tom. 2. part. 2. pag. 208. & tom. 3. pag. 285.

dicibus ſuis. Omnia autem hæc proferuntur, ut illud efficiatur, quo certius nihil poteſt eſſe, jure & merito a Tridentina Synodo anathemate damnatum, qui *libros ipſos integros*, quos in decreto de Scripturis Canonicis recenſet, *cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro Sacris & Canonicis non ſuſceperit*. (27)

Seſſ. 4.

XI. *Quid caput ejuſdem Evangelii poſtremum? eſtne ab alio, quam a Joanne Apoſtolo adjectum?*

℞. Si Grotium audias, illud non a Joanne Apoſtolo, ſed *ab Eccleſia Epheſina*, ſeu a Joanne altero Epheſiorum Epiſcopo, Epheſinæ Eccleſiæ nomine additum eſt. (28) At hæc & dicuntur, & creduntur ſtultiſſime; & argumenta, quibus Grotius, aliique nituntur, plena ſunt futilitatis, ſummæque levitatis. Probatum id eſt a viris magnis Huetio Demonſtrationis Evangelicæ propoſit. I. §. 6. Dupino Diſſert. Prælim. ad Biblia l. 2. cap. 2. §. 6. & Ceillierio in Hiſtoria generali Auctorum ſacrorum tom. 1. lib. 2. cap. 5. art. 2. §. 4.

XII. *Tres Joannis Epiſtolæ ad quos ſcriptæ, quo argumento, & quo tempore?*

℞. Prima, ut ſupra dixi ſecutus auctoritatem Auguſtini lib. 2. Quæſt. Evang. cap. 3. ad Parthos miſſa creditur, nempe ad Fideles in Perſide, quæ tunc ſub Parthorum ditione erat. Expli-

(27) Multa in hanc rem Auguſtinus Calmet in Joan. cap. VIII. 1. & Joan. Albertus Fabricius in Codice Apocrypho Novi Teſtamenti pag. 357.

(28) In Joan. cap. XX. 30. & XXI. 24. 25. tom. 6. Criticorum Sacrorum pag. 328. & 344.

plicat præſertim atque confirmat dogma *Incarnationis* Chriſti, & quidem, ut obſervatum Petavio lib. 1. de Incarnat. cap. 4. adverſus inſaniam Dozetarum, ſeu Phantaſiaſtarum, quos Antichriſtos, & Pſeudo-Prophetas appellat, negantium, veram carnem a Chriſto ſuſceptam. Caritatem etiam maxime commendat. Quare Auguſtinus in hanc Epiſt. tract. 7. §. 1. *Epiſtola autem iſta tota*, inquit, *quam ſuſcepimus tractandam vobis, videte, ſi aliud aliquid commendat, quam ipſam unam caritatem*. Altera inſcribitur Ἐκλεκτῇ Κυρίᾳ: *Electæ Dominæ*. Qua voce alii nobilem quandam feminam, alii Eccleſiam aliquam ſignificari volunt. Ego prioribus magis aſſentior, & matronæ iſtiuſmodi *Electæ* cognomen potius, quam nomen fuiſſe, credo. Nam præterquamquod Joannes eodem nomine appellat etiam ejus ſororem, nec id eſt in more poſitum, ut unum & idem nomen duabus ſororibus imponatur; S. Athanaſius in Synopſi Κυρίαν appellatam videtur affirmare. Ut ut ſit, gratulatur illi, quod filios ejus recte de Chriſto ſentire compererit, atque omnes hortatur, ut ſibi caveant ab iis, *qui non confitentur Jeſum Chriſtum veniſſe in carnem*. Tertia eſt ad Cajum, quem laudat ob Fidei, & vitæ probitatem. Quiſnam fuerit Cajus iſte, Corinthiuſne, de quo Paulus ad Rom. XVI. 23. & Lucas Act. XIX. 29. an Derbæus in Lycaonia, de quo idem Lucas Act. XX. 4. an alius, mihi, ut dubitem, adhuc relinquitur. Similius vero eſt, fuiſſe diverſum a Corinthio, & Derbæo, cum hi S. Pauli, ille S. Joannis diſcipulus fuerit. Porro anno Chriſti circiter 98. ſeu 99. ſcriptas affirmarim, cum id temporis præſertim graſſarentur Ebion, & Cerinthus, quos in iis Joannes reſpexiſſe videtur.

Cap. II. 18. & IV. 1.

Pag. 139.

Ver. 7.

XIII. *Quid olim creditum eſt de auctore, & auctoritate harum epiſtolarum?*

℟. Quin prima & Joannis, & *Canonicæ* auctoritatis eſſet, nulli unquam venit in mentem dubitare. Teſtis eſt Euſebius lib. 3. cap. 24. & 25. quicum ſentiens Auguſtinus in hanc Epiſt. tract. 7. §. 5. *Canonica eſt iſta epiſtola*, inquit, *per omnes gentes recitatur, orbis terræ auctoritate retinetur, orbem terrarum ipſa ædificavit.* Secunda vero & tertia nec ſemper ab omnibus approbatæ, & ſcriptæ ab alio, cui itidem Joanni nomen, quibuſdam viſæ ſunt, referente eodem Euſebio. Hujus aſtipulator Hieronymus de Script. Eccleſ.
Pag. 265. cap. 9. *Reliquæ autem duæ*, ait, *Joannis Presbyteri aſſeruntur, cujus hodie alterum ſepulchrum apud Epheſum oſtenditur: & nonnulli putant Joannis Evangeliſtæ eſſe:* quorum quidem ſententiam non
Pag. 624. & 675. ſolum Hieronymus ipſe Epiſt. 85. & 103. Bar. ad an. 99. §. 8. ſed omnes deinde Patres, & Concilia probarunt. (29)

XIV. *Eſtne revera mortuus?*

℟. Nodum hunc expediam, vel potius plane recidam, ſi verba Chriſti apud Joannem, quibus permoti nonnulli eum mortuum non eſſe putarunt, ex autographo Græco explicavero. Locum integrum Latinæ editionis afferre oportet, ut quæ dicturus ſum, facilius intelligas. *Et non dixit Jeſus: non moritur: ſed: ſic eum volo manere, donec*

(29) His epiſtolis nec Apoſtoli, nec Evangeliſtæ nomen Joannes inſcripſit modeſtiæ cauſſa. Legitur id apud Euſebium lib. 3. Demonſtrat. Evangelicæ cap. 5. pag. 120. Multa in hanc rem ad ſecundæ Epiſtolæ initium diſputat Oecumenius pag. 605. & 606.

donec veniam, quid ad te? In Græco ἐὰν legitur, hoc eſt, *ſi*, non οὕτως, hoc eſt, *ſic*: quæ lectio, quin vera ſit, non videtur dubitari poſſe, tum quia habetur in pluribus Codicibus MSS. & affertur a D. Ambroſio in Luc. cap. 9. & Hieronymo adver. Jovin. l. 1. c. 14. tum quia tanto difficilius eſt, vocem οὕτως in ἐὰν mutari, quanto eſt facilius, vocem *ſi* littera *c* auctam in *ſic* migraſſe. Reprehendit itaque Chriſtus Petrum nimio plus de Joanne ſcire volentem, hoc modo: *Si eum volo manere*, ſi eum volo ſuperſtitem eſſe, *donec veniam, quid ad te?* Quid tua refert? Nimirum affirmate non dicit, Joannem in vivis futurum, ſed rem in ſuſpenſo relinquit, ut curioſam Petri interrogationem eludat. Non inficior, facile credi poſſe, quod credidere diſcipuli, qui tunc aderant, Joannem non moriturum. *Sed hanc opinionem*, ut verbis utar Auguſtini in Joann. tract. 124. §. 1. & 3. *Joannes ipſe abſtulit, non hoc dixiſſe Dominum aperta contradictione declarans. Cur enim ſubjungeret:* Non dixit Jeſus: Non moritur: *niſi ne hominum cordibus, quod falſum fuerat, inhæreret?* (30) Mortuum autem eſſe Joannem Evangeliſtam, præter Auguſtinum, qui addit, *corpus ejus in ſepulchro ejus exanime, ſicut aliorum* Pag. 120. Pag. 334.

(30) Eodem pertinent verba illa Nicephori l. 1. cap. 35. *Ceterum Dominus, eo quod temere & fruſtra arcana inſcrutabilis judicii Dei inquirere, & inveſtigare vellet, acrius objurgato* (Petro): *Si eum, inquit, volo in præſenti vita cum corpore manere, donec veniam, quid id ad te?... Atque inde fama increbuit, diſcipulum illum mortem non viſurum. Quam quidem multorum opinionem, tanquam importunam, minuſque veram ipſe corrigens, Non dixit ei, inquit, Jeſus, quod moriturus non ſit*. Vide Lambertinum De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 1. cap. 14. num. 12. pag. 73. Ludovicum Vincentium Gotti in Veritate Religionis Chriſtianæ tom. 5. cap. 5. §. 7. Auguſtinum Calmet Diſſert. de morte S. Joannis Evangeliſtæ præpoſita ejuſdem Evangelio, tom. 7. pag. 615. & Annotationem noſtram poſtremam ad S. Thomam.

Ad an. 101. §. 2. *mortuorum jacere*; teſtis eſt, & quidem omni exceptione major, ut Baronio, aliiſque placuit, Epheſiorum Epiſcopus Polycrates, diſcipulis S. Joannis ætate conjunctus, qui in epiſtola ad Victorem Romanum Pontificem apud Euſebium lib. 3. Hiſt. Eccl. cap. 31. & lib. 5. cap. 24. eum tradit *apud Epheſum extremum diem obiiſſe*, ibique *conditum jacere*, ac *ſuſcitatum* iri *in noviſſimo die adventus Domini*. Eamdem habuere ſententiam Tertullianus de anima cap. 50. Origenes apud Euſebium lib. 3. cap. 1. Dionyſius Alexandrinus apud eundem lib. 7. cap. 25. Epiphanius hær. 79. §. 5. Hieronymus tum in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, tum in cap. 6. Epiſt. ad Galat. Ex quibus eos coarguas, qui exiſtimarunt, Joannem in ſepulchro apud Epheſum dormire, & animam reciprocando pulverem tumulo inſidentem movere. (31)

XV. *Nonne ſunt, qui putant ad vitam revocatum?*

℟. Mortuum, ſed ſtatim a mortuis excitatum crediderunt Nicephorus lib. 2. cap. 42. & omnes poſtremæ ætatis Græci, Latini item nonnulli, S. Maximus Taurinenſis Homil. de Natali SS. Martyr. apud Murator. to. 4. Anecdotor. pag. 26. *Joannis Apoſtoli habemus exemplum, quem tumulus ſuſceptum claudere potuit, cuſtodire non potuit: nam depoſitum corpus perdidit, non abſumpſit. Sic enim clauſo e tumulo gratia reſurrectionis ablatum eſt, ut conſtaret ſepultura, non inveniretur ſepultus. Denique cum ſacerdotes honorandi cauſa corpus inquirerent, re-*

(31) Lege Auguſtinum tract. 124. in Joan. §. 2.
Idem Auguſtinus epiſt. 199. cap. 6. §. 18. *Inſpecta diligenter Eccleſiaſtica hiſtoria, reperitur Joannes Apoſtolus longe ante fuiſſe defunctus, quam quinque millia quingenti anni a generis humani exordio complerentur.*

reſerato aditu, tumulus non potuit reddere quem ſuſcepit. Fulbertus Carnotenſis, Petrus Damiani, & noviſſime omnium Florentinius in Martyrologium Hieronymianum Exercit. 3. de *Joannis Apoſtoli aſſumptione*, ducti conjecturis, quæ non ſolum nullam adhibent perſuadendi neceſſitatem, ſed etiam teſtimoniis refragantur antiquorum. Quem enim modo nominavi, Polycrates Epiſcopus Epheſinus, qui unus inſtar omnium eſt, S. Joannem in iis numerat, qui mortui cum ſint, ſupremum diem exſpectant, ut ad vitam revocentur. S. vero Cæleſtinus Summus Pontifex Epiſcopos Epheſini Concilii monet, ut adhæreant doctrinæ S. Joannis, *cujus reliquias præſentes venerarentur*. (32) Nam verba illa Hieronymi adverſus Jovin. lib. 1. cap. 14. *Ex quo oſtenditur, virginitatem non mori, nec ſordes nuptiarum ablui cruore martyrii, ſed manere cum Chriſto, & dormitionem ejus tranſitum eſſe, non mortem*, in quibus ſuam ineſſe ſententiam dicunt adverſarii: ſi ad verbum accipienda ſunt, Hieronymo ipſi adverſantur, non modo Auguſtino non probanti eos, qui Joannem ſomno ſopitum, non mortuum arbitrantur. (33) Siquidem Hieronymus de Script. Eccl. cap. 9. ubi Hiſtoricum agit, eum obiiſſe aſſeveranter, minimeque obſcure dicit. Igitur in loco recitato Rhetorum more in laudes Virginitatis effunditur, ſignificare volens, illibatam Joannis virginitatem in cauſa fuiſſe, ut Martyrio, quemadmodum Petrus, qui uxorem duxerat, ad ſordes abluendas non indigeret, atque ut morte placidiſſimo ſopori ſimillima extremum vitæ diem conficeret.

Pag. 333.

Pag. 334.

M 3 XVI.

(32) Apud Labbeum tom. 3. Conc. pag. 615. & apud Harduinum tom. I. pag. 1470.

(33) In Evangelium Joannis tract. 124. §. 2.

XVI. *Solviturne aliis modis iſta quæſtio?*

℞. S. Auguſtinus ſerm. 253. cap. 4. *Puto, iſtam ſolvi quæſtionem duobus modis: aut de paſſione Petri dixit Dominus, quod dixit; aut de Evangelio Joannis. Quod eſt de paſſione: ut ſit*, ſequere me, *patere pro me, patere quod ego. Crucifixus eſt enim Chriſtus, crucifixus eſt & Petrus, expertus eſt clavos, expertus eſt cruciatus. Joannes autem nihil horum expertus eſt: hoc eſt*, ſic eum volo manere, *ſine vulnere, ſine cruciatu dormiat, & exſpectet me*. Tu me ſequere, *patere quod ego: Sanguinem fudi pro te, funde pro me. Uno ergo iſto modo exponi poteſt, quod dictum eſt:* Sic eum volo manere, donec veniam: Tu me ſequere. *Nolo, ut ipſe patiatur, tu patere. Secundum autem Evangelium Joannis hoc mihi videtur intelligi: quoniam Petrus ſcripſit de Domino, ſcripſerunt & alii: ſed Scriptura eorum magis circa humanitatem Domini eſt occupata. Dominus enim Chriſtus & Deus eſt, & homo. Quid eſt homo? Anima & caro. Quid eſt Chriſtus? Verbum, anima, & caro. Sed qualis anima? quia & pecora habent animas. Verbum, rationalis anima, & caro: hoc totum Chriſtus eſt. Sed de Divinitate Chriſti in litteris Petri aliquid; in Evangelio autem Joannis multum eminet*. In principio erat Verbum, *ipſe dixit. Tranſcendit nubes, & tranſcendit ſidera, tranſcendit Angelos, tranſcendit omnem creaturam, pervenit ad Verbum, per quod facta ſunt omnia*. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: Hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipſum facta ſunt. *Quis videt, quis cogitat, quis digne ſuſcipiat, quis digne pronunciet? Tunc habet bene intelligi, quando venerit Chriſtus:* Sic eum volo manere, donec veniam.

Digitized by Google

XVII. *Quo genere mortis obiit?*

℞. Chryſoſtomus in Matth. hom. *66.* reſponſum illud Chriſti ad filios Zebedæi, quod habemus in Evangelio D. Marci cap. X. 39. *Calicem meum bibetis; & baptiſmo, quo ego baptizor, baptizabimini*, ita enarrat: *Magna vobis certe bona prædico: Martyrii enim coronæ potiemini, & violenta morte, ſicuti & ego, a vita diſcedetis, & in his mihi communicabitis*. Idem verba illa Pauli ad Hebræos, *Alii autem diſtenti ſunt*, ita explanat hom. 27. in Epiſt. ad eoſdem Hebræos. *Hic mihi videtur & Joannem innuere, & Jacobum*, Ἀποτυμπανισμὸς *enim, id eſt diſtentio, eſt capitis amputatio*. Et Euthymius cap. 43. Commentarii in quatuor Evangelia, cum ipſe quoque per Calicem & Baptiſmum *poculum mortis, & baptiſmum, qui fit per ſanguinem*, ſignificari dixiſſet, ſubjicit, *Chryſoſtomum manifeſte docere*, Joannem *mortuum eſſe, & interemtum*, idque colligi etiam ex ejus homilia prima atque altera in Joannis Evangelium. (34) Contra vero naturæ reſervatam fuiſſe Joannis mortem, refert Polycrates apud Euſebium lib. 3. cap. 31. & Euſebius ipſe lib. 5. cap. 24. Tenuiſſe videntur eandem ſententiam Tertullianus, atque Hieronymus. Ait enim ille in libro de Anima cap. 50. *Obiit & Joannes, quem in adventum Domini remanſurum fruſtra fuerat ſpes*. Hic autem *confectum ſenio mortuum*, dicit in Catalogo Script. Eccl. cap. 9. in Matth. cap. 20. *propria morte vitam finiviſſe*. Quod multo etiam clarius atque aſſeverantius Auguſtinus, & Gregorius Magnus affirmarunt. Nam alter ſerm. 253. §. 4. *Crucifixus eſt Chriſtus, crucifixus eſt & Petrus. Expertus eſt clavos, expertus eſt cruciatus. Jonanes* au-

Pag. 575. Pag. 1928. pag. 265. Pag. 42.

M 4

(34) Bibl. Patr. tom. 19. pag. 557.

autem nihil horum expertus eſt : hoc eſt, Sic eum volo manere, *ſine vulnere*, *ſine cruciatu dormiat*, *& exſpectet me*. Alter vero in Evang. l. 2. hom. 35. §. 7. *Joannes namque nequaquam per martyrium vitam finivit*.

XVIII. *Nonne fuit martyr?*

℟. Ajo, & confirmo. Eſt enim martyrii ratio triplex, ut Durandus in Rationali l. 2. cap. 42. animadvertit. Primum martyr quis dicitur *voluntate*, *& opere*, deinde *voluntate*, *& non opere*, poſtremo *opere*, *& non voluntate*. Primo modo martyr fuit S. Stephanus, altero D. Joannes, tertio Innocentes. Etenim, ut ait S. Bernardus, *Habemus in Beato Stephano martyrii ſimul & opus & voluntatem: habemus ſolam voluntatem in Beato Joanne: ſolum in Beatis Innocentibus opus*. (35) Voluntate Joannem ſubiiſſe martyrium, docet etiam Hieronymus in Matth. cap. 20. *Si legamus Eccleſiaſticas Hiſtorias*, ait, *in quibus fertur, quod & ipſe propter martyrium ſit miſſus in ferventis olei dolium, & inde ad ſuſcipiendam coronam Chriſti athleta proceſſerit, ſtatimque relegatus in Patmos inſulam ſit: videbimus martyrio animum non defuiſſe, & bibiſſe Joannem calicem confeſſionis, quem & tres pueri in camino ignis biberunt, licet perſecutor non fuderit ſanguinem*. Conſentit Gregorius Magnus in Evangel. lib. 2. hom. 35. §. 7. *Joannes namque nequaquam per martyrium vitam finivit; ſed tamen martyr exiſtit, quia paſſionem, quam non ſuſcepit in corpore, ſuſcepit in mente*. Conſentit etiam S. Auguſtinus ſerm. 296. cap. 4. §. 5. *Non quia Joanni Apoſtolo paſſio defuit, ideo paſſioni animus præparatus deeſſe potuit. Non eſt paſſus, ſed po-*

Pag. 42. tom. 6.

(35) Serm. in Nativitate Sanctorum Innocentium pag. 794. tom. 3.

potuit pati. Præparationem ejus Deus noverat. Quemadmodum tres pueri arſuri miſſi ſunt in caminum, non victuri. Negabimus eos martyres, quia flamma eos urere non potuit? Interroga ignes, paſſi non ſunt: interroga voluntatem, coronati ſunt. (36)

XIX. *Quo anno ætatis, & Æra Chriſtianæ eſt mortuus?*

℟. Neutrum conſtat. Pendet enim hoc ab illo, ut, uno ignorato, alterum quoque ignorari neceſſe ſit. Ego, ut eos omittam, quorum alii annos 98. alii 99. alii 100. alii 106. alii 120. natum Joannem obiiſſe putant, Epiphanium præſertim probo, qui hær. 51. §. 12. ſignificat, mortuum, cum annum ætatis ageret quartum circiter & nonageſimum, qui reſpondet anno Æræ Chriſtianæ 100. vel 101. Id pro certo pono, quod traditur ab Irenæo lib. 2. adverſus hæreſes cap. Pag. 517. 39. & lib. 3. cap. 3. item ab Euſebio lib. 3. cap. 23. ex Clemente Alexandrino, & ab Hieronymo in Danielem cap. 9. *uſque ad tempora vixiſſe Trajani*, & ante annum Chriſti 107. ex hac vita migraſſe. Si enim ſuperſtes tunc fuiſſet, de eo Ignatius in ſua ad Epheſios epiſtola mentionem feciſſet.

XX. *Suntne alia digna, quæ de Joanne narrentur?*

℟. Hæc videlicet: Eum ab Athanaſio, Cyrillo Hieroſolymitano, Chryſoſtomo, aliiſque antiquis Patribus, & Concilio Epheſino OEcumenico III. (37)

(36) *Martyr* dicitur ab Euſebio lib. 3. cap. 31. Vide Lambertinum De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 1. cap. 5. §. 8. & lib. 3. cap. 12. §. 4. & 13. ac Tillemontium in Vita Joannis art. 5. pag. 338. tom. 1.

(37) *Theologi* nomine donatum, idque maxime ob ductum ab ipſo Deo Evangelii initium, explicatamque diligentiſſime Evangeliſtarum omnium Chriſti divinitatem. (38) Eumdem *dici approbaſſe tria Evangelia, quæ Matthæus, Marcus, & Lucas ediderant, & veritatem ſcriptorum ſuo teſtimonio confirmaſſe; ſolam vero narrationem earum rerum, quas Chriſtus circa prædicationis initium geſſerat, deſideraſſe*, quemadmodum ſcribit Euſebius lib. 3. Hiſt. Eccl. cap. 24. (39) Eumdemque ut eſt apud Irenæum lib. 3. cap. 3. cum lavandi cauſſa balneum Epheſi ingreſſus eſſet, *cum vidiſſet intus Cerinthum, exſiliiſſe de balneo non lotum, quod timeret, ne balneum concideret, cum intus eſſet Cerinthus inimicus veritatis*. Ibidem mortuum ad vitam revocaſſe, teſte Apollonio apud Euſebium Lib. 5. cap. 18. & 24. Bracteam auream, tanquam Sacerdotem Chriſti, in fronte geſtare ſolitum fuiſſe, referente Polycrate apud eumdem Eu-

(37) Apud Labbeum tom. 3. Conc. pag. 574. & Harduinum tom. 1. pag. 1443.

(38) *Tres Evangeliſtæ in his rebus maxime diverſati ſunt, quas Chriſtus per humanam carnem temporaliter geſſit: porro autem Joannes ipſam maxime divinitatem Domini, qua Patri eſt æqualis, intendit, eamque præcipue ſuo Evangelio, quantum inter homines ſufficere credidit, commendare curavit .... tamquam qui de pectore ipſius Domini, ſuper quod diſcumbere in ejus convivio ſolitus erat, ſecretum divinitatis ejus uberius, & quodammodo familiarius biberit*. S. Auguſtinus lib. 1. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 4. §. 7. Vide ſuperius poſitam annotationem 6.

(39) Coſmas Indicopleuſta, qui ſcripſit anno circiter 535. lib. 5. De Mundo, in Collectione Nova Montfauconii tom. 2. pag. 248. Joanni *Epheſi verſanti trium aliorum Evangeliſtarum Libri a Fidelibus traditi ſunt: quos ille acceptos bene habere pronuntiavit; ſed quædam in illis omiſſa fuiſſe, quæ enarrare neceſſe eſſet. Rogatus autem a Fidelibus, ipſe quoque Librum ſuum edidit, ac quodammodo, quod prætermiſſum fuerat, ſupplevit*. Deinde ea connumerat, quæ Joannes addidit.

Digitized by Google

Euſebium : (40) Eamdem ſervaſſe vitæ rationem, ac Jacobum fratrem Domini, *cujus caput*, ut ait Epiphanius Hær. 78. §. 13. *numquam ferro detonſum eſt : neque animatum quidquam ad cibum adhibuit, neque tunicam alteram induit, ſed lineo palliolo duntaxat uſus eſt :* Joannem, & Philippum, ut apud Theodoretum ſcriptum in hiſtoria eſt, cum Imperatore Theodoſio Magno dormiente collocutos inſignem de Eugenio tyranno victoriam promiſiſſe, remque poſtridie utriuſque ope mirabili eventu comprobatam. Una cum B. Virgine, quod ſcribit Nyſſenus in Oratione de vita S. Gregorii Thaumaturgi, ſe conſpiciendum præbuiſſe S. Gregorio Neocæſarienſi dubitanti, quid potiſſimum doceret populum ſuum : ei rogatu Virginis Symbolum tradidiſſe, recitatum poſtea, ut vult Baronius ad ann. 233. §. 219. in Concilio OEcumenico V. uſurpatumque ab Apocriſariis Gregorii IX. adverſus Germanum Juniorem Epiſcopum Conſtantinopolitanum, quo probarent, Spiritum Sanctum a Patre, Filioque procedere. Conſueviſſe animi cauſſa perdici blandiri, auctor eſt Caſſianus Collat. 24. cap. 21. quæ tamen res, utpote abhorrens a tanti Apoſtoli gravitate, inſignibus doctrina viris non probatur : quemadmodum nec probatur id, quod de latronum duce per eum ad Chriſti fidem traducto refert

Lib. 5. c. 24.

(40) Eſt, qui hanc Polycratis narrationem fabuloſam eſſe, contendat. Primum quia Judæi Joannem occidiſſent tanquam ſummi Pontificis jura ſibi uſurpantem : deinde quia Ethnicis ludibrio fuiſſet Judæorum ritus contemnentibus : poſtremo quia ſcandali occaſionem præbuiſſet Chriſtianis, a quibus exterior cultus deſpicatui ducebatur ; multo vero magis cultus ille, quem Pontifices Judæorum hoſtes Chriſtianorum adhiberent. Eſt etiam, qui velit, idcirco ſcriptum a Polycrate, Joannem auream laminam in fronte geſtaſſe, non quod ea reipſa ornatus incederet, ſed quod tanta eſſet autoritas Joannis in Eccleſia Chriſti, quantam aurea illa lamina apud Judæos indicabat, hoc eſt, maxima.

Digitized by Google

fert Clemens Alexandrinus apud Euſebium lib.
Pag. 579. 3. cap. 23. Item Chryſoſtomus Paræneſi 1. ad
tom. 4. Theodorum lapſum cap. 11. & Chronicon Paſchale pag. 201. Idcirco Calicem, ex quo ſerpens egreditur, manu geſtantem a pictoribus exhiberi, quod, cum datum ei fuiſſet ab hæreticis in poculo venenum, vaſe ſigno Crucis fracto, veneni vis ſerpentis ſpecie aufugerit, cujus rei mentio eſt apud falſum Abdiam lib. 5. Hiſtoriæ Apoſtolicæ §. 10. (41) Denique, Epiphanio referente Hæreſ. *66.* §. *9.* deſiiſſe cum Joanne ſæculum Apoſtolicum, (42) & plures ipſum reliquiſse diſcipulos, quorum principes S. Ignatius, S. Polycarpus, & Papias Hierapolis Epiſcopus.

(41) Auctor libri Soliloquiorum animæ ad Deum cap. 22. qui eſt in Appendice tom. *6.* operum S. Auguſtini editionis Monachorum: *Pro tua dulcedine guſtanda veneni poculum intrepidus Joannes potavit*. Scriptor de morte Sanctorum inter opera Iſidori Hiſpalenſis cap. 73. *Bibens lethiferum hauſtum non ſolum evaſit periculum, ſed eodem proſtratos poculo in vitæ reparavit ſtatum*.

Joannes Albertus Fabricius annotat. in cit. Abdiæ locum pag. 576. Codicis Apocryphi Novi Teſtamenti: *Romæ in Eccleſia S. Joannis ante Portam Latinam adhuc oſtenditur calix, ex quo venenum Apoſtolo propinatum ferunt*.

(42) Clemens Alexandrinus ſub finem libri 7. *Strom.* pag. 749. ſæculum Apoſtolicum non ultra Petri, & Pauli mortem producit. Tria enim diſtinguit tempora in Eccleſia; primum Chriſti, quod in medium Tiberii imperium definit; alterum, quod *uſque ad Pauli miniſterium Neronis tempore conſummatur*; tertium, quod excurrit in ætates ſequentes.

DE

DE
S. PHILIPPO.

I. *Quid de S. Philippo Evangelica hiſtoria narrat?*

℞. PHILIPPUS ex Evangelica hiſtoria Petri & Andreæ popularis fuit, & ex eadem Urbe Bethſaida. (1) Num etiam piſcator fuerit, latet. Vixdúm a Chriſto in Galilæam proficiſcente vocatus, ut ſibi comes eſset, ſtatim mandato obtemperavit. Eodem tempore *aliis factus eſt prædicator*, ut ait Chryſoſtomus in Joan. hom. 19. Viſo enim mox Nathanaele, teſtatus ſe reperiiſſe, quem Moyſes, & Prophetæ venturum prædixerant, *Jeſum filium Joſeph a Nazareth*, facile eum ad Chriſtum perduxit. Exinde Apoſtolica dignitate auctus eſt. Ejus animum ut tentaret Chriſtus, quæſivit, quomodo quinque millia hominum fame laborantium ſaturari poſsent: reſpondente illo, *ducentorum denariorum* pretio tantum panis parari non poſse, quantum ſatis eſset, ut ſinguli modicam partem tollerent. Eundem adiere Ethnici quidam, ut ejus opera Chriſtum viderent, quibus ut gratum faceret, una cum Andrea Chriſtum adit, eaque de re certiorem facit. Poſtea cum petiiſset a Chriſto, ut ſibi & reliquis diſcipulis Patrem oſtenderet, id tulit reſponſum: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum.* Atque hæc omnia ex Evangelii narratione certa ſunt & inconcuſsa.

Joann. I. 44. 45. 46.

Pag. 102.

Joan. VI. 5.

XII. 21.

XIV. 9.

II.

(1) *Unde quinque emicuerunt Apoſtoli. Nam & Philippus, & duo illa paria, quæ Apoſtolatus verticem tenuerunt, inde fuiſſe dicuntur.* Petrus nimirum & Andreas, Jacobus & Joannes. S. Chryſoſtomus hom. 38. in Matth. pag. 363.

II. *Quid de eodem tradunt alii?*

℞. Illum perinde, ac Joannem, Luna quarta decima Paſcha celebraſſe, apud Euſebium lib. 5. Hiſt. Eccl. cap. 24. dicit Polycrates, ubi Aſianorum morem utriuſque exemplo defendit. Duas ejus filias in virginitate conſenuiſſe, & Hierapoli una cum Patre ſepultas, refert idem Polycrates *ſcribens ad Victorem I. Romanæ Urbis Epiſcopum*, apud eundem Euſebium l. 3. c. 31. ac ſubjicit, aliam ejus filiam feminam ſanctiſſimam Epheſi tumulatam. Aliquas nuptui collocatas, vult Cle-
Pag. 465. mens Alexandrinus lib. 3. Stromatum. *Utrorumque Phrygum errorem redarguiſſe*, ſcribit Theodo-
Pag. 871. retus in Pſalmum 116. & lib. 5. Hiſt. Eccl. cap. 24. refert, eumdem *Philippum, & Joannem Evangeliſtam alba veſte indutos, & albis equis inſidentes* Imperatori Theodoſio Magno per quietem viſos, ac pollicitos de Eugenio tyranno victoriam, quam die inſequente iis adjutoribus reportavit. Ejuſdem Philippi *miraculis conſervatam Hierapolim*,
Pag. 321. tradit Auctor homiliæ 31. *in ſanctos duodecim Apoſtolos*, quæ exſtat tom. 6. operum S. Chryſoſtomi. Annos natum ſeptem, & octoginta ſub Domitiano, aut Trajano mortuum eſſe, ſcriptor
Pag. 10. & 12. hiſtoriæ de ejus geſtis apud Bollandum ad Kal. Majas: cui ſcriptori haud ita facile credam.

III. *Quænam de ejus liberis ſententia eſt?*

℞. Baronius ad an. 58. §. 114. quæ ſunt Philippi Diaconi filiæ, eas Philippo Apoſtolo errore nominis adjudicatas exiſtimat. Nititur vero auctoritate D. Hieronymi, qui *adverſus Jovinianum*
Pag. 334. lib. 1. cap. 14. dicit, non poſſe demonſtrari alium Apoſtolum, qui uxorem duxerit, præter D. Petrum

trum. Verum ex ſacris Litteris id non poſſe demonſtrari, Hieronymus dicit: & *de Scriptor. Eccl.* cap. 45. in Vita Polycratis locum ejuſdem ita recitat: *Philippum loquor de duodecim Apoſtolis, qui* Pag. 291. *dormivit Hierapoli, & duas filias ejus, quæ Virgines ſenuerunt, & aliam ejus filiam, quæ Spiritu Sancto plena, in Epheſo occubuit.* Scio Chriſtophor- Lib. 5. c. 23. ſonum Euſebii interpretem vertiſſe: *Philippum unum ex ſeptem Diaconis:* ſed temere fecit, eamque ob cauſſam reprehenſus eſt a Valeſio, qui tamen Baronii ſententiam profitetur. (2) Joannes quoque Baptiſta Cotelerius in annotat. ad Conſt. Apoſtol. l. 6. c. 7. licet hac ſuper re a Baronio & Valeſio non diſſentiens, tamen contendit, legendum eſſe *Unum ex duodecim Apoſtolis.* Eodem ſane modo legitur in Græco Euſebii textu tam l. 3. cap. 31. quam l. 5. c. 24. Utrobique enim habet hæc ex epiſtola Polycratis ad Victorem I. Romanum Pontificem: Φίλιππον τὸν τῶν δώδεκα Ἀποστόλων, ὃς κεκοίμηται ἐν Ἱεραπόλει, καὶ δύο θυγατέρες αὐτοῦ γεγηρακυῖαι παρθένοι: *Philippum unum duodecim Apoſtolorum, qui obdormivit Hierapoli, & duæ filiæ ipſius, quæ ſenuerunt virgines.* Quod etiam Floren- Pag. 150. tinius, & Bollandus, uterque ad Kal. Maji vide- Pag 9. runt. Eadem ſunt apud Hieronymum loco recitato, eadem apud Nicephorum lib. 2. cap. 44. & lib. 4. cap. 37. qui lib. ſuperiore 3. cap. 20. ex Papia aſſeveranter dixerat, *Philippum eum, qui Hierapoli fuit, & filias propheticas habuit, unum ex duodecim Apoſtolis, non ex ſeptem illis Diaconis, quos in Actis recenſet Lucas, fuiſſe.* (3) Qua-

(2) In Annotationibus ad Librum III. Hiſt. Eccl. Euſebii cap. 31. pag. 48.

(3) Idem Nicephorus eodem loco, & Euſebius lib. 3. Hiſt. Eccl. cap. 31. Philippi Apoſtoli filias Prophetiæ dono inſignes faciunt. Niſi forte quod erat proprium filiarum Philippi Diaconi, id Philippi Apoſtoli filiis tribuunt. *Prophe-tarũ*

XVI. *Solviturne aliis modis iſta quæſtio?*

℟. S. Auguſtinus ſerm. 253. cap. 4. *Puto, iſtam ſolvi quæſtionem duobus modis: aut de paſſione Petri dixit Dominus, quod dixit; aut de Evangelio Joannis. Quod eſt de paſſione: ut ſit*, ſequere me, *patere pro me, patere quod ego. Crucifixus eſt enim Chriſtus, crucifixus eſt & Petrus, expertus eſt clavos, expertus eſt cruciatus. Joannes autem nihil horum expertus eſt: hoc eſt*, ſic eum volo manere, *ſine vulnere, ſine cruciatu dormiat, & exſpectet me*. Tu me ſequere, *patere quod ego: Sanguinem fudi pro te, funde pro me. Uno ergo iſto modo exponi poteſt, quod dictum eſt:* Sic eum volo manere, donec veniam: Tu me ſequere. *Nolo, ut ipſe patiatur, tu patere. Secundum autem Evangelium Joannis hoc mihi videtur intelligi: quoniam Petrus ſcripſit de Domino, ſcripſerunt & alii: ſed Scriptura eorum magis circa humanitatem Domini eſt occupata. Dominus enim Chriſtus & Deus eſt, & homo. Quid eſt homo? Anima & caro. Quid eſt Chriſtus? Verbum, anima, & caro. Sed qualis anima? quia & pecora habent animas. Verbum, rationalis anima, & caro: hoc totum Chriſtus eſt. Sed de Divinitate Chriſti in litteris Petri aliquid; in Evangelio autem Joannis multum eminet*. In principio erat Verbum, *ipſe dixit. Tranſcendit nubes, & tranſcendit ſidera, tranſcendit Angelos, tranſcendit omnem creaturam, pervenit ad Verbum, per quod facta ſunt omnia*. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: Hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipſum facta ſunt. *Quis videt, quis cogitat, quis digne ſuſcipiat, quis digne pronunciet? Tunc habet bene intelligi, quando venerit Chriſtus:* Sic eum volo manere, donec veniam.

XVII.

XVII. *Quo genere mortis obiit?*

℞. Chryſoſtomus in Matth. hom. *66.* reſponſum illud Chriſti ad filios Zebedæi, quod habemus in Evangelio D. Marci cap. X. 39. *Calicem* Pag. 575. *meum bibetis; & baptiſmo, quo ego baptizor, baptizabimini*, ita enarrat: *Magna vobis certe bona prædico: Martyrii enim corona potiemini, & violenta morte, ſicuti & ego, a vita diſcedetis, & in his mihi communicabitis*. Idem verba illa Pauli ad Hebræos, *Alii autem diſtenti ſunt*, ita explanat hom. 27. in Epiſt. ad eoſdem Hebræos. *Hic mihi vi-* Pag. 1928. *detur & Joannem innuere, & Jacobum*, Ἀποτυμπανισμὸς *enim, id eſt diſtentio, eſt capitis amputatio*. Et Euthymius cap. 43. Commentarii in quatuor Evangelia, cum ipſe quoque per Calicem & Baptiſmum *poculum mortis, & baptiſmum, qui fit per ſanguinem*, ſignificari dixiſſet, ſubjicit, *Chryſoſtomum manifeſte docere*, Joannem *mortuum eſſe, & interemtum*, idque colligi etiam ex ejus homilia prima atque altera in Joannis Evangelium. (34) Contra vero naturæ reſervatam fuiſſe Joannis mortem, refert Polycrates apud Euſebium lib. 3. cap. 31. & Euſebius ipſe lib. 5. cap. 24. Tenuiſſe videntur eandem ſententiam Tertullianus, atque Hieronymus. Ait enim ille in libro de Anima cap. 50. *Obiit & Joannes, quem in adven-* pag. 265. *tum Domini remanſurum fruſtra fuerat ſpes*. Hic autem *confectum ſenio mortuum*, dicit in Catalogo Script. Eccl. cap. 9. in Matth. cap. 20. *propria* Pag. 42. *morte vitam finiviſſe*. Quod multo etiam clarius atque aſſeverantius Auguſtinus, & Gregorius Magnus affirmarunt. Nam alter ſerm. 253. §. 4. *Crucifixus eſt Chriſtus, crucifixus eſt & Petrus. Expertus eſt clavos, expertus eſt cruciatus. Jonanes au-*

M 4

(34) Bibl. Patr. tom. 19. pag. 557.

autem nihil horum expertus eſt : hoc eſt, Sic eum volo manere, *ſine vulnere*, *ſine cruciatu dormiat*, *& exſpectet me*. Alter vero in Evang. l. 2. hom. 35. §. 7. *Joannes namque nequaquam per martyrium vitam finivit*.

XVIII. *Nonne fuit martyr?*

℟. Ajo, & confirmo. Eſt enim martyrii ratio triplex, ut Durandus in Rationali l. 2. cap. 42. animadvertit. Primum martyr quis dicitur *voluntate*, *& opere*, deinde *voluntate*, *& non opere*, poſtremo *opere*, *& non voluntate*. Primo modo martyr fuit S. Stephanus, altero D. Joannes, tertio Innocentes. Etenim, ut ait S. Bernardus, *Habemus in Beato Stephano martyrii ſimul & opus & voluntatem: habemus ſolam voluntatem in Beato Joanne: ſolum in Beatis Innocentibus opus*. (35) Voluntate Joannem ſubiiſſe martyrium, docet etiam Hieronymus in Matth. cap. 20. *Si legamus* Pag. 42. tom. 6. *Eccleſiaſticas Hiſtorias*, ait, *in quibus fertur, quod & ipſe propter martyrium ſit miſſus in ferventis olei dolium*, *& inde ad ſuſcipiendam coronam Chriſti athleta proceſſerit*, *ſtatimque relegatus in Patmos inſulam ſit: videbimus martyrio animum non defuiſſe*, *& bibiſſe Joannem calicem confeſſionis*, *quem & tres pueri in camino ignis biberunt*, *licet perſecutor non fuderit ſanguinem*. Conſentit Gregorius Magnus in Evangel. lib. 2. hom. 35. §. 7. *Joannes namque nequaquam per martyrium vitam finivit; ſed tamen martyr exiſtit*, *quia paſſionem*, *quam non ſuſcepit in corpore*, *ſuſcepit in mente*. Conſentit etiam S. Auguſtinus ſerm. 296. cap. 4. §. 5. *Non quia Joanni Apoſtolo paſſio defuit*, *ideo paſſioni animus præparatus deeſſe potuit*. *Non eſt paſſus*, *ſed po-*

(35) Serm. in Nativitate Sanctorum Innocentium pag. 794. tom. 3.

potuit pati. Præparationem ejus Deus noverat. Quemadmodum tres pueri arſuri miſſi ſunt in caminum, non victuri. Negabimus eos martyres, quia flamma eos urere non potuit? Interroga ignes, paſſi non ſunt: interroga voluntatem, coronati ſunt. (36)

XIX. *Quo anno ætatis, & Æra Chriſtianæ eſt mortuus?*

℞. Neutrum conſtat. Pendet enim hoc ab illo, ut, uno ignorato, alterum quoque ignorari neceſſe ſit. Ego, ut eos omittam, quorum alii annos 98. alii 99. alii 100. alii 106. alii 120. natum Joannem obiiſſe putant, Epiphanium præſertim probo, qui hær. 51. §. 12. ſignificat, mortuum, cum annum ætatis ageret quartum circiter & nonageſimum, qui reſpondet anno Æræ Chriſtianæ 100. vel 101. Id pro certo pono, quod traditur ab Irenæo lib. 2. adverſus hæreſes cap. Pag. 517. 39. & lib. 3. cap. 3. item ab Euſebio lib. 3. cap. 23. ex Clemente Alexandrino, & ab Hieronymo in Danielem cap. 9. *uſque ad tempora vixiſſe Trajani*, & ante annum Chriſti 107. ex hac vita migraſſe. Si enim ſuperſtes tunc fuiſſet, de eo Ignatius in ſua ad Epheſios epiſtola mentionem feciſſet.

XX. *Suntne alia digna, quæ de Joanne narrentur?*

℞. Hæc videlicet: Eum ab Athanaſio, Cyrillo Hieroſolymitano, Chryſoſtomo, aliiſque antiquis Patribus, & Concilio Epheſino OEcumenico III. (37)

(36) *Martyr* dicitur ab Euſebio lib. 3. cap. 31. Vide Lambertinum De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 1. cap. 5. §. 8. & lib. 3. cap. 12. §. 4. & 13. ac Tillemontium in Vita Joannis art. 5. pag. 338. tom. 1.

(37) *Theologi* nomine donatum, idque maxime ob ductum ab ipſo Deo Evangelii initium, explicatamque diligentiſſime Evangeliſtarum omnium Chriſti divinitatem. (38) Eumdem *dici approbaſſe tria Evangelia, quæ Matthæus, Marcus, & Lucas ediderant, & veritatem ſcriptorum ſuo teſtimonio confirmaſſe; ſolam vero narrationem earum rerum, quas Chriſtus circa prædicationis initium geſſerat, deſideraſſe*, quemadmodum ſcribit Euſebius lib. 3. Hiſt. Eccl. cap. 24. (39) Eumdemque ut eſt apud Irenæum lib. 3. cap. 3. cum lavandi cauſſa balneum Epheſi ingreſſus eſſet, *cum vidiſſet intus Cerinthum, exſiliiſſe de balneo non lotum, quod timeret, ne balneum concideret, cum intus eſſet Cerinthus inimicus veritatis*. Ibidem mortuum ad vitam revocaſſe, teſte Apollonio apud Euſebium Lib. 5. cap. 18. & 24. Bracteam auream, tanquam Sacerdotem Chriſti, in fronte geſtare ſolitum fuiſſe, referente Polycrate apud eumdem Eu-

(37) Apud Labbeum tom. 3. Conc. pag. 574. & Harduinum tom. 1. pag. 1443.

(38) *Tres Evangeliſtæ in his rebus maxime diverſati ſunt, quas Chriſtus per humanam carnem temporaliter geſſit: porro autem Joannes ipſam maxime divinitatem Domini, qua Patri eſt æqualis, intendit, eamque præcipue ſuo Evangelio, quantum inter homines ſufficere credidit, commendare curavit .... tamquam qui de pectore ipſius Domini, ſuper quod diſcumbere in ejus convivio ſolitus erat, ſecretum divinitatis ejus uberius, & quodammodo familiarius biberit*. S. Auguſtinus lib. 1. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 4. §. 7. Vide ſuperius poſitam annotationem 9.

(39) Coſmas Indicopleuſta, qui ſcripſit anno circiter 535. lib. 5. De Mundo, in Collectione Nova Montfauconii tom. 2. pag. 248. Joanni *Epheſi verſanti trium aliorum Evangeliſtarum Libri a Fidelibus traditi ſunt: quos ille acceptos bene habere pronuntiavit; ſed quædam in illis omiſſa fuiſſe, quæ enarrare neceſſe eſſet. Rogatus autem a Fidelibus, ipſe quoque Librum ſuum edidit, ac quodammodo, quod prætermiſſum fuerat, ſupplevit*. Deinde ea connumerat, quæ Joannes addidit.

Euſebium : (40) Eamdem ſervaſſe vitæ rationem, ac Jacobum fratrem Domini, *cujus caput*, ut ait Epiphanius Hær. 78. §. 13. *numquam ferro detonſum eſt : neque animatum quidquam ad cibum adhibuit, neque tunicam alteram induit, ſed lineo palliolo duntaxat uſus eſt :* Joannem, & Philippum, ut apud Theodoretum ſcriptum in hiſtoria eſt, cum Imperatore Theodoſio Magno dormiente collocutos inſignem de Eugenio tyranno victoriam promiſiſſe, remque poſtridie utriuſque ope mirabili eventu comprobatam. Una cum B. Virgine, quod ſcribit Nyſſenus in Oratione de vita S. Gregorii Thaumaturgi, ſe conſpiciendum præbuiſſe S. Gregorio Neocæſarienſi dubitanti, quid potiſſimum doceret populum ſuum : ei rogatu Virginis Symbolum tradidiſſe, recitatum poſtea, ut vult Baronius ad ann. 233. §. 219. in Concilio OEcumenico V. uſurpatumque ab Apocriſariis Gregorii IX. adverſus Germanum Juniorem Epiſcopum Conſtantinopolitanum, quo probarent, Spiritum Sanctum a Patre, Filioque procedere. Conſueviſſe animi cauſſa perdici blandiri, auctor eſt Caſſianus Collat. 24. cap. 21. quæ tamen res, utpote abhorrens a tanti Apoſtoli gravitate, inſignibus doctrina viris non probatur : quemadmodum nec probatur id, quod de latronum duce per eum ad Chriſti fidem traducto refert

Lib. 5. c. 24.

fert

(40) Eſt, qui hanc Polycratis narrationem fabuloſam eſſe, contendat. Primum quia Judæi Joannem occidiſſent tanquam ſummi Pontificis jura ſibi uſurpantem : deinde quia Ethnicis ludibrio fuiſſet Judæorum ritus contemnentibus : poſtremo quia ſcandali occaſionem præbuiſſet Chriſtianis, a quibus exterior cultus deſpicatui ducebatur ; multo vero magis cultus ille, quem Pontifices Judæorum hoſtes Chriſtianorum adhiberent. Eſt etiam, qui velit, idcirco ſcriptum a Polycrate, Joannem auream laminam in fronte geſtaſſe, non quod ea reipſa ornatus incederet, ſed quod tanta eſſet autoritas Joannis in Eccleſia Chriſti, quantam aurea illa lamina apud Judæos indicabat, hoc eſt, maxima.

Digitized by Google

ſert Clemens Alexandrinus apud Euſebium lib.
Pag. 579. 3. cap. 23. Item Chryſoſtomus Parænesi 1. ad
tom. 4. Theodorum lapſum cap. 11. & Chronicon Paſchale pag. 201. Idcirco Calicem, ex quo ſerpens egreditur, manu geſtantem a pictoribus exhiberi, quod, cum datum ei fuiſſet ab hæreticis in poculo venenum, vaſe ſigno Crucis fracto, veneni vis ſerpentis ſpecie aufugerit, cujus rei mentio eſt apud falſum Abdiam lib. 5. Hiſtoriæ Apoſtolicæ §. 10. (41) Denique, Epiphanio referente Hæreſ. *66.* §. *9.* deſiiſſe cum Joanne ſæculum Apoſtolicum, (42) & plures ipſum reliquiſse diſcipulos, quorum principes S. Ignatius, S. Polycarpus, & Papias Hierapolis Epiſcopus.

(41) Auctor libri Soliloquiorum animæ ad Deum cap. 22. qui eſt in Appendice tom. *6.* operum S. Auguſtini editionis Monachorum: *Pro tua dulcedine guſtanda veneni poculum intrepidus Joannes potavit.* Scriptor de morte Sanctorum inter opera Iſidori Hiſpalenſis cap. 73. *Bibens lethiferum hauſtum non ſolum evaſit periculum, ſed eodem proſtratos poculo in vitæ reparavit ſtatum.*

Joannes Albertus Fabricius annotat. in cit. Abdiæ locum pag. 576. Codicis Apocryphi Novi Teſtamenti: *Romæ in Eccleſia S. Joannis ante Portam Latinam adhuc oſtenditur calix, ex quo venenum Apoſtolo propinatum ferunt.*

(42) Clemens Alexandrinus ſub finem libri 7. *Strom.* pag. 749. ſæculum Apoſtolicum non ultra Petri, & Pauli mortem producit. Tria enim diſtinguit tempora in Eccleſia; primum Chriſti, quod in medium Tiberii imperium deſinit; alterum, quod *uſque ad Pauli miniſterium Neronis tempore conſummatur*; tertium, quod excurrit in ætates ſequentes.

DE

Digitized by Google

DE
S. PHILIPPO.

I. *Quid de S. Philippo Evangelica hiſtoria narrat?*

℟. PHILIPPUS ex Evangelica hiſtoria Petri & Andreæ popularis fuit, & ex eadem Urbe Bethſaida. (1) Num etiam piſcator fuerit, latet. Vixdùm a Chriſto in Galilæam proficiſcente vocatus, ut ſibi comes eſset, ſtatim mandato obtemperavit. Eodem tempore *aliis factus eſt prædicator*, ut ait Chryſoſtomus in Joan. hom. 19. Viſo enim mox Nathanaele, teſtatus ſe reperiiſſe, quem Moyſes, & Prophetæ venturum prædixerant, *Jeſum filium Joſeph a Nazareth*, facile eum ad Chriſtum perduxit. Exinde Apoſtolica dignitate auctus eſt. Ejus animum ut tentaret Chriſtus, quæſivit, quomodo quinque millia hominum fame laborantium ſaturari poſsent: reſpondente illo, *ducentorum denariorum* pretio tantum panis parari non poſse, quantum ſatis eſset, ut ſinguli modicam partem tollerent. Eundem adiere Ethnici quidam, ut ejus opera Chriſtum viderent, quibus ut gratum faceret, una cum Andrea Chriſtum adit, eaque de re certiorem facit. Poſtea cum petiiſset a Chriſto, ut ſibi & reliquis diſcipulis Patrem oſtenderet, id tulit reſponſum: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum*. Atque hæc omnia ex Evangelii narratione certa ſunt & inconcuſſa.

Joann. I. 44. 45. 46.

Pag. 102.

Joan. VI. 5.

XII. 21.

XIV. 9.

II.

(1) *Unde quinque emicuerunt Apoſtoli. Nam & Philippus, & duo illa paria, quæ Apoſtolatus verticem tenuerunt, inde fuiſſe dicuntur.* Petrus nimirum & Andreas, Jacobus & Joannes. S. Chryſoſtomus hom. 38. in Matth. pag. 363.

II. *Quid de eodem tradunt alii?*

℞. Illum perinde , ac Joannem , Luna quarta
decima Paſcha celebraſſe , apud Euſebium lib. 5.
Hiſt. Eccl. cap. 24. dicit Polycrates , ubi Aſiano-
rum morem utriuſque exemplo defendit . Duas e-
jus filias in virginitate conſenuiſſe , & Hierapoli
una cum Patre ſepultas , refert idem Polycrates
ſcribens ad Victorem I. Romanæ Urbis Epiſcopum ,
apud eundem Euſebium l. 3. c. 31. ac ſubjicit , a-
liam ejus filiam feminam ſanctiſſimam Epheſi tu-
mulatam . Aliquas nuptui collocatas , vult Cle-
Pag. 465. mens Alexandrinus lib. 3. Stromatum . *Utrorum-
que Phrygum errorem redarguiſſe* , ſcribit Theodo-
Pag. 871. retus in Pſalmum 116. & lib. 5. Hiſt. Eccl. cap.
24. refert , eumdem *Philippum , & Joannem Evan-
geliſtam alba veſte indutos , & albis equis inſiden-
tes* Imperatori Theodoſio Magno per quietem vi-
ſos , ac pollicitos de Eugenio tyranno victoriam ,
quam die inſequente iis adjutoribus reportavit .
Ejuſdem Philippi *miraculis conſervatam Hierapolim* ,
Pag. 321. tradit Auctor homiliæ 31. *in ſanctos duodecim A-
poſtolos* , quæ exſtat tom. 6. operum S. Chryſo-
ſtomi . Annos natum ſeptem , & octoginta ſub
Domitiano , aut Trajano mortuum eſſe , ſcriptor
Pag. 10. & 11. hiſtoriæ de ejus geſtis apud Bollandum ad Kal.
Majas : cui ſcriptori haud ita facile credam .

III. *Quænam de ejus liberis ſententia eſt?*

℞. Baronius ad an. 58. §. 114. quæ ſunt Phi-
lippi Diaconi filiæ , eas Philippo Apoſtolo errore
nominis adjudicatas exiſtimat . Nititur vero au-
ctoritate D. Hieronymi , qui *adverſus Jovinianum*
Pag. 334. lib. 1. cap. 14. dicit , non poſſe demonſtrari alium
Apoſtolum , qui uxorem duxerit , præter D. Pe-

trum

trum. Verum ex ſacris Litteris id non poſſe demonſtrari, Hieronymus dicit: & *de Scriptor. Eccl.* cap. 45. in Vita Polycratis locum ejuſdem ita recitat: *Philippum loquor de duodecim Apoſtolis, qui* Pag. 291.
dormivit Hierapoli, & duas filias ejus, quæ Virgines ſenuerunt, & aliam ejus filiam, quæ Spiritu Sancto plena, in Epheſo occubuit. Scio Chriſtophorſonum Euſebii interpretem vertiſſe: Lib. 5. c. 23.
Philippum unum ex ſeptem Diaconis: ſed temere fecit, eamque ob cauſſam reprehenſus eſt a Valeſio, qui tamen Baronii ſententiam profitetur. (2) Joannes quoque Baptiſta Cotelerius in annotat. ad Conſt. Apoſtol. l. 6. c. 7. licet hac ſuper re a Baronio & Valeſio non diſſentiens, tamen contendit, legendum eſſe *Unum ex duodecim Apoſtolis*. Eodem ſane modo legitur in Græco Euſebii textu tam l. 3. cap. 31. quam l. 5. c. 24. Utrobique enim habet hæc ex epiſtola Polycratis ad Victorem I. Romanum Pontificem: Φίλιππον τὸν τῶν δώδεκα Ἀποστόλων, ὃς κεκοίμηται ἐν Ἱεραπόλει, καὶ δύο θυγατέρες αὐτοῦ γεγηρακυῖαι παρθένοι: *Philippum unum duodecim Apoſtolorum, qui obdormivit Hierapoli, & duæ filiæ ipſius, quæ ſenuerunt virgines.* Quod etiam Floren- Pag. 150.
tinius, & Bollandus, uterque ad Kal. Maji viderunt. Pag 9.
Eadem ſunt apud Hieronymum loco recitato, eadem apud Nicephorum lib. 2. cap. 44. & lib. 4. cap. 37. qui lib. ſuperiore 3. cap. 20. ex Papia aſſeveranter dixerat, *Philippum eum, qui Hierapoli fuit, & filias prophetiſſas habuit, unum ex duodecim Apoſtolis, non ex ſeptem illis Diaconis, quos in Actis recenſet Lucas, fuiſſe.* (3) Qua-

(2) In Annotationibus ad Librum III. Hiſt. Eccl. Euſebii cap. 31. pag. 48.

(3) Idem Nicephorus eodem loco, & Euſebius lib. 3. Hiſt. Eccl. cap. 31. Philippi Apoſtoli filias Prophetiæ dono inſignes faciunt. Niſi forte quod erat proprium filiarum Philippi Diaconi, id Philippi Apoſtoli filiis tribuunt. *Prophetarœ*

Quare S. Polycrati Epheſino, & S. Clementi Alexandrino fides deroganda non videtur, præſertim cum iſte lib. 3. Strom. nuptiarum oſoribus Petrum, & Philippum Apoſtolos opponat, atque ab altero filias in matrimonium collocatas ſcribat: qua nota Philippus Apoſtolus a Philippo Diacono ſecernitur, cujus filiæ & Virgines erant, & Prophetiſſæ.

Pag. 465.

Matth. VIII. 21. 22.

IV. *Fuitne Philippus, qui vocatus a Chriſto petiit, ut ſibi liceret* primum ire, & ſepelire Patrem *ſuum?*

℞. Fuiſſe Philippum Apoſtolum, qui id a Chriſto petiit, reſponſumque tulit: *Sequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos*, (4) tanquam rem vulgo certam ponit S. Clemens Alexandrinus lib. 3. Stromatum. Tertullianus quoque de Baptiſmo cap. 12. ait, fuiſſe Apoſtolum, *qui Patris exequias deſpexit*. At fuiſſe Philippum nec Tertullianus, nec Matthæus, imo ne Joannes quidem, qui primordia ejus Apoſtolatus diligentiſſime perſecutus eſt, ullo modo innuit. Ergo dubium adhuc reſtat, quis ille tandem fuerit. (5)

Pag. 455.

Jo. I. 43.

V. *Docuitne in Galliis Chriſtianam Fidem?*

℞. Credunt aliqui, ſecuti Iſidorum Hiſpalenſem lib. De vita & morte Sanctorum cap. 74. ſcri-

tare autem in illa primitiva Eccleſia erat, non futura prædicere, ſed revelatam doctrinam alios docere, & in audientium præſentia de divinis myſteriis loqui. Bolland. Kal. Maji pag. 10.

(4) *Ut ſcilicet in anima mortui, in corpore mortuos ſepelirent.* S. Auguſtinus De Civit. Dei lib. 20. cap. 6. §. 1. ac De Trinitate lib. 4. cap. 3. §. 5.

(5) Etiam D. Auguſtinus ſerm. 62. alias 6. cap. 1. §. 2. *De Verbis Domini* incertus veri eſt. Ait enim, præceptum illud a Chriſto datum *cuidam*, non Philippo Apoſtolo.

ſcribentem : *Philippus Gallis prædicat Chriſtum, barbaraſque gentes vicinaſque tenebris, & tumenti Oceano conjunctas, ad ſcientiæ lumen, fideique portum deducit*. Negat Baronius ad an. 44. §. 32. & Galatis *loco* Gallis *eſſe reſtituendum dicit:* quamvis Auctor loquatur de Galliis, quæ Oceano terminantur. Alii librum illum mendaciorum plenum Iſidoro abjudicant: qui etiamſi eſſet Iſidori, me non valde moveret, cum hic ſæculo ſeptimo ineunte obierit; (6) cumque Innocentius I. illud ponat pro certo, non alium Apoſtolorum, quam Petrum in partibus Occidentis docuiſſe. (7)

VI. *Quodnam ſubiit mortis genus?*

℞. Nihil habeo, quod liqueat. Baronius locum hunc ex Chronico Euſebii profert : *Philippus Apoſtolus Chriſti apud Hierapolim Aſiæ Civitatem, dum Evangelium populo nunciaret, cruci affixus lapidibus opprimitur*. At verba hæc deſiderantur in Ad an. 54. §. 3.

N Sca-

(6) Baronius in Martyrologium Romanum die 25. Julii : Liber *ille an ſit Iſidori, non immerito adducitur in controverſiam, cum complura in eo indigna Iſidoro reperiantur coagmentata mendacia*.

(7) Verba Innocentii I. ſunt in annotatione 9. ad S. Jacobum Majorem.

Sulpitius Severus Dialog. 3. cap. 17. dicit, *Felicem quidem Græciam, quæ meruit audire Apoſtolum prædicantem, ſed nequaquam a Chriſto Gallias derelictas, quibus donaverit habere Martinum*. Et Gregorius Turonenſis l. 9. Hiſt. Franc. cap. 39. refert epiſtolam ſeptem Epiſcoporum Galliæ, in qua affirmant, idcirco Martinum ad regionem illam Chriſtianæ doctrinæ præceptis erudiendam a Deo miſſum fuiſſe, *ne quid hic minus acquireret, quam in orbis circulo prædicantibus Apoſtolis obtineret*. Vide Launoji *Diſpunctionem epiſtolæ De tempore, quo primum in Galliis ſuſcepta eſt Chriſti fides*, tom. 2. Operum ejus part. 1. pag. 72. quæ epiſtola eſt Petri de Marca ad Henricum Valeſium, & a Valeſio præpoſita verſioni ſuæ Hiſtoriæ Euſebianæ, & a Bollandianis die 30. Junii pag. 544. allata.

Digitized by Google

Scaligeriana editione Chronici Euſebii tum Græca, tum Latina. Deſunt etiam in Chronico, quod Miræus cum pluribus antiquis exemplaribus contulit. Eadem abeſſe a pluribus codicibus MSS. teſtantur Arnaldus Pontacus Epiſcopus Vaſatenſis, (8) & Bollandiani in Commentario de S. Philippo Apoſtolo ad diem primum Maji pag. 10. §. 2. num. 18, Certe, ut illud omittam, quod cruci a Romanis addicti lapidationis ſupplicio affici non conſueverunt, nihil de Philippi Martyrio habet Polycrates apud Euſebium lib. 5. Hiſt. Eccl. cap. 24. ubi de eo meminiſſe erat maxime opportunum. Falſus Hippolytus, *capite deorſum verſo crucifixum Hierapoli ſub Domitiano, eodemque loco ſepultum*, tradit: (9) *Funibus eum a talis vinctum ſublime ſuſpenſum præcipitem* narrat Metaphraſtes: Florus, qui nono ſæculo ſcribebat, *in Civitate Hierapoli paſſum* dicit: Rabanus ætate proximus: *quieviſſe in pace*: Uſuardus, *glorioſo fine quieviſſe*: Ado Viennenſis, *apud Hierapolim Aſiæ Civitatem dormiviſſe, cum Patribus ſuis beato fine ſepultum*. (10) Martyrologium Romanum omnino conſentit verbis a Baronio ex Chronico Euſebii recitatis.

(8) In notis ad eumdem locum pag. 253. tom. 8. Operum S. Hieronymi editionis Veronenſis.

(9) Bibl. Patr. tom. 3. pag. 265. & apud Bollandum die prima Maji pag. 10. §. 2. num. 19. & Joan. Albertum Fabritium in fine Libri de Vita & Morte Moſis, pag. 509.

(10) Metaphraſtes apud Surium Kal. Maji. Florus in Auctario ad Martyrologium Bedæ apud Bollandum initio tomi ſecundi Menſis Martii pag. XVI. Rabanus in Martyrologio apud Caniſium Lectionum antiquarum tom. 2. part. 2. pag. 325. Ado in libello de Feſtivitatibus Apoſtolorum Bibl. Patr. tom. 16. pag. 824.

Micrologus De Eccleſiaſticis Obſervationibus cap. 55. pag. 488. Bibl. Patr. *Invenitur in Martyrologiis ſive in Sacramentariis, feſtivitas ſanctorum Jacobi & Philippi, & omnium Apoſtolorum*.

DE

DE

S. BARTHOLOMÆO.

I. *Quid habes de hoc Apoſtolo dicere?*

℞. ILlum, perinde ac ceteros Apoſtolos, Galilæum fuiſſe, certum affirmo, nihil præterea. Qui faciunt genere Syrum, & a Ptolemæo oriundum, eos video non probari a Baronio annotat. in Martyrologium Romanum VIII. Kal. Septembris. Nam Ptolemæi in Ægypto, non in Syria regnarunt: quin Apoſtolos omnes Galilæos fuiſſe, Sacra Scriptura teſtatur: & omnes fuiſſe Act. I. 11.
piſcatores, ac nullius apud homines famæ vulgo II. 7.
creduntur. Neque illos Baronius probat, qui eun- Loc. cit.
dem ac Nathanaelem fuiſſe exiſtimant. Refragan- & ad an.
tur enim Gregorio Magno lib. 33. Moralium c. 31. §. 28.
15. & Auguſtino, qui tract. 7. in Evangelium Joannis §. 17. ait, idcirco Nathanaelem non fuiſſe in numerum Apoſtolorum a Chriſto receptum, quod *eruditus & peritus Legis eſſet*. (1) *Lycao-*

(1) Hæc D. Auguſtini ratio, ſi ad omnes Apoſtolos univerſim referatur, non videtur admodum inconcuſſa. Paulus enim erat multo doctior Nathanaele: ſi autem referatur ad duodecim priores tantum, ſatis firma eſt. Neque enim Petrus ſolum, & Joannes *ſine litteris, & idiotæ* fuerunt, ut legitur in Actis Apoſtolorum cap. IV. 13. ſed cum his ceteri quoque a Patribus pleriſque rudes & imperiti dicuntur. Vide ſupra de Apoſtolis in univerſum, annotat. 9. Idem Auguſtinus in Pſalmum 65. §. 4. *Quid tibi videtur, ut publicanum in telonio ſedentem eligeret Matthæum, & non eligeret Nathanael, cui perbibuit teſtimonium ipſe Dominus, dicens;* Ecce verus Iſraelita, in quo dolus non eſt? *Intelligitur ergo Nathanael iſte doctus fuiſſe in Lege. Non quia doctos non erat electurus: ſed ſi primo elegiſſet, doctrinæ ſuæ merito ſe e-*

Pag. 321. tom. 6. *nas* a Bartholomæo *ad temperantiam inſtitutos*, invenio in homil. 31. *in Sanctos duodecim Apoſtolos* Chryſoſtomo falſe adjudicata. Euſebius lib. 5.
Pag. 287. Hiſt. Eccl. cap. 10. & Hieronymus de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 37. ſcribunt, ad Indos uſ-
Bar. ad an. 44. §. 34. que penetraſſe, & Evangelium S. Matthęi Hebraice ſcriptum ſecum tuliſſe, centum poſt annos, altero nempe Chriſti ſæculo exeunte a D. Pantæno illic repertum. Porro cum Indiæ nomen non ſemper eodem modo apud antiquos accipiatur; *Æthiopiæ adhærentem citeriorem Indiam Bartholomæo ſorte decretam*, tradunt Rufinus lib. 10. cap. 9. & Socrates lib. 1. cap. 19. *Interiores Indos Bartholomæi Apoſtoli prædicatione ad Chriſti cultum converſos*, ait Philoſtorgius lib. 2. Hiſt. Eccl. cap. 6. *Indis iis, qui fortunati dicuntur, prædicavit Evangelium Chriſti*, ſi vera loquitur Sophronius, ſeu quicumque eſt alius auctor additionis ad Ca-
Pag. 168. tom. 1. talogum Scriptorum Eccleſiaſticorum S. Hieronymi. Idem legitur in Menæis Græcorum ad diem III. Idus Junii. (2) In Arabia Felice, in India, & Æthiopia Orientali munere Apoſtolico functum cenſet Nicetas Orat. 8. Falſus Abdias l. 8. §. 1. Indias tres diſtinguit: in India tamen indiſtincte Bartholomæum docuiſſe concludit. Nicephorus lib. 2. cap. 39. *Syriam, & Aſiam ſuperiorem ſortitum teſtatur*. Diſcrepat etiam, præter tempus, & lo-
Pag. 157. cus, & genus mortis ejus. Veteres, ut eſt apud Florentinium in Martyrolog. Hieronym. dicunt, ob-

lectos putarent: ita illorum ſcientia laudaretur, & laus Chriſti gratiæ minueretur. Perhibuit teſtimonium tamquam bono fideli, in quo dolus non erat; ſed tamen eum non aſſumſit inter illos diſcipulos, quos primum idiotas elegit... Hinc exiſtimatur doctus ille in Lege fuiſſe, quia non eſt electus inter diſcipulos ab illo, qui ſtulta mundi prius elegit.

(2) *Traditio de Bartholomæi in Indiam legatione* in dubium vocatur a Baſnagio ad an. 46. §. 35. argumentis non plane firmiſſimis.

obiiſſe in India. Juniores tum Græci, tum Latini conſentiunt, mortuum Albani, ſeu Albanopoli Armeniæ Majoris Urbe. De mortis genere quis audeat aliquid pro certo affirmare? Sunt, qui flagellis cæſum, claviſque cruci affixum opinentur; capite deorſum verſo addunt alii; quidam obtruncatum. Plures tam Græci, quam Latini tormentis lacerato, & pelle vivo detracta caput abſciſſum. Quod habetur etiam in Martyrologio Romano, eſtque in vulgus pervagatum. Ejus corpus Liparam primum translatum dicitur, inde Beneventum, ac tandem Romam in Inſulam Tiberinam, ob id S. Bartholomæi hodie cognominatam. (3)

II. *Expone dum, ac refelle eorum argumenta, qui Bartholomæum eundem ac Nathanaelem faciunt.*

℟. Utrumque ſic habeto. Primo ajunt, Nathanaelis confeſſionem dignam fuiſſe Apoſtolatu. At conſtat, Apoſtolatum nec dari propter merita, nec indignis denegari. Paulus enim cædes in diſcipulos Chriſti anhelans, Chriſti Apoſtolus factus eſt. Act. IX. 1. Secundo dicunt, Bartholomæi vocationem, ſi idem ac Nathanael non ſit, nullibi deſcribi. At non omnium Apoſtolorum ab Evangeliſtis eſt *commemorata vocatio*, ut animadvertit D. Auguſtinus lib. 2. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 17. §. 39. Tertio addunt, Bartholomæi nomen commune eſſe, non proprium, quod idem ſit, ac filius Ptolemæi. At hoc modo nec Barnabas nomen proprium eſſet; ut nihil de iis dicam, qui ſtatuunt, nec temere origine Hebraica nixi,

(3) Walafridus Strabo de rebus Eccleſiaſticis cap. 25. Bibl. Patr. tom. 15. pag. 194. *De Bartholomæo legitur Apoſtolo, quod centies in die, centies in nocte flexerit genua.*

Digitized by Google

Bartholomæum dici quaſi filium haurientis aquas. Quarto urgent, Evangeliſtas Matthæum, Marcum, Lucam, qui Bartholomæum nominant, omittere Nathanaelem; e contrario Joannem, qui meminit Nathanaelis, non meminiſſe Bartholomæi. At mirum non eſt, omiſſum a Joanne Bartholomæum, cum Matthæus etiam, & Simon, & Jacobus Alphæus omiſſi fuerint. Quinto ita premunt, Philippum, qui a ceteris Evangeliſtis Apoſtolorum ſeriem recenſentibus cum Bartholomæo conjungitur, a Joanne fuiſſe cum Nathanaele copulatum. At in Actis Apoſtolorum unus ab altero diſſociatur. Sexto demum ſubjungunt, Nathanaelem a Joanne numerari inter eos, quibus
Cap. I. 13. Dominus ſe conſpiciendum præbuit, quaſi vero non apparuerit etiam aliis diſcipulis, qui Apoſto-
Cap. XXI. 2. li non erant. (4)

III.

(4) Toletus in cap. 1. Joan. annotat. 81. perpenſis eorum rationibus, qui Bartholomæum a Nathanaele non ſecernunt, ita concludit: *Non habent robur rationes hæ ad rem tam gravem, & contra communem ſententiam confirmandam. Plus roboris contra illorum ſententia habet, quod in novo Teſtamento quater ponitur Apoſtolorum catalogus, Matth. 10. Marc. 3. Luc. 6. Act. 1. & nullibi mentio Nathanaelis facta eſt. Quod ſi fuiſſet binomius, explicaſſent Evangeliſtæ, ſicut & fecerunt in Thoma, & Matthæo; maxime Joannes, qui ultimus ſcripſit, & ejus hiſtoriam narravit. Quod autem ad Apoſtolatum vocatus non fuerit, Dei judicio relinquamus: nulla enim ratio plena hujus rei dari poteſt. Satis magnum beneficium accepit, quod de numero eorum fuerit, qui Chriſtum confeſſi ſunt, & æternum meruit ſuæ confeſſionis accipere præmium, nomenque ejus in Eccleſia factum eſt glorioſum, & illuſtre.*

Fabricius in Abdiæ Hiſt. Apoſt. lib. X. pag. 737. tom. 1. Codicis Apocryphi Novi Teſtamenti: *Neque plus fidei meretur opinio eorum, quibus Nathanael videtur fuiſſe idem cum Simone Cananæo, vel cum Stephano Protomartyre. Et licet certa eſſet Epiphanii ſententia, affirmantis* (Hær. 23. §. 6. pag. 67.) *Nathanaelem fuiſſe alterum illum diſcipulum comitem Cleophæ in itinere Emauntico, nihil tamen inde concludi lice-*

re

III. *Quo die S. Bartholomæi memoria celebratur?*

℞. Alio ab aliis die celebratur. Sunt, qui IX. ſunt, qui VIII. Kal. Septembris Bartholomæo honorem habeant. Illi, ut ait Durandus in Rationali divinorum officiorum lib. *6*. cap. 7. §. 17. *celebrant feſtum excoriationis*, hi *obitus*. Conſentit Fagnanus, qui a Paulo V. uſque ad Innocentium XI. variis muneribus Romæ functus eſt, ita ſcribens in lib. 3. Decretalium de obſervat. jejuniorum ad cap. *Conſilium* num. 29. *Cum die* 24. *Auguſti* S. Bartholomæus *fuerit excoriatus*, *&* *die ſequenti obierit*, *alicubi colitur dies Martyrii*, *alicubi vero*, *ut Romæ*, *dies obitus*, *ſecundum Petrum de Sampſone*, *Abb. Antiq. & Hoſtienſem Collectar. n.* 1. *& Joan. Andream eodem num. verb. Bartholomæi*. Baronius in Annotat. ad Martyrologium Romanum exiſtimat die quinto & viceſimo Auguſti D. Bartholomæi translationem, non mortem Romæ coli. (5)

ret. Vide Tillemontium in Jacobo *Minore* extremo articulo 2. pag. 368. tom. 1.

Bollandiani die 25. Auguſti p. 7. & 14. tom. 5. contendunt, *Nathanaelem fuiſſe Apoſtolum*, *nec alium a S. Bartholomæo*.

(5) Vide eumdem Baronium ad an. 1000. §. *6*. *7*. 8. Vide etiam *Franciſci Dini Diſſertationem Hiſtorico-Criticam de Translatione*, *& collocatione Corporis S. Bartholomæi Apoſtoli Romæ in inſula Lycaonia*; *ſeu Vindicias Breviarii Romani adverſus Diſſertationes Epiſcopi Maſcambruni*, *Marii Viperæ Vicarii Capitularis Beneventani*, *aliorumque recentiſſimorum*, *ac decreta in Concilio Beneventano coram Eminentiſſimo ac Reverendiſſ. Vincentio Maria Cardinali Urſino Archiepiſc.* (poſtea Pontifice Benedicto XIII.) *lata*. Hujus autem Diſſertationis, quæ anno 1700. Venetiis edita eſt, epitomen habes in Muſæo Minervæ Venetæ (*la Galleria di Minerva*) tom. IV. pag. 110.

DE
S. THOMA.

I. *Aliiſne nominibus in ſacris litteris appellatur?*

Cap. XI. 16. & XX. 24. ℟. THOMAS, referente S. Joanne, dicitur etiam Didymus. Alterum alteri par nomen. Thomas enim idem declarat Hebraice, quod Græce Didymus: utrumque autem *duplicem*, ſeu *gemellum* ſignificat. Judam pariter vocatum, innuere videtur Euſebius lib. 1. Hiſt. Eccl. cap. 13. ſcribens, S. Thaddæum Chriſti diſcipulum a *Juda*, *qui etiam Thomas dictus eſt*, ad Abgarum Edeſſam miſſum. Sed hoc in loco unius Euſebii auctoritas non ſatis perſuadet.

II. *Unde ortus eſt, & quid geſſit ante Chriſti mortem?*

℟. A Galilæa oriundum, nemo dubitat. Ortus locum, & Apoſtolatus ejus primordia quis ſine duce in tanta vetuſtate enarret? Cum JESUS paullo ante mortem ſuam, in Bethaniam ad excitandum a mortuis Lazarum ire decreviſſet, Thomas condiſcipulis, ut ſequerentur, animos addi-
Jo.XI.16. dit imperterrita illa voce: *Eamus & nos, ut moriamur cum eo*. Neque enim probari video ſententiam Chryſoſtomi, qui Hom. 61. in Joannem contendit, S. Thomam maxime omnium ſibi timuiſſe, & vocem illam ignavi potius fuiſſe, quam fortis. (1) Quærenti demum a Chriſto in ultima

(1) Verba Chryſoſtomi hæc ſunt pag. 318. *Omnes Judæorum*

ma cœna, quo pergeret: *Ego*, reſpondit Chriſtus, *ſum via*, & *veritas*, & *vita*. Jo. XIV. 6.

III. *Quid proxime poſt Chriſti mortem?*

℟. Hæc ſcilicet, ex Joannis Evangelio deprompta: Chriſtum redivivum Apoſtolis, abſente Thoma, ſe in conſpectum dediſſe: iis poſtea rem totam narrantibus Thomam credere recuſaſſe, donec vulnera ejus videret, atque contrectaret; poſt dies octo Jeſum ſe Apoſtolis iterum obtuliſſe, manus ſuas clavis terebratas, & latus lancea transfixum Thomæ videndum ac tangendum præbuiſſe; tum illum minime dubitanter exclamaſſe: *Dominus meus*, & *Deus meus:* Jeſum vero: *Quia vidiſti me, Thoma, credidiſti: beati, qui non viderunt*, & *crediderunt*. (2) Jo. XX. 19.24.25.

IV.

rum impetu formidabant, in primis autem Thomas, ideo inquit: Eamus & moriamur cum eo. *Quidam autem dicunt, eum mori optaſſe. Sed profecto timorem id verbum arguit, & imbecillitatem: inde fortior factus eſt, & inſuperabilis: quod ſane dignum admiratione eſt, ut qui ante crucem tam timidus erat, poſt Magiſtri mortem, & reſurrectionis fidem præ omnibus tanto fervore flagraret.*

(2) S. Gregorius hom. 26. in Evangelia §. 7. *Egit miro modo ſuperna clementia, ut diſcipulus ille dubitans, dum in Magiſtro ſuo vulnera palparet carnis, in nobis vulnera ſanaret infidelitatis. Plus enim nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quam fides credentium diſcipulorum profuit: quia dum ille ad fidem palpando reducitur, noſtra mens, omni dubitatione poſtpoſita, in fide ſolidatur. Sic quippe diſcipulum Dominus poſt reſurrectionem ſuam dubitare permiſit, nec tamen in dubitatione deſeruit, ſicut ante nativitatem ſuam habere Mariam ſponſum voluit, qui tamen ad ejus nuptias non pervenit. Nam ita factus eſt diſcipulus dubitans & palpans teſtis veræ reſurrectionis, ſicut Sponſus Matris fuerat cuſtos integerrimæ virginitatis.*

Digitized by Google

Jo. XX. 22. 24. IV. *Collatane Thomæ abſenti æque, ac ceteris Apoſtolis præſentibus poteſtas remittendi peccata?*

Bar. ad an. 34. §. 199. ℟. Nefas eſt dubitare, quin Thomas acceperit poteſtatem remittendi peccata, quamvis abeſſet, cum Dominus illam ceteris Apoſtolis impertivit. Dubitabit autem nemo, qui id mente repetat, quod olim duobus viris Eldad, & Medad contigiſſe Sacræ Litteræ commemorant. Num. XI. 26. 27. Hi enim licet ad Tabernaculum non conveniſſent, nec præſentes adeſſent, quo tempore Dominus alios ſeptuaginta ſeniores ſpiritu Prophetiæ imbuit; nihilominus ejuſdem muneris, admirantibus ceteris, participes facti ſunt, quod ſemel deſcripti fuiſsent inter eos, qui hujuſmodi dono cumulandi erant. Eodem prorſus modo, cum Thomas in Apoſtolis numeratus eſset; quæ poteſtas illis in univerſum a Chriſto Domino conceſsa eſt, eadem etiam Thomæ data intelligitur. Quod eſt adeo verum, ut credendum ſit, in ipſis Apoſtolorum ſucceſsoribus eamdem auctoritatem & poteſtatem continuatam permanere: niſi credere velimus, Chriſtum ovibus ſuis uſque ad conſummationem ſæculi futuris paſtores temporarios, & aliquando nullos futuros dediſse.

V. *Cedo cauſam, cur Thomas cum aliis Apoſtolis tunc non fuerit?*

℟. Quia, ut S. Chryſoſtomus, & alii ex Græcis exiſtimant, *ex fuga nondum redierat*. Apoſtoli enim, Jeſu capto, aufugerant in diverſa: ſeu potius quia, ut Auguſtinus, & alii ex Latinis arbitrantur, a ceteris Apoſtolis diſceſserat offenſus, quod fidem adjunxiſsent duobus diſcipulis Emma-

maunte Hieroſolymam reverſis, & narrantibus, ſe vidiſse Chriſtum a mortuis excitatum: quem ſermonem ipſe nimia incredulitate reſpuebat. (3) Plerumque enim fit, ut ab eis diſcedamus, quos haud libenter audimus. Tunc autem fuiſse Thomam cum ceteris Apoſtolis, docet idem Auguſtinus ex D. Luca ſcribente, duos illos diſcipulos *regreſſos in Hieruſalem inveniſſe congregatos undecim*, omnes videlicet præter Judam, qui laqueo mortem ſibi jam conſciverat. Accedit quod mulieres *regreſſæ a monumento nuntiarunt* tum viſa, tum audita de Chriſto redivivo *illis undecim*, etiam antequam duo diſcipuli Hieroſolymam reverterentur, ut refert Lucas ſub initium ejuſdem capitis. Nam, quod inquit, *Et viſa ſunt ante illos ſicut deliramentum verba iſta, & non crediderunt illis*, videtur Thomam præſentem, & non credentem notare. Luc. XXIV. 9. 11. 33. 34.

VI. *Verene de Chriſti reſurrectione dubitavit?*

℞. D. Ambroſio in Luc. lib. 10. cap. 24. *videtur ille non de reſurrectione Domini, ſed de reſurrectionis qualitate dubitaſſe*. At D. Gaudentio Brixienſium Epiſcopo longe ſecus videtur ſerm. 17. *De dedicatione Eccleſiæ*, ſi modo ejus eſt; id enim dubitat Florentinius in annotationibus ad Martyrologium Hieronymianum pag. 146. Scribit igitur Gaudentius: *Ardentis ſiquidem deſiderii fuit illud, non incredulitatis, quod condiſcipulis ſuis, qui, ipſo abſente, Dominum viderant, ait:* Niſi videro, & contrectavero, non credam. *Erat enim valde anxius, ne non & oculis frueretur eo, quod corde credebat; ne privaretur aſpectu illius lucis, qua ſe ceteri Apoſtoli illuminatos glo-* Pag. 231.

ria-

(3) Chryſoſtomus in Joannem hom. 86. pag. 244. Auguſtinus de conſenſu Evangeliſtarum lib. 3. cap. 27. §. 74.

riabantur. (4) Pia magis, quam vera defenſio.
Jo. xx. Repugnat enim ipſi D. Thomæ dicenti: *Non cre-*
25.27.29. *dam;* & Chriſto ob id eum objurganti verbis illis: *Noli eſſe incredulus. Quia vidiſti me, Thoma, credidiſti.*

VII. *Tetigitne Chriſti vulnera?*

℞. Generatim affirmant Sancti Patres. In his Auguſtinus Tract. 121. in Joannem §. 5. *Videbat*, inquit, *tangebatque hominem: & confitebatur Deum, quem non videbat, neque tangebat*. Subjicit, non dixiſſe Chriſtum, *Tetigiſti me*, ſed *Vidiſti me*, quoniam *generalis quodammodo ſenſus eſt viſus*. (5) Idem tamen eodem loco ſignificat, ſe huic ſententiæ diffidere, ad extremum affirmans, poſſe dici, *non auſum fuiſſe diſcipulum tangere, cum ſe offerret ille tangendum. Non enim ſcriptum eſt: Et tetigit Thomas.*

VIII.

(4) Bibl. Patr. tom. 5. pag. *969*.

(5) Alios etiam præter Thomam Chriſti vulnera tetigiſſe, ſignificat Joannes epiſt. I. cap. I. 1. *Quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de Verbo vitæ: & vita manifeſtata eſt, & vidimus, & teſtamur, & annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis*. Auguſtinus ſerm. 88. cap. 2. *Uſque eo diſcipulorum ejus nutabat infirmitas, ut quem videbant jam reſurrexiſſe, etiam contrectandum putarent, ut crederent. Non ſufficiebat oculis, quod viderent, niſi & manus admoverentur membris, & cicatrices recentium vulnerum tangerentur, ut ille, qui dubitabat, diſcipulus, repente tactis, & cognitis cicatricibus exclamaret*; Dominus meus, & Deus meus!

Idem Auguſtinus Serm. 158. §. 5. *Dominus ſervans nobis donum Fidei, cuidam diſcipulorum ſuorum tractanti, palpanti, veritatem digitis inquirenti, & invenienti, exclamanti*, Dominus meus & Deus meus, *ait ipſe Dominus & Deus*: Quia vidiſti, credidiſti. *Et nos futuros intuens:* Beati, *inquit*, qui non viderunt, & crediderunt. *Non vidimus, audivimus, & credimus*.

VIII. *Quæ regio ipſi ad prædicandum obtigit?*

℟. Parthia, teſte Origene apud Euſebium l. 3. cap. 1. Id ipſum traditur a Socrate lib. 1. c. 19. & a Clementinarum Recognitionum auctore l. 9. cap. 29. Alii apud Baronium addunt Æthiopas, Ad an. 44. §. 33. Medos, Perſas, Brachmanas, Indos, aliaſque Nationes finitimas Parthorum imperio ſubjectas. Ad Taprobanam uſque Inſulam profectum vult Nicephorus l. 2. c. 40. Tres Magos, qui Chriſtum recens natum adorarunt, a S. Thoma baptizatos, ac ſocios demandatæ ſibi Evangelicæ prædicationis adſcitos, præter memoratos a Baronio Scriptores, tradit etiam Auctor Operis imperfecti in Matth. Pag. 776. hom. 2. homo, ut creditur, Arianus Sæculi V. Debeantne habere fidem, non dijudico. (6) In novum etiam orbem, Americam videlicet perveniſſe, exiſtimat Stapletonius in libro, cui titulus: *Tres Thomæ*, in Vita S. Thomæ Apoſtoli. (7)

IX. *Quid præclare geſſit tempore prædicationis?*

℟. Multa geſſiſſe memorabilia pro certo habeo;

(6) Ne credas, D. Thomam, quod dicatur in India, atque Æthiopia Evangelium prædicaſſe, extra Parthorum ditionem munere ſuo functum. *Nam*, ut ait Florentinius in Martyrolog. Hieron. pag. 146. & 147. *antiqui Patres ſub Indiæ nomine non regionem, quæ proprie India diceretur, ſed quoſcumque longinquos populos, præcipue Æthiopes Parthoſque conterminos, Indos vocare conſueverunt, ut ad Epiphanium annotavit etiam Petavius.*

De Magis multa ſunt in Hiſtoria noſtra Familiæ Sacræ cap. 3.

(7) S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 6. §. 31. *Nullus legat Evangelium ſecundum Thomam: non enim eſt unius e duodecim Apoſtolis, ſed unius de tribus pravis Manis diſcipulis.*

beo; verum omnia obruit vetuſtas. Legitur exſecratus in caput neſcio cujus, a quo colaphum acceperat, & pœna exſecrationem ſecuta, leone mox tanti criminis reum lacerante, diſcerptamque manum inferente in menſam, cui Thomas aſſidebat. Sed teſte Auguſtino contra Fauſtum l. 22. cap. 79. & alibi (8) totum id profertur ex hiſtoriis apocryphis; quas *legunt Manichæi a neſcio quibus ſutoribus fabularum ſub Apoſtolorum nomine ſcriptas*. Unde confirmatur Criticorum judicium de fabuloſis narrationibus falſi Abdiæ, apud quem lib. 9. Hiſtoriæ Apoſtolicæ §. 3. commentum iſtud eodem prorſus modo exponitur.

X. *Habuitne fratrem Thaddæum, eumque ad Abgarum miſit?*

℟. Thomæ fratrem fuiſſe Thaddæum, unum ex ſeptuaginta diſcipulis Chriſti, habet Editio Euſebii Genevenſis anni 1612. & verſio Latina tum Muſculi, tum Chriſtophorſoni. Nihil tamen ea de re invenias in pleriſque exemplaribus MSS. nihil in verſione Rufini, nihil apud Nicephorum. Thaddæum vero a S. Thoma ad Abgarum Regem Edeſſam miſſum, aperte tradit Euſebius. Ita enim habet ex verſione Chriſtophorſoni: *Thomas unus ex duodecim Apoſtolis divino quodam impulſu commotus Thaddæum fratrem, qui erat in numerum ſeptuagiata diſcipulorum Chriſti adſcriptus, prædicatorem & Evangeliſtam doctrinæ Chriſti ad Edeſſam uſque miſit.*

Lib. 1. c. 13.

Lib. 2. c. 7.

Loc. cit.

XI.

(8) De Sermone Domini in monte lib. 1. cap. 20. §. 65. & Contra Adimantum Manichæi diſcipulum cap. 17. §. 2. & 5.

XI. *Qua igitur de cauſa Thaddæus ad Abgarum miſſus eſt?*

℞. Ut id impleret, quod Chriſtus, dum inter homines verſaretur, Abgaro promiſerat. Ferunt enim, Abgarum Edeſſæ Regem permotum fama miraculorum, quæ a Chriſto ſanandis ægris patrabantur, ſibi morbo laboranti opem per epiſtolam petiiſſe: adjectis precibus, ut ad ſe venire non gravaretur: reſcripſiſſe Chriſtum, ejuſque fide laudata, ſuam ad eum profectionem excuſaſſe, quod rebus, ob quas miſſus fuerat, agendis diſtentus a Judæa recedere non poſſet: miſſurum tamen poſt ſuam in Cælos aſcenſionem aliquem ex diſcipulis ſuis, qui morbo, quo torquebatur, remedium adhiberet. (9) Thaddæi *opera Servatoris*

Bar. ad an. 31. §. 57.

(9) Morbum hunc fuiſſe Podagram, ſcribit Procopius de bello Perſico lib. 2. cap. 12. Fuiſſe lepram, recentiores Græci arbitrantur.

Utramque epiſtolam ex Civitatis Edeſſenæ tabulario depromptam, atque ex Syriaco exemplo Græce translatam recitat Euſebius lib. 1. Hiſt. Eccl. cap. 13. nos de Græco ad verbum hoc modo expreſſimus.

Abgarus Princeps Edeſſæ Jeſu Salvatori bono, qui apparuit in loco Hieroſolymorum, ſalutem.

Mihi auditum eſt de te, & curationibus tuis, quæ fiunt a te ſine pharmacis, & herbis. Sicut enim ſermo percrebuit, cæcos videre facis, claudos ambulare, & leproſos mundas, & impuros ſpiritus, & Dæmones ejicis, & diuturnis morbis vexatos curas, & mortuos excitas. Et hæc omnia cum audiſſem de te, in animum induxi alterum duorum, aut te eſſe Deum, & delapſum e Cælo facere hæc, aut filium eſſe Dei facientem hæc. Propterea igitur per litteras rogavi te, ut inviſeres me, & morbum, quem habeo, ſanares. Etenim audivi, Judæos & obtrectare tibi, & velle tibi male facere. Urbs autem perexigua mihi eſt, ſed ornata, quæ ſufficiet ambobus.

Re-

ris noſtri promiſſa exitum ſortita ſunt. Cujus quidem rei teſtimonium habemus ex ipſius Edeſſæ, in qua tunc regnabat Abgarus, tabulariis deſumtum. (10)

XII. *Quodnam eſt de his epiſtolis Criticorum judicium?*

℟. Sunt, qui refellant tanquam ſuppoſititias, nec deſunt, qui defendant tanquam veras: contra, proque & dicta ſunt, & ſcripta multa. Ego
Ad an. 31. §. 60. & ad an. 43. §. 18. Baronii, qui eas recipit, ſententiam probo, & confirmo. Nam de his teſtantur Euſebius, S. Ephrem Edeſſenæ Eccleſiæ Diaconus, qui gentis ſuæ opinionem & tabularia potuit habere perſpecta, in eo libro, qui inſcribitur: *Teſtamentum S. Ephrem:* apud Bollandum die 1. Febr. pag. 62. §. 9. Comes Darius in epiſtola ad S. Auguſtinum data, quæ inter ejuſdem Auguſtini epiſtolas eſt 230. alias 263. Procopius *de bello Perſico* lib. 2. cap. 12. Evagrius lib. 4. cap. 27. Nicephorus lib. 2. cap. 7. Theodorus Studita lib. 2. extrema epiſtola 12. ad Paſchalem Pontificem. Cedrenus
Pag. 575. quoque in Compendio Hiſtoriarum part. 2. ſcribit, epiſtolam Jeſu ad Abgarum temporibus Imperatoris Michaelis Paphlagonis anno 1035. Conſtan-

Reſcriptum Jeſu per Ananiam curſorem Regi Abgaro.

Abgare, beatus es, quod credidiſti in me, licet me nunquam videris. Scriptum eſt enim de me, eos, qui me viderunt, non crédituros mihi, ut qui non viderunt, ipſi credant, & vivant. Qua de re ſcribis mihi, ut veniam ad te, neceſſe eſt, omnia, ad quæ veni, hic implere me, & poſtquam implevero, ita recipi ad eum, qui miſit me. Et poſtquam receptus fuero, mittam tibi aliquem diſcipulorum meorum, ut curet morbum tuum, & vitam tibi, & iis, qui tecum ſunt, impertiat.

(10) Euſebius lib. I. Hiſt. Eccl. cap. 13. pag. 24.

ſtantinopoli ſummo in honore habitam. Eaſdem epiſtolas admittunt S. Joannes Damaſcenus lib. 4. de Fide orthodoxa extremo cap. 16. S. Gregorius II. in epiſtola ad Leonem Iſaurum Imperatorem, Haymo Epiſcopus Halberſtadienſis lib. 2. de Chriſtianarum rerum memoria cap. 4. Conſtantinus Porphyrogenitus in Narratione de non manufacta Chriſti Dei noſtri imagine miſſa ad Abgarum, & ex Edeſſa Conſtantinopolim translata. (11) Hos, præter Baronium, ſequuntur alii ex Catholicis bene multi; Tillemontius in primis tum in hujus Apoſtoli vita, tum annotat. VII. in eamdem vitam, (12) & Honoratus a S. Maria ex religioſa Carmelitarum Familia tom. 2. Animadverſionum in regulas, & uſum Critices Gallice editarum lib. 4. diſſert. 2. Duo item magni nominis Proteſtantes Guilielmus Cave in Hiſtoria litteraria Scriptorum Eccleſiaſticorum, & Erneſtus Grabius tom. 1. Spicilegii Patrum pag. 1. & in annotat. pag. 319. ubi fuſe de re tota diſſerit, atque ea labefactat, quæ contra dicuntur a Natali Alexandro diſſert. 3. in Hiſt. Eccl. Sæc. I. & a Dupino in Diſſert. Præliminari ad Biblia lib. 2. cap. 6. §. 1. & in Nova Bibliotheca Auctorum Eccleſiaſticorum initio ipſo tomi I.

Pag. 2.

Pag. 87.

Pag. 1.

O XIII.

(11) S. Gregorius VII. apud Labbeum tom. 7. Conc. pag. 14. Conſtantinus Porphyrogenitus apud Surium die 16. Auguſti.

(12) Adverſus Tillemontium diſputat Jacobus Baſnage lib. I. Hiſtoriæ Judæorum ſermone Gallico ſcriptæ cap. 7. pag. 205.

XIII. *Quænam ſunt argumenta, quibus adverſarii utuntur, & quomodo confutantur?*

℞. Sunt hæc præcipua. Nam quod ad Abgari epiſtolam ad Jeſum pertinet, difficile fuiſſe dicunt homini Ethnico profiteri, Jeſum *aut eſſe Deum, aut Filium eſſe Dei*. Verum confeſſionem hanc exprimere potuit fama de ægris priſtinæ ſanitati ab eo reſtitutis, quæ Syriam totam, in qua Edeſſa, Cap. IV. 24. referente Matthæo, pervaſerat. Ac ſi Abgari epiſtola prolata non fuit a Patribus adverſus Arianos negantes, Chriſtum *Deum eſſe*; ex eo tamen inferre non licet, habitam eſſe commentitiam. Neque enim ideo prolata non fuit ad Hæreticos convincendos, quod timerent, ne ab iis exploderetur tamquam falſa (habet enim ipſam pro vera Euſebius homo imprimis Arianus) ſed quod erat hominis nondum Catechumeni ſine ulla affirmatione dubitanter dicentis, Chriſtum aut Deum eſſe, aut Dei filium. Sed epiſtolam Jeſu præſertim oppugnant. Si enim ejus eſſet, in ſacrum Scripturarum Canonem recepta fuiſſet, nec inter apocrypha a Gelaſio in Concilio anno 494. Romæ celebrato rejecta. Addunt, Chriſtum in ea uti verbis, quibus Thomam non credentem apud Joannem cap. XX. 29. redarguit, ſubjiciuntque, eumdem Chriſtum, referentibus Auguſtino lib. I. de conſenſu Evangeliſt. cap. 7. §. 11. & D. Thoma 3. p. q. 42. art. 4. nihil litteris mandaſſe. Primum ita refelles; quia ut ſcriptum aliquod in Canonem ſacrarum Scripturarum referatur, ſatis non eſt, ut certo conſtet ex Hiſtoria, vel a Chriſto, vel ab Apoſtolis prodiiſſe; ſed neceſſario requiritur, ut ejus veritas certa & explorata habeatur ex Traditione Eccleſiæ, *quæ ab ipſo Chriſto per Apoſtolos ſuccedentibus ſibimet Epiſcopis uſque ad*

hæc tempora propagata dilatatur, quemadmodum loquitur Auguſtinus lib. 28. contra Fauſtum cap. 4. Rem hanc illuſtrat idem Auguſtinus lib. 15. de Civit. Dei cap. 23. exemplo libri Enoch illius ſeptimi ab Adam, qui eam tantum ob rem ſacris Veteris Teſtamenti libris non eſt ab Hebræis annumeratus, quod conſtanti Majorum Traditione ad Sacerdotes non perveniſſet, licet teſtimonio Judæ Apoſtoli in Epiſtola Canonica certo certius Ver. 14. eſſet, Enoch *nonnulla divina ſcripſiſſe*. Ex quibus efficitur, idcirco Epiſtolam Jeſu ad Abgarum non habitam pro Canonica, quod ab Edeſſæ Tabulario, non ex Apoſtolica traditione ad nos pervenerit. Qua etiam de cauſſa a Gelaſio recenſita eſt *inter apocrypha quaſi non hagiographa*, ut ait Baronius ad an. 31. §. 60. (13) Quæ ſequuntur poſtrema duo, multo minoris momenti ſunt. Nihil enim obſtat, quominus eadem ſententia bis a Chriſto prolata fuerit; ſcripto quidem, dum Abgaro ſalutem diceret, dicto autem, dum incredulum diſcipulum caſtigaret. Quamquam ſi rem ipſam inſpicias, facile intelligas, ſententiam Chriſti Apoſtolum Thomam apud Joannem arguentis eſſe diverſam a Chriſti ſententia ſcribentis ad Abgarum. Ibi enim, *Beati*, ait, *qui non viderunt*,

O 2 &

(13) Gretſerus in Syntagmate de imaginibus non manufactis cap. 3. pag. 181. tom. 15. *Temporibus Gelaſii videntur fuiſſe, qui epiſtolam Jeſu ad Abgarum Canonicis Scripturis æquarent, & pari auctoritate præditam exiſtimarent. Horum perſuaſionem ut corrigeret Gelaſius, epiſtolam hanc apocryphis adſcripſit, ut omnes intelligerent, eam ſcripturis ſacris longe poſtponendam eſſe; quin tamen ei, ut traditioni & hiſtoriæ humanæ, ſua conſtaret auctoritas, decreto ſuo non impedivit. Quod inde etiam liquet, quia ſolam epiſtolam Chriſti ad Abgarum apocryphi nota notavit; alteram Abgari ad Jeſum intactam reliquit. Cur? niſi quia de Epiſtola Chriſti prædicta exiſtimatio animos hominum occuparat, non autem de epiſtola Abgari ad Chriſtum, quam, ut ab homine ſcriptam, humana ſolummodo fide, ut humanam dignabantur.*

& crediderunt: hic autem, *Scriptum eſt*, inquit, *de me*, *eos*, *qui me viderunt*, *non credituros mihi*. Si rogas, quo referatur illud : *ſcriptum eſt*; ad cap. LII. 15. Eſaiæ refert Valeſius in annotationibus ad Euſebium lib. 2. cap. 13. alii alio; & rurſus alii non de peculiari aliquo loco, ſed de communi Prophetarum voce intelligendum eſſe exiſtimant. Jam vero Thomas, & Auguſtinus loquuntur de ſcriptionibus Chriſti paulo fuſioribus, quibus geſta, & doctrinam ſuam explicaverit. Siquidem nihil ſcripſit hujuſmodi. (14) Quod quam verum ſit, multo etiam clarius intelligas, ſi Thomæ, & Auguſtini locum legendo percurres.

XIV. *Quo anno Thomas*, *& quo in loco deceſſit?*

℟. Deſperata cognitione certi, id tantum referam, S. Nilum apud Photium in Bibliotheca Codice 276. affirmare, mortem Thomæ illatam poſt
Pag. 1538. necem ſanctorum Petri, & Pauli, qui anno Chriſti 68. aut 69. interfecti ſunt. (15) Locus Martyrii

(14) Sic Hieronymus negat quidem, integrum doctrinæ volumen a Salvatore ſcriptum eſſe, non autem epiſtolam aliquam. Hæc enim habet lib. 13. in Ezechielem extremo c. 44. pag. 478. *Salvator nullum volumen doctrinæ ſuæ proprium dereliquit*, *quod in pleriſque apocryphorum deliramenta confingunt*: Sed *Patris*, *& ſuo ſpiritu quotidie loquitur in corde credentium*.

Ante Hieronymum iſta ſcripſit Origenes lib. 1. contra Celſum §. 45. pag. 361. *Jeſus magiſter noſter nullum de ſe ſcriptum reliquit*. Sed non ideo hujus epiſtolæ auctoritatem infirmat. Comparat enim Jeſum cum Moyſe, qui quam multa ſcripſerit, nemo ignorat. Quamvis ergo Jeſus breve epiſtolium ſcripſerit, in quo nihil poſuit neque de geſtis ſuis, neque de ſua doctrina, adhuc tamen Origenes affirmare potuit, nullum ab eo de ſe ſcriptum eſſe relictum. Adde quod Origenes nullum ait σύγγραμμα ab Jeſu relictum, quæ vox de brevibus litteris intelligi commode non poteſt.

(15) Unus Clemens Alexandrinus *Strom.* lib. 4. pag. 514. ex

tyrii Hippolyto, Dorotheo, Sophronio, (16) & Martyrologio Romano eſt Calamina Indiæ Urbs; S. Gaudentio ſerm. 17. India ipſa, quod unum dicunt antiquiſſima Martyrologia apud Florentinium. Pag. 145. & 146. Calaminam utpote antiquis ignotam, commentitiam putant ſeveriores Critici: quidam eamdem faciunt, atque illam, quæ nunc *Maliapor*, Luſitanis Urbs S. Thomæ, quod ibi lancea Bar. ad an. 57. §. 115. confoſſum ex veteri ibidem reperta inſcriptione credant: addentes, corpus ejus nuperis temporibus eodem in loco repertum, Edeſſam ex India translatum, inde Chium, & poſtremo Orthonam in Apulia. (17) Primam translationem, de qua narrat Rufinus lib. 2. cap. 5. adeo certam habet Baronius in annotat. ad Martyrolog. V. Non. Jul. ut de ea *luce clarius conſtare* dicat. (18)

ex Heracleone Hæretico Valentiniano, martyrii expertem obiiſſe, ſcribit. Ceteri Patres ab Ethnicis morti datum confirmant.

(16) Hippolytus, & Dorotheus de duodecim Apoſtolis exſtant tom. 3. Bibl. Patr. pag. 265. & 426. Sophronius refertur inter Scriptores Eccleſiaſticos D. Hieronymi pag. 268. Sed hi omnes apocryphi cenſentur.

(17) Calaminam *exſiſtere tantum in Utopia & cerebro male feriato*, *ſcribit* Stephanus le Moyne *notis ad varia ſacra pag.* 1060. *qui ſuſpicatur* καλιρόην *ſive Edeſſam ſub illo nomine latitare*, *ubi* S. Thomæ *oſtentatæ fuere reliquiæ*. Kircherus *vero* Chinæ illuſtratæ *cap.* 79. Calaminam *interpretatur*, Maliapuram *S. Thomæ Civitatem dictam a Luſitanis*, *Narſingæ ultra Indum fluvium Metropolim*, *cum veteres ad citeriorem modo Indiam* Thomam *penetraſſe teſtentur*: *unde illi ſententiæ fidem detrahit præter laudatum Lemonium* Samuel Baſnage *ad an. Ch.* 46. *num.* 32. *& ſeq.* Hæc Joan. Albertus Fabricius in Salutari Luce Evangelii cap. 5. pag. 109. & 110.

(18) Chryſoſtomus in Epiſt. Pauli ad Hebræos hom. 26. pag. 1920. *Apoſtolorum autem multorum oſſa neſcimus*, *ubi ſita ſint*. *Nam Petri quidem*, *& Pauli*, *& Joannis*, *& Thomæ manifeſta ſunt ſepulcra*, *aliorum autem*, *cum ſint tam multi*, *nuſquam ſunt nota*.

D E

S. M A T T H Æ O,

APOSTOLO ET EVANGELISTA.

I. *Num quid habes de hujus Apoſtoli nomine ſcitu dignum?*

℟. MATTHÆUS, cujus nomen, ſi ex Hebræo interpreteris, *donatum* ſignificat, *Levi* itidem dictus eſt. *Duplici quippe vocabulo fuit. Ceteri Evangeliſtæ propter verecundiam & honorem Matthæi, noluerunt eum nomine appellare vulgato, ſed dicunt Levi. Ipſe autem Matthæus ſecundum illud, quod dicitur a Salomone:* Juſtus accuſator eſt ſui in principio ſermonis, *Matthæum ſe publicanum nominat*. (1) A D. Marco appellatur *Levi Alphæi*, quod fortaſſe Patris ejus nomen eſt; ex quo factum, ut frater Jacobi filii Alphæi a quibuſdam crederetur. (2) Cum autem hæc duo nomina *Matthæus* & *Levi* ad unum eumdemque hominem pertinentia numquam conjuncta in Novo Teſtamento reperiantur; inde ortus error, ut nonnulli veteres, recenteſque *Matthæum* a *Levi* ſecernerent, atque hunc ἀρχιτελώνην, qualis erat

Cap. IX. 9. X. 3. Cap. II. 14.

Telonii ſeu Publi-

(1) S. Hieronymus in Matthæum cap. 9. pag. 13. tom. 6. Euſebius lib. 3. Demonſtrat. Evangelicæ cap. 5. pag. 119. *Matthæus abundantia quadam modeſtiæ, ſtudium præſeferens veritatis in ſuis moribus indicandis, publicanum ſe appellavit, neque priorem ſuam vitam occultare voluit. Et ſecundo loco poſt æqualem ſuum ſe nominavit. Cum enim ſinguli ſingulis comparantur, ipſe Matthæus... Thomam ſibi ipſi præponit, priorem illi locum, quamvis Coapoſtolo, tamquam honoratiori tribuens, tametſi reliqui Evangeliſtæ contrarium faciunt.*

(2) Vide Bollandum die 1. Maji pag. 19. §. 2. & 3.

rat Zachæus (3) illum vero miniſtrum facerent. Sed ratio hæc, & aliæ generis ejuſdem, quibus utuntur, ut id confirment, quales tandem ſunt, ut receptam jamdiu ab Eccleſia ſententiam poſſint labefactare? (4)

canorum principem.

II. *Cujas, & cujus profeſſionis fuit?*

℟. Quod negari nullo modo poteſt, Galilæus fuit, & profeſſione Publicanus. Morabatur, ut dicitur, Capharnaum, & menſam ad mare Tiberiadis Urbi proximum habebat. Judæus autem erat, non Ethnicus, ut viſum Tertulliano in libro de Pudicitia cap. 9. qui propterea reprehenſus eſt a D. Hieronymo Epiſt. 146. Ethnicorum tamen loco habitos a Judæis Publicanos innuere videtur illud apud ipſum Matthæum: *Sit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*. Apud Judæos enim, ſi uſpiam, maxime inviſum Publicanorum nomen, quod tributum ſibi a Romanis indictum argumen-

Bar. ad an. 31. §. 71.

Cap. XVIII. 27.

 tum

(3) *Zachæus dictus princeps Publicanorum, qui dicebatur Hebraice*, (ſeu Syriace) *Gabbe, ceteri vero Publicani Gabbain, unde fortaſſe deductum nomen Gabella*. Baronius ad an. 31. §. 73. Caſaubonus Exercitat. 13. in Baronii Annales §. 37.

(4) Levin a Matthæo diſtinguit Origenes contra Celſum lib. 1. §. 62. pag. 376. & Heracleon hæreticus Valentinianus apud S. Clementem Alexandrinum lib. 4. Stromat. pag. 514. quos ſequitur Grotius in Matthæum cap. IX. 9. tom. 6. Criticorum Sacrorum pag. 347. Grotio reſpondent Dupinus Diſſert. Prælimin. ad Biblia lib. 2. cap. 2. §. 3. Cotelerius in Conſtitut. Apoſt. lib. 8. cap. 22. & Ceillierius in Hiſtoria Auctorum ſacrorum lib. 2. cap. 2. art. 1. pag. 341. tom. I. Nam Origenes quidem videtur Celſi opinionem poſuiſſe, non ſuam: cum in Præfatione Commentarii in Epiſt. ad Rom. affirmet, Evangeliſtam, de quo ſermo eſt, duplex nomen habuiſſe, *Matthæum* videlicet, ac *Levin*. Heracleon vero loquitur fortaſſe de *Levi* Lebbæi filio, non de *Levi* publicano, quem Marcus cap. II. 14. & Lucas cap. V. 27. memorant.

tum eſſet ſervitutis, quam ſummopere execrabantur. Nulli enim nota non eſt ſuperba eorum vox, quæ eſt in Evangelio S. Joannis cap. VIII. 33. *Nemini ſerviemus umquam.*

III. *Vocatus a Chriſto, eumne ſtatim ſecutus eſt?*

℟. Certe. Hujus rei teſtes, & laudatores ſunt Evangeliſtæ duo Marcus cap. II. 14. & Lucas cap. V. 28. *Non enim repugnavit*, inquit Chryſoſtomus
Pag. 294. Hom. 31. in Matthæum, *nec ambigendo ſecum dixit: putaſne Publicanum, peccatoremque me recte abſque fraude vocaverit? Non eſt enim hujuſcemodi interpretativa humilitas laudabilis: Sed confeſtim ita obtemperavit, ut nec domum quidem ad communicandam rem cum ſuis profectus ſit, verum ſicut piſcatores prius retibus una cum navigio atque patre relictis, ſic iſte publico officio, & quæſtu relicto ſequebatur.* (5) *Qua in re*, ut ait S. Baſilius Inter-
Pag. 545. tom. 2. rogat. 8. Regul. fuſius diſputatarum, *non lucra modo reliquit, ſed pericula etiam contemſit, quæ ipſi, totique ſuæ familiæ a Civitatis Magiſtratibus imminebant, quod redemtorum a ſe vectigalium rationes diſcedens non confectas reliquiſſet.* Affirmant tamen viri doctiſſimi, ſi hujuſmodi rationes brevi confici potuerint, nihil in Evangelio reperiri, quod prohibeat, quominus a Matthæo confectas fuiſſe credamus. Nam S. Lucas poſtquam narravit, Matthæum, *relictis omnibus*, ſecutum eſſe Chri-

(5) Antiqui Chriſtianæ religionis hoſtes Porphyrius, & Julianus Matthæum accuſant, quod ſtulte ſecutus ſit Chriſtum hominem ſibi minime notum. At Hieronymus in Matthæum cap. 9. pag. 13. eos refellit, *cum tantæ*, inquit, *virtutes, tantaque ſigna* Chriſti *præceſſerint, quæ Apoſtolos, antequam crederent, vidiſſe non dubium eſt. Certe fulgor ipſe, & majeſtas divinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad ſe videntes trahere poterat aſpectu.* Vide D. Thomam Quodlibet. 5. art. 21.

Chriſtum, ſubjicit e veſtigio, eumdem domi ſuæ magnificum ac ſplendidum paraſſe convivium, cui etiam Publicani complures interfuerunt.

IV. *Poſtquam Chriſto adhæſit rurſuſne ad priſtinam vitæ rationem rediit?*

℟. Quæſtioni huic reſpondet Gregorius Magnus Hom. 24. in Evangelia. §. 1. *Nam*, inquit, *piſcatorem Petrum, Matthæum vero telonearium ſcimus: & poſt converſionem ſuam ad piſcationem Petrus rediit: Matthæus vero ad telonei negotium non reſedit: quia aliud eſt victum per piſcationem quærere, aliud autem telonei lucris pecunias augere. Sunt enim pleraque negotia, quæ ſine peccatis exhiberi aut vix, aut nullatenus poſſunt. Quæ ergo peccatum implicant, ad hæc neceſſe eſt, ut poſt converſionem animus non recurrat*. (6)

V. *Quo anno Apoſtolatu initiatus eſt, & quo loco inter Apoſtolos numerandus?*

℟. Eodem anno, quo Chriſto nomen dedit, primo videlicet prædicationis Chriſti. Quandoque ſe-

(6) S. Auguſtinus in Joan. Evang. Tract. 122. §. 3. *Reſpondendum eſt, non eos* (Apoſtolos) *fuiſſe probibitos arte ſua, licita ſcilicet atque conceſſa, victum neceſſarium quærere, ſui Apoſtolatus integritate ſervata, ſi quando unde viverent, aliud* non *baberent*.

Tertullianus de Pudicitia cap. 9. Publicanos appellat *peccatores ex officio*. Et Chryſoſtomus hom. 31. in Matth. pag. 294. *Piſcatura quoddam artificium eſt, quod quamvis rudiorum bominum ſit, & ſimplicium, nibilominus non vituperatur: publicanorum autem ſtudia & exercitatio impudentiæ, ac crudelitatis plena ſunt, quæſtus nota illiberalis, turpis quædam mercatura, imo rapina lege ſæculari conceſſa*. Profecto, cum Jeſus domum Zachæi publicani ingreſſus eſſet, populus murmurabat, *quod ad bominem peccatorem divertiſſet*, ut ait Lucas cap. XIX. 7.

ſeptimus, quandoque octavus inter Apoſtolos numeratur. Ipſe ſe octavum facit; quem ordinem ſequi mihi placuit, quoniam ex eo, & quidem ejuſdem verbis, ſeriem & catalogum duodecim Apoſtolorum ipſo hujus opuſculi initio contexui. (7)

VI. *Quando Evangelium ſcripſit?*

℞. Matthæus omnium *primus Evangelium ſcribere aggreſſus eſt*. (8) *Nam cum Hebræis primum fidem prædicaſſet, inde ad alias quoque gentes profecturus, Evangelium ſuum patrio ſermone conſcribens*, (9) *id quod præſentiæ ſuæ adhuc ſupereſſe vide-*

(7) Eundem octavum locum inter Apoſtolos obtinet etiam apud Lucam in Actis Apoſtolorum cap. I. 13.

(8) S. Epiphanius Hær. 51. §. 4. pag. 425.

(9) Papias Joannis auditor apud Euſebium lib. 3. Hiſt. Eccl. extremo cap. 39. pag. 91. *Matthæus Hebraico ſermone divina ſcripſit oracula*. Idem affirmant S. Irenæus lib. 3. adverſus hæreſes cap. 1. & Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 14. §. 15. pag. 212.

Chryſoſtomus hom. 1. in Matth. pag. 4. *Matthæus accedentibus his, qui ex Judæis Chriſto crediderant, & rogantibus, ut quæ verbis docuiſſet, hæc eis in litteris ſervanda dimitteret, Hebræo dicitur Evangelium ſcripſiſſe ſermone*.

S. Auguſtinus lib. 1. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 2. §. 4. *Horum ſane quatuor ſolus Matthæus Hebræo ſcripſiſſe perhibetur eloquio*.

S. Hieronymus de ſcriptor. Eccl. in Matthæo pag. 267. *Primus in Judæa propter eos, qui ex Circumciſione crediderant, Evangelium Chriſti Hebraicis litteris verbiſque compoſuit*.

Græce ſcripſiſſe, autumant aliqui ex recentioribus; non tamen eas afferunt rationes, quæ nos cogant diſcedere a ſententia veterum Patrum, ut obſervavit Grotius in Matthæum cap. I. Tom. VI. Criticorum Sacrorum pag. 36. Dupinus Diſſertat. Præliminari ad Biblia lib. 2. cap. 2. §. 3. pag. 23. tom. 2. Ceillierius in Hiſtoria generali Auctorum Sacrorum tom. 1. l. 2. c. 2. art. 2. §. 3. pag. 344. *Quis poſtea in Græcum tranſtulerit, non ſatis certum eſt*, ait Hieronymus de Script. Eccl. in Matthæo. Alii Jacobum Hieroſoly-

debatur, *ſcripto illis*, *quos relinquebat*, *ſupplevit*. (10) Itaque cum annum, quo Apoſtoli provincias ſortiti ſunt, certum affirmare diſſenſione Chronologorum non liceat; annus etiam, quo Evangelium a Matthæo ſcriptum eſt, in incerto relinquitur. Hæc enim quæſtio quaſi ſtirps eſt illius quæſtionis. Nonnulli igitur anno Chriſti 36. quidam 41. alii 48. aut 49. id factum arbitrantur. Contraria his videtur dicere Irenæus lib. 3. adverſus Hæreſes cap. 1. ubi docet, Matthæum compoſuiſſe Evangelium pro Judæis eodem tempore, quo *Petrus & Paulus Romæ evangelizabant*. Verum aut huic Irenæi ſententiæ ſtandum non eſt, aut aliorum omnium teſtimonia rejicienda, atque adeo ipſius Irenæi, ut recte viſum Baronio ad an. 41. §. 14. Non enim eſſet recenſendus ante ceteros Evangeliſtas, quod etiam Irenæus facit, ſi ad id uſque temporis Evangelii ſui ſcriptionem diſtuliſſet.

VII. *Qua da cauſſa ſcripſit?*

℟. *Matthæus fideliſſimus Evangelii commentator*, *ut comes Domini*, *non aliam ob cauſam*, ut verbis reſpondeam Tertulliani de carne Chriſti cap. 22. *quam ut nos originis Chriſti carnalis compotes faceret*. Cum enim *propter eos*, *qui ex circumciſione crediderant*, teſte Hieronymo de Script. Eccl. ca. 3. Chriſtum exſpectantes ſcriberet, neceſſe fuit, ut humanam ejus generationem enarraret, & ex ſtirpe

Bar. ad an. 41. §. 17.

lymorum Epiſcopum, alii Paulum, alii Lucam, vel Joannem tranſtuliſſe putant: nullo tamen certo, & inconcuſſo utuntur auctore. Theophylactus præfat. in Evangel. Matth. pag. 2. *Joannes hoc ex Hebraica lingua in Græcam*, *ut ferunt*, *interpretatus eſt*.

(10) Euſebius lib. 3. Hiſt. Eccl. cap. 24. pag. 76.

ſtirpe Abraham, Davidiſque ſemine natum oſtenderet. (11)

VIII. *Ubi prædicavit, & ubi mortuus eſt?*

Bar. ad an. 44. §. 35. ℞. *Matthæo obtigit Æthiopia*, inquit Rufinus lib. 10. cap. 9. quicum conſentit Socrates lib. 1. cap. 19. Eidem *patuit* etiam *Perſia*, ait S: Ambroſius in Pſal. 45. ver. 21. Antequam tamen in provinciam diſcederet, *Hebræis primum fidem prædicaſſe*, ſcribit Euſebius lib. 3. Hiſt. Eccl. cap. 24. Quod vero attinet ad locum mortis ejus, ſunt, ut obſervatum eſt a Florentinio in Martyrolog. Hieronym. pag. 158. & 159. qui in Æthiopia, qui in Parthia, qui Mirmenæ Antropophagorum, qui Hierapoli Syriæ; qui naturali morte, qui violenta extremum vitæ diem confeciſſe putant. Atque his propter Martyrologii Romani auctoritatem magis credo, licet in tanta rerum vetuſtate, tantaque veterum Scriptorum inopia aliquid pro certo affirmari non poſſit. (12)

(11) Auctor Operis imperfecti, qui homiliis Chryſoſtomi in Matthæum ſubjicitur, præfatione in eumdem Matthæum pag. 759. ita ſcribit. *Sicut referunt, Matthæum conſcribere Evangelium cauſſa compulit talis: Cum facta fuiſſet in Palæſtina perſecutio gravis, ut periclitarentur diſpergi omnes; ut carentes forte doctoribus fidei non carerent doctrina, petierunt Matthæum, ut omnium verborum & operum Chriſti conſcriberet eis hiſtoriam, ut ubicumque eſſent futuri, totius ſecum haberent fidei ſtatum.... Matthæus ſanctorum quidem, præcipue tamen peccatorum Evangeliſta, qui non ſolum ſermone, ſed etiam ipſa vitæ ſuæ correctione peccatoribus Evangelium prædicavit.*

(12) Cardinalis Cajetanus commentariis in D. Thomæ 2. 2. quæſt. 88. art. 11. *Non conſtat eſſe verum, quod de Matthæo Apoſtolo dicitur* (a falſo Abdia lib. 7. Hiſt. Apoſt. §. 9.) *quod potius mortem elegit, quam diſpenſare cum Iphigenia virgine Deo dicata, quod contraheret matrimonium cum Rege* (Æthiopiæ Hirtaco) *promittente converſionem dimidii regni ad fidem, ſi ipſa ſibi matrimonio copularetur.*

Leo

Leo Oſtienſis Chron. Caſſin. lib. 2. cap. 5. *Anno, qui eſt a Nativitate Domini nongenteſimus quinquageſimus quartus, Beatiſſimi Apoſtoli & Evangeliſtæ Matthæi corpus, quod primo apud Æthiopiam, ubi & paſſus fuerat, poſtmodum autem apud Britanniam per tempora diverſa quieverat, tandem ejuſdem ſancti Evangeliſtæ revelatione repertum, atque in Salernum translatum eſt.*

S. Chryſoſtomus in Matthæum hom. 48. pag. 430. *Hunc ipſum Evangeliſtam conſidera, cujus etſi conſcriptam univerſam non habeamus vitam, poſſumus etiam ex paucis coruſcantem effigiem ejus videre. Quanta enim humilitate, quantaque contritione rutilaret, inde cognoſces, quia vel poſteaquam præeſt Evangelio, publicanum ſeipſum nominat. Miſericordiam vero ejus inde perſpicies, quia cunctis exutus Jeſum ſequebatur. Sinceram fidem de dogmatibus percipies, prudentiam, & caritatem ab Evangelii compoſitione facile intelliges. Univerſi enim Orbis curam gerebat. Fortitudinem ejus cognoſcimus, quia cum gaudio a conſpectu concilii revertebatur: bonorum autem operum oſtentationem, quia in ſublimi ſede omnino ſeſſurus eſt.*

DE

S. JACOBO,

QUI COGNOMENTO *PARVUS*, SEU *MINOR* PERHIBETUR.

I. *Quos habuit parentes?*

℞. JACOBUS, qui *Minor* appellatur *ad diſtinctionem Majoris, qui erat filius Zebedæi*, ut ait Hieronymus adverſus Helvidium cap. *6.* (Pag. 313.) patrem habuit, ex Chryſoſtomo, & Theodoreto, Cleopham; ex Hieronymo, & Auguſtino, Alphæum; (1) matrem Mariam *ſororem Mariæ matris Domini, quam Mariam Cleophæ Joannes Evangeliſta cognominat, ſive a patre, ſive a gentilitate familiæ, aut quacumque alia cauſſa ei nomen imponens*. (2) Beda in Evangelium D. Marci lib. 1. cap. 16. (Pag. 113. tom. 5.) exiſtimat, *vel Alphæum etiam Cleopham eſſe dictum, vel ipſam Mariam, defuncto poſt natum Jacobum Alphæo, Cleophæ nupſiſſe*. Natum Jacobum ex femina, quam S. Joſeph ante Mariam Virginem duxerit, multi ex veteribus crediderunt *ſequentes deliramenta apocryphorum*. (3) Cum enim, Matthæo & Marco referentibus, Jacobi (Matth. XXVII. 16. Marc. XV. 40.) ma-

(1) Chryſoſtomus in Epiſt. ad Galatas cap. 1. pag. 982. Theodoretus in eumdem locum pag. 268. tom. 3. Hieronymus adverſus Helvidium cap. 7. pag. 314.

Auguſtinus Locutionum de Geneſi lib. 1. §. 46. *Cum dicitur Jacobus Alphæi, quamvis non dicatur filius, nihil aliud intelligitur: & multæ ſunt tales locutiones Scripturarum, ubi filius tacetur & intelligitur.*

(2) S. Hieronymus adverſus Helvidium cap. 7. pag. 314.

(3) Idem S. Hieronymus in Matthæum extremo cap. 12. pag. 23.

mater tempore mortis Chriſti ſuperſtes eſſet, alterutrum inde ſequeretur, aut Joſephum, dato libello, illam repudiaſſe, quod nemo dixerit prudens; aut, quod piorum omnium aures valeat conſcelerare, duas ſimul uxores Joſephum habuiſſe; & quidem duas ſorores contra Legis præſcriptum, ſi ad verbum, ut accipitur a Patribus, id accipiatur, quod narrat Joannes cap. XIX. 25. Mariam Cleophæ fuiſſe ſororem matris Chriſti. (4) [Bar. in app. §. 65.] [Levit. XVIII. 18.]

II. *Habuitne fratres?*

℞. Tres habuiſſe invenio, Joſephum, Judam, & Simonem: Joſephum, de quo teſtatur D. Marcus, & qui in autographo ſemper *Joſe* dicitur: Judam, qui ipſo epiſtolæ ſuæ initio ſe Jacobi fratrem inſcribit: Simonem, qui perinde, ac Jacob, Joſeph, & Judas, frater Chriſti a D. Marco vocatur. (5) Ex his collige, illos fuiſſe Chriſti conſobrinos tantum, ſi Alphæum; etiam patrueles, ſi Cleopham patrem habuerunt. Siquidem Hegeſippus *vicinus Apoſtolicorum temporum*, ut ait Hieronymus de Script. Eccl. cap. 2. (6) *teſtatur Cleopham*, in Evangelio memoratum, *fratrem fuiſſe Joſephi* ſponſi B. Virginis, ac proinde patruum Chriſti. [Cap. XV. 45.] [Cap. VI. 3.] [Pag. 266.]

Hinc

(4) D. Hieronymus, mihi unus inſtar omnium, hoc multis locis affirmat, De ſcript. Eccl. in Jacobo: Adverſus Helvidium, cap. 7. In Matthæum extremo cap. 27. & Epiſt. 150. quæſt. 4. ubi, *Quatuor*, inquit, *fuiſſe Marias, in Evangeliis legimus: unam matrem Domini Salvatoris: alteram materteram ejus, quæ appellata eſt Maria Cleophæ: tertiam Mariam matrem Jacobi, & Joſe: quartam Mariam Magdalenam: licet alii matrem Jacobi, & Joſe materteram ejus fuiſſe contendant.*

(5) Creditur hic proximus poſt Jacobum fratrem ſuum fuiſſe Epiſcopus Hieroſolymorum, referente Euſebio l. 3. cap. 11.

(6) Apud Euſebium lib. 3. Hiſt. Eccl. extremo cap. 11.

Hinc Jacobus, aliique fratres Domini appellantur pro more & uſu divinarum Scripturarum, ubi fratres, aut ſorores dicuntur, qui proxima cognatione, aut etiam affinitate inter ſe conjuncti ſunt. (7)

III.

(7) D. Auguſtinus Quæſt. in Matth. 17. *Fratres apud Judæos dici ſolere cognatos, uſque adeo probatur, ut non ſolum ex propinquo generationis gradu, ſicut ſunt filii fratrum, & ſororum, qui etiam apud nos uſitatiſſime fratres dicuntur, ſed etiam avunculus, & ſororis filius, ſicut ſibi erant Jacob, & Laban, fratres appellati inveniantur. Non ergo mirum eſt, dictos eſſe fratres Domini ex materno genere quoſcunque cognatos, cum etiam ex cognatione Joſeph dici potuerint fratres ejus ab eis, qui illum patrem Domini eſſe arbitrabantur.*

Hieronymus adver. Helvidium cap. 8. pag. 314. docet, *quatuor modis in Scripturis divinis fratres dici, natura, gente, cognatione, affectu*: & concludit, *fratres eos appellatos cognatione.*

Sed in epiſt. ad Gal. cap. 1. pag. 125. ſcribit, Jacobum etiam alio nomine dictum eſſe fratrem Domini, ſcilicet *propter egregios mores, & incomparabilem fidem, ſapientiamque non modicam, & quod primus ei Eccleſiæ præfuerit, quæ prima in Chriſtum credens ex Judæis fuerat congregata.* Conſentit & Origenes lib. I. contra Celſum §. 47. pag. 363. tom. I. Jacobum dicens *fratrem Domini, non tam ob ſanguinis cognationem communemque ipſorum educationem, quam ob mores & doctrinam.* Et D. Thomas in cap. 1. ad Gal. Lect. 5. pag. 118. *Dicitur* frater Domini *iſte Jacobus ſpecialiter inter alios ſuos conſobrinos; & hoc propter duo. Primo propter ſimilitudinem effigiei, quia ſimilis erat Chriſto in facie. Et propter ſimilitudinem vitæ, quia imitabatur Chriſtum in moribus. Vel quia Alphæus pater ejus fuit de cognatione Joſeph. Et ideo quia Judæi cognationis lineam texere ſolent a maribus, & Chriſtus* putabatur Filius Joſeph, *ut dicitur Luc.* 3. *ideo ſpecialiter dictus eſt* frater Domini, *at non alii, qui ſolum ex matre conjuncti erant ei. Accipitur autem hic* frater *cognatione*. Vide Suarez in 3. part. D. Thomæ tom. 2. Diſput. 5. ſect. 4.

Digitized by Google

III. *Fuitne idem, ac Jacobus frater Domini Epiſcopus Hieroſolymorum?*

℞. Ita prorſus exiſtimo. Quamquam non ignoro, Scriptores cum recentes, tum veteres extitiſſe, qui id negarent, rati, tres fuiſſe Jacobos, unum Joannis Evangeliſtæ fratrem, Zebedæi filium, alterum Alphæi, & tertium ἀδελφόθεον *fratrem Domini*, cognomine *Juſtum*, Epiſcopum Hieroſolymorum, duodecim Apoſtolis non annumerandum. (8) Ego enim Chryſoſtomo, Auguſtino, & Hieronymo plus, quam illis, credo, (9) atque, ut plus Bar. ad an. 44. §. 39.

(8) Vide Florentinium in Martyrologium Hieronymianum Exercitat. 2. *De tribus ſub Jacobi nomine Apoſtolis* pag. 95.

(9) Chryſoſtomus in Joannem hom. 47. pag. 246. *Jacobus primus Hieroſolymorum Epiſcopus ordinatus eſt, de quo Paulus* (ad Gal. I. 19.) *ait:* Alium autem Apoſtolorum vidi neminem, niſi Jacobum fratrem Domini.

Auguſtinus contra Creſconium lib. 2. cap. 37. §. 46. *Hieroſolymitanam* Eccleſiam *primus Apoſtolus Jacobus Epiſcopatu ſuo rexit.*

Hieronymus adverſus Helvidium cap. 7. pag. 313. *Nulli dubium eſt, duos fuiſſe Apoſtolos, Jacobi vocabulo nuncupatos, Jacobum Zebedæi, & Jacobum Alphæi. Iſtum neſcio quem minorem Jacobum, quem Mariæ filium, nec tamen Matris Domini, Scriptura commemorat, Apoſtolum vis eſſe, an non? Si Apoſtolus eſt, Alphæi filius erit: & credidit in Jeſum, & non erit de illis fratribus, de quibus ſcriptum eſt:* Neque enim fratres ejus credebant in eam. *Si non eſt Apoſtolus, ſed tertius neſcio quis Jacobus: quomodo eſt frater domini putandus? & quomodo tertius ad diſtinctionem majoris appellabitur minor, cum major, & minor non inter tres, ſed inter duos ſoleant præbere diſtantiam, & frater Domini Apoſtolus ſit, Paulo dicente:* Deinde poſt triennium veni Hieruſalem videre Petrum, & manſi apud illum diebus quindecim. Alium autem Apoſtolorum vidi neminem, niſi Jacobum fratrem Domini. *Et in eadem Epiſtola:* Et cognita gratia, quæ data eſt mihi, Petrus, & Jacobus, & Joannes, qui videbantur columnæ eſſe, &c. *Ne autem hunc putes Jacobum filium Zebedæi, lege Actus Apoſtolorum. Jam ab Herode fuerat interemtus.*

Cap. I. 18. 19. plus credam, D. Pauli facit auctoritas, qui ſcribens ad Galatas, *Jacobum fratrem Domini* in numero habet Apoſtolorum; ſiquidem affirmat, ſe id temporis, quo ad Petrum Hieroſolymam adivit, præter Jacobum, alium ex Apoſtolis vidiſſe neminem. *Ne autem hunc putes Jacobum filium Zebedæi, lege Actus Apoſtolorum. Jam ab Herode fuerat interemtus*, quemadmodum ſcribit Hierony-
Loc. cit. mus. Quod ſi idem Hieronymus expoſitione pri-
Pag. 51. & 76. ma in cap. 17. Eſaiæ, Jacobum fratrem Domini æque, ac S. Paulum ex duodenario Apoſtolorum numero expungit; in altera expoſitione non Jacobum excludit, ſed Barnabam. Neque id eſt contra nos, quod idem Hieronymus in cap. I.
Pag. 125. Epiſt. ad Galat. ait, *omnes, qui Dominum viderant, & eum poſtea prædicabant, fuiſſe Apoſtolos appellatos*, eoſque fuiſſe amplius quingentos, & deinde alios ab Apoſtolis ipſis eodem titulo donatos. Nam hæc Hieronymi ſententia, quod tanti viri pace dictum velim, cum Pauli verbis haud recte congruit. Primum namque Paulus eodem modo de Apoſtolatu Jacobi ac Petri loquitur: deinde, cum Paulus Hieroſolymis apud Petrum manſerit dies quindecim, vix credam, eum neminem vidiſſe quingentorum fratrum, qui Chriſtum redivivum conſpexerant: poſtremo ſi iter hoc a Paulo Hieroſolymam ſuſceptum idem eſt, ut omnes conſentiunt, ac illud, de quo Lucas
Cap. IX. in Actis Apoſtolorum meminit, pro certo pono,
27. 28. ab eo ibidem viſum etiam Barnabam, quem Eccleſia Apoſtolum vocat, quemque ex duobus & ſeptuaginta diſcipulis fuiſſe, veteres non pauci teſtantur. Cum igitur Paulus neget, ſe præter D. Petum vidiſſe alium ex Apoſtolis, quam Jacobum fratrem Domini, eum in duodecim a Chriſto electis numerat, ac proinde unum eumdemque, ac Jacobum Alphæi, primum Hieroſolymorum Epiſ-

piſcopum, eſſe confirmat. Quibus adde, quæ D. Hieronymus, amplexus ſententiam hanc, diligentiſſime diſputat adverſus Helvidium. (10)

IV. *Quid de eo narrant Scriptores Canonici?*

℞. Paulus ſcribens ad Corinthios ſignificat, Jacobo etiam ſeparatim a reliquis Apoſtolis Chriſtum poſt reſurrectionem apparuiſſe; cujus rei cauſam fuiſſe *ſpecialem* ejus *devotionem*, *&* *ſimilitudinem ad Chriſtum*, exiſtimat Nicolaus de Lyra. In epiſtola autem ad Galatas cap. II. 9. Jacobum numerat inter Apoſtolos, *qui videbantur columnæ eſſe*, id eſt, ut explicat Chryſoſtomus, *qui magni ſunt*, *&* *eximii*, *quoſque omnes ubique celebrant*. (11) Tres autem erant, Jacobus ipſe, Cephas ſeu Pe- 1. ad Cor. XV. 5 6. 7.

(10) S. Clemens Alexandrinus apud Euſebium lib. 2. Hiſt. Eccl. cap. 1. *Ceterum duo fuere Jacobi, alter cognomento Juſtus, qui ex Templi faſtigio præcipitatus, & a fullone fuſte percuſſus interiit: alter, qui capite truncatus eſt*. Vide Petavium tom. 3. Theologic. Dogmat. Lib. 1. de Eccleſiaſtica Hierarchia cap. 7. & 8. & Antonium Auguſtinum Touttee Diſſertatione Cyrilliana I. cap. 6. §. 34.

(11) Nicolaus de Lyra in Epiſt. 1. ad Corinth. cap. 15. pag. 57. Chryſoſtomus in Epiſt. ad Galatas cap. 2. pag. 988. Hieronymus in Epiſt. ad Gal. cap. 2. pag. 127. *Columnæ ſunt Eccleſiæ Apoſtoli, & maxime Petrus, Jacobus*, (minor) *& Joannes, ex quibus duo*, (Petrus, & Joannes,) *cum Domino aſcendere merentur in montem*.

Auguſtinus vero in Expoſitione ejuſdem Epiſtolæ ad Gal. capite memorato, §. 13. *Petrus autem, & Jacobus, & Joannes honoratiores in Apoſtolis erant, quia ipſis tribus ſe in monte Dominus oſtendit in ſignificatione regni ſui, cum ante ſex dies dixiſſet*: (apud Matthæum cap. XVI. 28.) Sunt hic quidam de circumſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant Filium hominis in regno Patris ſui. *Nec ipſi erant columnæ, ſed videbantur. Noverat enim Paulus*, ſapientiam ædificaſſe ſibi domum *&* *non tres* columnas conſtituiſſe, *ſed* ſeptem. Proverb. cap. IX. 1. Jam vides, Auguſtinum a Hieronymo diſſentire. Quod enim hic Petro tantum,

Pag. 914. Petrus, & Joannes, quibus etiam Barnabam addit S. Ambroſius in Pſalm. 118. Eundem Lucas Act. XV. 13. narrat in Concilio Hieroſolymitano poſt Petrum verba feciſſe, inque ejus ſententiam locutum probaſſe, Veteris Legis ceremonias imponendas non eſſe Ethnicis ad Chriſti fidem converſis; quamvis ipſe earum uſum ſubjectis ſibi ex Circumciſione Chriſtianis indulgeret. Conſtat enim ex Act. cap. XXI. 20. Judæos fuiſſe priſcæ Legis ſtudioſiſſimos, quod ſtudium altum fortaſſe ab Epiſcopis, qui uſque ad tempora Hadriani ex Judæis fuerant, tandiu in eis exarſit, donec ab eodem Imperatore Hieroſolymam accedere prohibiti ſunt, ut Euſebius lib. 4. Hiſt. Eccl. cap. 6. & Sulpitius Severus lib. 2. Hiſt. Sacræ cap. 31. referunt.

V. *Quid Patres antiqui?*

℞. Euſebius lib. 2. Hiſt. Eccl. cap. 1. ex Cle- Bar. ad an. 34. §. 291. mente Alexandrino narrat, Jacobum a Petro, Jacobo *Majore*, & Joanne Hieroſolymorum Epiſcopum deſignatum; & perinde ac Joannem, & Petrum a Chriſto poſt Aſcenſionem in Cælum ſingulari quadam cognitione, & ſcientia donatum. (12) Libro autem 7. cap. 19. ubi loquitur ex ſen-

tum, & Joanni, ille etiam Jacobo tribuit, ratus, Jacobum, qui adfuit Transfigurationi Chriſti in monte, fuiſſe Jacobum fratrem Domini, de quo in ea epiſtola loquitur Paulus; cum ex Evangelio Matthæi cap. XVII. 1. certo conſtet, fuiſſe fratrem Joannis, ideoque Jacobum *Majorem*, non *Minorem*. Hoc ego reticuiſſem libens, niſi vidiſſem, periculum eſſe, ne quis hoc loco in Auguſtini Doctoris ſummi auctoritate longe graviſſima conquieſceret. Nicolaus de Lyra in memoratum cap. 18. Matth. ait, S. Auguſtinum *non loqui aſſerendo, ſed magis aliorum opinionem referendo*.

(12) *Quod* donum *illi* (Jacobus, Joannes, & Petrus) *ceteris Apoſtolis, hi vero ſeptuaginta Diſcipulis, quorum unus fuit Barnabas, tradiderant*, ut ibidem ſubjicit e veſtigio Euſe-

ſenſu ſuo, ab ipſo Salvatore, & Apoſtolis primum Hieroſolymorum Epiſcopum conſtitutum dicit, illud ſimul affirmans, *Jacobi Cathedram ad ſua uſque tempora conſervatam fratres illius Eccleſiæ jam inde a majoribus magna proſecutos reverentia*. (13) Hegeſippus apud eumdem Euſebium lib. 2. cap. 24. *ab ipſo matris utero ſanctum fuiſſe*, commemorat. Epiphanius Hær. 29. §. 4. refert Sacerdotem fuiſſe Veteris Legis, & auream laminam in fronte geſtaſſe. (14) Idem Hær. 78. §. 13. memoriæ prodit, *una cum* Chriſto *nutritum, atque educatum, ab eoque fratris loco habitum*; vult etiam ſervaſſe leges Nazaræatus, non vinum umquam, aut ſiceram bibiſſe, non carnes comediſſe, *neque tunicam alteram induiſſe, ſed lineo palliolo duntaxat uſum eſſe*; & §. ſequenti 14. ſubjungit, nudis pedibus incedere conſueviſſe, (15)

P 3 ma-

ſebius ex ejuſdem Clementis Alexandrini libro ſeptimo Inſtitutionum.

(13) Hoc idem etiam de Cathedra D. Petri Romana ſcriptum habemus in annalibus Baronii ad an. 45. §. 11. *Ipſa prima Pontificia Sedes Petri, cathedra lignea, dignum plane tantæ rei eximiumque monumentum, quampluribus ſemper miraculis illuſtrata, a majoribus aſſervata, in ejuſdem Petri Baſilica Vaticana recondita hactenus cuſtoditur, & certis diebus populo viſenda exponitur*.

(14) Id refert Epiphanius ex Clemente Alexandrino, & Euſebio, apud quos tamen de hoc Jacobi ornamento nullam invenio mentionem. De uno Joanne Evangeliſta novi id ſcripſiſſe Euſebium ex Polycrate lib. 5. Hiſt. Eccl. cap. 24. ad quem locum Valeſius ex auctore MS. paſſionis D. Marci notat, etiam D. Marcum hanc Pontificalem laminam geſtaſſe.

(15) Euſebius lib. 2. Hiſt. Eccl. cap. 23. pag. 50. & 51. *Omnium accuratiſſime Hegeſippus, qui Apoſtolorum temporibus proximus fuit, in quinto commentariorum libro de Jacobo perſcripſit his verbis*: Eccleſiæ, *inquit*, adminiſtrationem una cum Apoſtolis ſuſcepit Jacobus frater Domini, qui jam inde a Chriſti temporibus ad noſtram uſque ætatem *Juſtus* cognominatus eſt. Nam multi quidem eodem nomine Jacobi vocabantur. Sed hic ab ipſo matris utero ſanctus fuit. Nec vi-

maximaque urente agros ſiccitate, fuſis ad Deum precibus extemplo pluviam impetraſſe. Chryſo-
Pag. 667. ſtomus hom. 38. in Epiſt. 1. ad Cor. non a Chriſto ſimul, & Apoſtolis, ut Euſebius; ſed a Chriſto tantum manuum impoſitione *ordinatum*, *&* *Epiſcopum factum* edit: (16) & hom. 5. in Matthæum docet, divinæ opis expoſcendæ cauſſa tam crebro ſe in terram proſternere ſolitum, ut non modo genua, ſed etiam frons ipſa callum obduceret; additque, ſervaſſe vitæ genus tam durum, atque aſperum, *ut adhuc viventis omnia fere membra morerentur*. Poſt hæc ita loquitur de eodem Jacobo: *Hic etiam Paulum, cum poſtea iterum Hieroſo-*

vinum umquam bibit, nec ſiceram: ab animantium carnibus penitus abſtinuit; comam numquam totondit; neque ungi, neque lavare balneo corpus unquam ſolitus. Unus ex omnibus in intimum templi ſanctuarium ingrediendi jus & facultatem habebat. Neque enim lanicio, ſed linea tantum veſte utebatur. In templum ſolus intrare, atque ibi genibus flexis pro peccatis populi ſupplex Deum orare conſueverat: adeo ut genua ipſius inſtar cameli occalluerint, dum aſſidue Deum venerans, & pro ſalute populi vota faciens humi ſterneretur. Hic ergo ob ſingularem juſtitiam cognominatus eſt *Juſtus*, & *Oblias*, quod Græce περιοχὴ, (*Latine munimentum*) populi, & juſtitiam ſignificat, quemadmodum etiam Prophetæ de eo prædixerunt. Vide Ruinartum in Actis Martyrum ſinceris.

(16) Præterea Jacobum conſtitutum Epiſcopum ab ipſo Chriſto Domino, ſcribunt Epiphanius Hær. 78. §. 7. Hieronymus in Epiſt. ad Gal. cap. 1. pag. 125. & alii. Rurſus Epiſcopum conſtitutum ab Apoſtolis, tradunt Athanaſius in Synopſi tom. 2. pag. 155. Euſebius lib. 2. Hiſt. Eccl. cap. 23. Hieronymus de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Jacobo, & falſus Ambroſius in Epiſtol. ad Gal. cap. 1. pag. 467. Cotelerius in Conſtitut. Apoſt. lib. 7. cap. 46. §. 15. pag. 385. *Ex placitis veterum Jacobus conſtitutus eſt Hieroſolymorum Epiſcopus vel ab ipſo Domino, vel ab Apoſtolis, vel a Chriſto, & Apoſtolis, vel a Petro, aut denique a Petro, Jacobo, & Joanne*. Hæc adjeci, ut vel hoc uno Jacobi exemplo docerem id, quod ſupra de Apoſtolis in univerſum poſt adnotat. 44. eſt dictum, certo affirmari non poſſe, a quo ſinguli Apoſtoli Epiſcopatus Ordinem acceperint.

roſolymam veniſſet, maturitatis ſuæ ſermone modera-
tus eſt dicens: Vides frater, quod millia ſunt cre- Act.
dentium ex Judæis &c. *Tantus illius erat pro ædi-* XXI. 20.
ficatione Eccleſiæ zelus, tantaque prudentia; imo
Dei in illo gratia de Chriſti virtute reſplendens.
Atque hom. 46. in Act. laudes ejus univerſas Pag. 796.
complectens, *virum magnum & mirabilem* appel-
lat. Homilia autem 33. in Matthæum ait, fuiſ- Pag. 314.
ſe Publicanum, nixus, ut mea fert opinio, co-
gnomine Alphæi, quod illi cum Matthæo com- Pag. 659.
mune fuit. Theodoretus in Pſal. 67. ſcribit, *ha-*
bitaſſe Capharnaum. (17) Hieronymus in Epiſt.
ad Gal. cap. I. tradit, Chriſtum jamjam iturum Pag. 125.
ad Patrem eidem commendaſſe *filios matris ſuæ*,
Eccleſiam videlicet Hieroſolymitanam; rurſus fuiſ-
ſe *cognomento Juſtum, virum tantæ ſanctitatis, &*
rumoris in populo, ut fimbriam veſtimenti ejus cer-
tatim cuperent attingere. (18)

P 4 VI.

(17) Credi poteſt, Jacobum veniſſe Capharnaum ſimul cum Chriſto, qui initio prædicationis ſuæ in eam urbem ſe contulit cum iis, qui *fratres ejus* dicebantur, ut eſt apud Joannem cap. II. 12.

Bollandiani ad Kal. Maii §. 11. num. 10. pag. 21. *Manet interim Jacobo certus & indubitatus titulus, undecumque promanans, ut dicatur* ὁ Ἀδελφὸς τοῦ Κυρίου vel Ἀδελφόθεος: *indeque profluxit, ut Hieroſolymitana Sedes, in quam primo poſt Aſcenſionem Domini anno ab Apoſtolis eſt ordinatus Epiſcopus, dicatur* Thronus Theadelphicus, *a Dei fratre; ſicut Romana* Sedes *dicitur* Apoſtolica *a Principe Apoſtolorum Petro. Etenim* Eccleſiæ Hieroſolymorum primus Epiſcopus ab Apoſtolis ordinatur Jacobus frater Domini, *uti ſcribit in Euſebii Chronico S. Hieronymus* ad an. Dom. 33. pag. 652.

(18) Idem Hieronymus de Script. Eccl. in Jacobo pag. 286. ex Evangelio ſecundum Hebræos narrat, Jacobum juraſſe, *ſe non comeſturum panem ab illa hora, qua biberat calicem Domini, donec videret eum reſurgentem a mortuis*, ob eamque cauſſam Chriſtum redivivum ei apparuiſſe, ac mandaſſe, ut comederet. Verum hujus apparitionis circumſtantiæ, quæ a D. Hieronymo referuntur duntaxat, non approbantur, fabuloſæ ſunt, & Evangelio, ac D. Paulo repugnan-

tes,

VI. *De ejus morte quid ſcriptum eſt?*

℞. De ea ab Euſebio lib. 2. Hiſt. Eccl. cap. 23. ex Clemente Alexandtino, & Hegeſippo ita ſcriptum eſt: Judæos ſpe, qua Concilium in D. Pauli necem coegerant, dejectos, quod ille ad Cæſarem appellaſſet, & Romam a Feſto Judææ Præſide miſſus eſſet, in Jacobum fratrem Domini tumultuari cœpiſse. Scribas enim, & Phariſæos, alioſque Judæorum principes, qui Chriſto non credebant, animo prorſus iniquo tuliſse, Evangelicam doctrinam Jacobi opera ita propagatam, ut populus fere univerſus Jeſum verum eſse Deum exiſtimaret. Quo igitur tempore Judæa per Feſti mortem Præſide carebat, a Jacobo petiiſse, ut errorem populo eriperet, & quid de Jeſu recte ac vere ſentiendum eſset, aperte palamque diceret. Eam ob rem Jacobum in templi pinna, ſeu angulo, in quem Chriſtus a dæmone evectus antea fuerat, collocatum, ut facilius audiri poſset a populo, qui propter Feſtum Paſchæ frequentiſſimus Hieroſolymam convenerat, ab iis, quos ſupra dixi, Scribis & Phariſæis elata voce rogatum: *O Juſte, cui nos omnes fidem adhibere par eſt, quandoquidem populus omnis errat Jeſum ſectans Crucifixum, doce nos, quod ſit oſtium Jeſu ſuffixi cruci.*

Bar. ad an. 63. §. 3.

Ad

tes, ut dudum a doctiſſimis viris demonſtratum eſt. Conſule Natalem Alexandrum in Epiſt. 1. ad Cor. cap. XV. 7. & Eſtium ibidem, qui hæc inter cetera ſcribit. *Auguſtinus* in enarr. Pſalmi 74. *ad illud*, Liquefacta eſt terra &c. *non dubitavit affirmare, quod in paſſione Domini omnes Apoſtoli deſperaverant. Unde & ad credendam ejus reſurrectionem ſibi nuntiatam tardi difficileſque fuere. Nam & qui primi erant inter illos*, Petrus *&* Joannes *ipſo* Joanne *teſte* cap. XX. 9. nondum ſciebant Scripturam, quia oportebat eum a mortuis reſurgere. *Atqui juramentum illud* Jacobi *certo fuiſſe perſuaſum arguit de* Chriſto *paullo poſt reſurrecturo.*

Ad hæc illum reſpondiſse: *Quid me interrogatis de Jeſu filio hominis? Ipſe ſedet in Cælo a dextris ſummæ virtutis, & venturus eſt in nubibus Cæli*. Quibus verbis cum permoti multi Dei potentiam prædicarent, Scribas & Phariſæos ira percitos Jacobum ex memorato Templi loco præcipitem dediſse. Lapſu tam gravi debilitatum, tamen ſe in genua ſubmiſiſse, & ferventiſſimas preces ad Deum pro inimicis fudiſse. Lapidibus deinde Anani Summi Sacerdotis juſsu petitum, teſte Joſepho, ac tandem, referente Hieronymo, *fullonis fuſte, quo uda veſtimenta extorqueri ſolent, in cerebro percuſſum interiiſſe*, (19) & vel prope templum eodem, quo Martyr obierat, loco, vel in monte Olivarum, fuiſse ſepultum. (20)

VII.

(19) Joſephus lib. 20. Antiquit. Judaic. cap. 9. pag. 976. S. Hieronymus de Scriptor. Eccl. cap. 2. pag. 266. tom. I.

Hieronymo conſentit Glicas Annalium part. 3. pag. 176. edit. Venetæ. *Vario crudeliter & indigniſſime affectum cruciatu, demum ſcipionibus cæſum*, fuiſſe *interemtum*, legas in Menologio Ughelliano tom. 10. Italiæ Sacræ pag. 272. edit. Venetæ. S. Cæſarius Arelatenſis hom. 7. ex iis, quas edidit Baluzius: *Intuemur etiam & B. Jacobum, qui & ipſe, cum a Judæis lapidaretur, fixis genibus pro ſuis perſecutoribus ſupplicavit*.

(20) Hieronymus adver. Jovin. lib. 1. cap. 24. pag. 342. *Tranſeamus ad Jacobum, qui frater Domini dicebatur, tantę ſanctitatis, tantæque juſtitiæ, & perpetuæ virginitatis, ut Joſephus quoque Hiſtoricus Judæorum, propter hujus necem ſubverſam Hieroſolymam referat. Hic primus Epiſcopus ex Judæis Hieroſolymæ credentis Eccleſiæ*.

Euſebius lib. 3. Hiſt. Eccl. cap. 11. *Poſt martyrium Jacobi & continuo ſubſecutam Hieroſolymorum expugnationem, fama eſt Apoſtolos ceteroſque Domini diſcipulos, qui adhuc ſuperſtites agebant, ex variis locis in unum conveniſſe, & una cum iis, qui dominum ſecundum carnem propinquitate generis contingebant (plerique enim eorum adhuc in vivis ſupererant) in commune conſuluiſſe, quis in Jacobi locum ſuccedere mereretur. Omnes itaque uno conſenſu Simeonem filium Cleopæ, illius, cujus*

VII. *Narrata de morte Jacobi hiſtoria probaturne omnibus ætatis noſtræ Criticis?*

℞. Non probatur, maxime ob petitum a Phariſæis incredulis de Chriſto teſtimonium Jacobi, quem ſcirent Chriſto deditiſſimum, & multos Judæorum per eum ad Chriſtum adductos. Verum ii, quibus ego aſſentior, recte monent, non ea ſemper eundum, qua ducit veri ſimilitudo, aut diſſimilitudo, ne cogamur rejicere hiſtorias, quibus nihil certius eſſe poteſt. Cui enim veriſimile illud videatur, caviſſe Darium, ne quis per dies triginta vel a Deo, vel ab homine, præterquam a ſe ipſo, aliquid petere auderet, ſi ab alio, quam
Cap. VI. 7. a Sacro Scriptore Daniele Propheta traderetur? Non eſt igitur negandum, id petiiſſe a Jacobo Phariſæos; niſi velis illud etiam negare, quod
Act. XXVIII. 22. D. Lucas ſcribit, S. Paulum, ubi Romam pervenit, ſtatim rogatum fuiſſe a Judæis, ut ſuam ſibi de Chriſtianorum ſecta patefaceret ſententiam. Quæ enim ad unum explodendum dicuntur, eadem cadunt contra alterum: quandoquidem Paulus æque, ac Jacobus, Chriſto, & Chriſtianæ Religioni addictiſſimus erat. Sed eſto, ſint aliqua facto Jacobi minus convenientia. nonne id permittere potuit Chriſtus, ut Judæis ipſis uteretur ad Judæos notitia veræ religionis inſtruendos; quemadmodum uſus ad id fuerat teſtimo-
Act. XVI. 16. niis Pythoniſſæ in Actis Apoſtolorum, & Dæmonum in Evangelio? Jure propterea ac merito Euſebius Hiſtoriarum apocrypharum inimicus, id tamquam a veritate minime abhorrens narrat, non modo verbis ipſius Hegeſippi loco ſuperius memo-

jus in Evangeliis fit mentio, Epiſcopali Sede dignum judicarunt. Creditur autem Simeon patruelis fuiſſe Servatoris. Nam Cleopam fratrem fuiſſe Joſephi teſtatur Hegeſippus.

morato, ſed etiam ſuis lib. 3. Demonſtrat. Evangel. cap. 7. ubi hoc Jacobi teſtimonium adverſus Ethnicos in medium profert. Eadem eſt ſententia Epiphanii Hær. 29. §. 4. & Hieronymi de Script. Eccl. in Vita Jacobi. Pag. 116. Pag. 266.

VIII. *Quo anno obiit, & quot annos Eccleſiam Hieroſolymitanam adminiſtravit?*

℟. S. Jacobum morti datum anno Neronis ſeptimo, ſcribunt Euſebius in Chronico ad an. Domini *63.* & Hieronymus de Script. Eccl. cap. 2. Annus autem Neronis ſeptimus aliis eſt annus Chriſti ſexageſimus primus, aliis ſexageſimus tertius. Qui ad annum Neronis quartum, Chriſti duodeſexageſimum mortem Jacobi referunt, ii non probantur. *Triginta vero annos Hieroſolymorum rexiſſe Eccleſiam*, teſtatur idem Hieronymus. (21)

IX. *Num quid ſcripſit, quod* Canonicum *habeatur?*

℟. *Unam tantum ſcripſit Epiſtolam, quæ de ſeptem Catholicis eſt, quæ & ipſa ab alio quodam ſub nomine ejus edita aſſeritur, licet paulatim tempore procedente obtinuerit auctoritatem*, ut ait Hieronymus loco citato ſuam, aliorumque ſententiam referens. Eſt ejus opinionis etiam Euſebius, qui lib. 2. Hiſt. Eccl. c. 23. primum dicit, eam a quibuſdam rejectam tamquam ſuppoſititiam, quod de ea pauci ex veteribus meminerint; at poſtea ſubjungit, a quamplurimis Eccleſiis receptam. Qui præterea Epiſtolam hanc in libris *Canonicis* habent, eos colligit Baronius ad an. *63.* §. 10. &

Nat.

(21) S. Epiphanius hær. 78. §. 14. *Hic*, Jacobus Domini frater, *Hieroſolymis mortuus eſt annis poſt Aſcenſionem Domini plus minus viginti quatuor exactis, cum ipſe ſextum & nonageſimum ætatis ageret.*

Nat. Alexander in Hiſtoria Eccleſiaſtica ſæc. I. cap. 12. §. 4. & Ceillierius in Hiſtoria generali Auctorum Sacrorum tom. I. lib. 2. cap. 8. art. 2. Etiam a S. Irenæo probatam confirmat adverſus Grabium Maſſuetus. (22) Scripta eſt *duodecim Tribubus, quæ erant in diſperſione*, hoc eſt, ut Baronius ad an. 45. §. 21. explicat: *Judæis omnibus, qui in diverſis Orbis regionibus habitarent*. In id præſertim incumbit, ut doceat, tentationem utilem eſſe, ac fructuoſam, oſtendatque contra
Cap. II. 24. Simonianos, Chriſti fidem ſine operibus nihil ad
Cap. V. 14. æternam beatitatem prodeſſe. (23) Promulgat etiam inſtitutionem Sacramenti Extremæ Unctionis a Chriſto Domino profectam.

(22) In annotationibus ad S. Irenæum lib. 3. cap. 21. pag. 216.

(23) S. Auguſtinus De Fide & operibus cap. 14. *Quoniam ergo hæc opinio tunc fuerat exorta: aliæ Apoſtolicæ epiſtolæ Petri, Joannis, Jacobi, Judæ contra eam maxime dirigunt intentionem, ut vehementer adſtruant, fidem ſine operibus non prodeſſe: ſicut etiam ipſe Paulus non quamlibet fidem, qua in Deum creditur, ſed eam ſalubrem, planeque Evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt*: Et fides, *inquit*, quæ per dilectionem operatur. Ad Gal. cap. V. 6.

DE

DE
S. THADDÆO,
ſeu JUDA.

I. *Quotuplex eſt ejus nomen?*

℞. *CRedendum eſt*, *eum fuiſſe trinomium*, ut ait Hieronymus in Matthæum cap. 10. Pag. 15.
Nam Thaddæus, & Judas, & Lebbæus appellatus eſt, quin *ob inſignem zeli in ſe virtutem etiam* Zelotis *nomen accepit*, ut idem Hieronymus in Epiſt. ad Gal. cap. 4. adjungit. (1) Hieronymum no- Pag. 142.
mina confundere, quod Judam dixerit *Zelotem*, quo nomine Simon in Evangelio D. Lucæ dona- Cap. VI.
tur, ſcribit Baronius ad an. 68. §. 6. ſed minus 13.
probari video.

II. *Eſtne Jacobi* Minoris *frater*, *& idem ac Judas* frater Domini*?*

℞. Utrumque certiſſimum. Nam ipſe ſe *fratrem Jacobi* appellat, initio epiſtolæ ſuæ Catholicæ. Judam vero fratrem Jacobi eſſe eumdem, ac Ju-

(1) Auguſtinus de conſenſu Evangeliſtarum lib. 2. c. 30. §. 70. *Lucas*, *qui eos* (Apoſtolos) *alio loco* (cap. VI. 14.) *nominat*, *cum prius eliguntur in monte*, *a Matthæo non diſcrepat*, *niſi in nomine* [*Judæ*] *Jacobi*, *quem Matthæus* Thaddæum *appellat: nonnulli autem codices habent* Lebbæum. *Quis autem umquam prohibuerit duobus*, *vel tribus nominibus hominem unum vocari?* Etiam Eccleſia eum duplici nomine appellat, Thaddæum quidem in Litaniis, & Canone Miſſæ; Judam vero in Miſſali, & Breviario; atque Thaddæum ſimul, & Judam in Martyrologio ad diem V. Kal. Novembris, quo die ejus, & Simonis Feſtum celebrat.

Judam Apoſtolum, & *fratrem Domini*, unanimi conſenſu docent viri Scripturæ explicandæ ſcientiſſimi cum recentes, tum veteres. In his Chryſoſtomus, & Epiphanius, quorum primus hom.
Pag. 314. 33. in Matthæum affirmat, *Judam Lebbæum, quem Thaddæum vocaverunt*; eumdem eſſe, ac Judam,
Luc. VI. 16. *quem Jacobi eſſe, Lucas dicit:* alter vero Hær. 26.
Act. I. 13. §. 11. ait: *Judas ille porrò eſt, qui Jacobi, atque etiam Domini frater appellatus eſt*. Eſt hoc etiam in Pauli epiſtola prima ad Corinthios cap. IX. 5. Namque ponit in numero Apoſtolorum *fratres Domini:* quod certe, niſi ad Jacobum *Minorem*, & Judam referri nequit. Siquidem hi duo tantum
Marc. VI. 3. ex Apoſtolis fratres Domini fuiſſe narrantur. I-
pag. 652. taque Tillemontius annot. 2. in S. Judam mira-
Tom. 1. tur Henſchenium exiſtimaſſe, Judam Jacobi diverſum eſſe a Juda fratre Jacobi: duoſque propterea ex uno feciſſe. Quod enim ipſe verbo ait, voci illi *Judas Jacobi*, & ſimilibus ſemper reſpondere vocem *filius*, id alii verbo negant; atque hi recitato Epiphanii teſtimonio nituntur.

III. *Fueruntne Judæ nepotes?*

℟. Hegeſippus apud Euſebium lib. 3. Hiſt. Eccl. cap. 20. meminit nepotum ejus, qui, ſæviente altera excitata a Domitiano perſecutione, mortem pro Chriſto occubuere. Neque nepotum nomine videtur intellexiſſe filios fratris, aut ſororis. Namque ab eo υἱωνοὶ Ἰούδα appellantur; quo vocabulo filiorum filii, ſeu nepotes ex filiis ſignificantur. Eumdem Hegeſippi locum refert Nicephorus lib. 3. cap. 10. & Joannes Langus Latinus Nicephori interpres vertit *nepotes ex filio Judæ*. (2)

IV.

(2) Judæ nepotes fuiſſe agricolas, vitamque ſuſtentaſſe labore & induſtria in colendis tricenis novenis jugeris ſuis, tra-

IV. *Quid egit in Apoſtolatu?*

℞. Ex rebus ab ipſo in Apoſtolatu geſtis hoc unum pro certo pono, quod eſt apud Joannem cap. XIV. 22. cauſſam a Chriſto rogaſſe, cur Apoſtolis tantum, non orbi univerſo ſe manifeſtaturus eſſet. Cetera diſcrepant. *Miſſum Edeſſam ad Abgarum Regem Oſroenæ, Eccleſiaſtica tradit Hiſtoria*, ut ait Hieronymus in Matthæum cap. 10. At vero Thaddæum, qui Edeſſam miſſus eſt, fuiſſe ex ſeptuaginta Diſcipulis, teſtatur Euſebius lib. 1. cap. 13. & lib. 2. cap. 1. Itaque Beda, qui prius Hieronymi auctoritatem ſecutus fuerat, *diligentius*, inquit Retract. in Act. cap. 1. *poſtmodum ipſam Hiſtoriam Eccleſiaſticam inſpiciens reperi, non ibi eſſe ſcriptum, quia Thaddæus Apoſtolus unus ex duodecim; ſed Thaddæus unus ex ſeptuaginta Diſcipulis ad ſanandum memoratum Regem fuerit deſtinatus*. Edeſſam, omnemque Meſopotamiam ab eo divinis præceptis imbutam volunt Græci juniores. Judæam, Galilæam, Samariam, Idumæam, Syriamque univerſam addit Nicephorus lib. 2. cap. 40. Libyæ populis Chriſti fidem tradidiſſe, auctor eſt Paulinus Carm. 27. alias 26. Apoſtolum Armenii eſſe dicunt ſuum, & in Armenia Majore obiiſſe credunt. Joannes Archiepiſcopus Nicænus de Nativitate Domini ad Zachariam Catholicum (3) Majoris Armeniæ ſcribens, eumdem *magni Apoſtoli Thaddæi ſucceſſorem* appellat, (4) *quaſi in ea regione Judas Epiſcopalem ſibi ſedem conſtituerit*.

Pag. 15.

Bar. ad an. 44. §. 40.

Pag. 3. tom. 6.

tradit Hegeſippus apud Euſebium lib. 3. Hiſt. Eccl. cap. 20. Unde illud credibile ſit, quod ſcribit auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 2. cap. 63. Judam quoque eorum patruum agricolam fuiſſe.

(3) Vide annotationem 12. ad Diſputationem noſtram Hiſtoricam XI.

(4) Bibl. Patr. tom. 12. pag. 817.

rit. (5) Venantius Fortunatus lib. 8. carm. 4. & Martyrologium æque, ac Breviarium Romanum, in Perſide una cum Simone morte affectum tradunt: alii aliter narrant. De tempore etiam mortis ejus adeo nihil certi affirmare licet, ut nec quid ſimillimum vero ſit, conveniat. Nempe Baronius poſt annum Chriſti *66.* alii poſt 71. ex hac vita deceſſiſſe, exiſtimant.

Ad an. 68. §. 5.

V. *Exſtatne aliqua Judæ Epiſtola?*

℟. Una exſtat, *quæ de ſeptem Catholicis eſt*, ut ait Hieronymus de Script. Eccl. cap. 4. atque poſtremum inter eas locum obtinet. (*6*) *Catholicæ* eo dicuntur, quod generatim omnibus Chriſtifidelibus, non peculiari alicui Eccleſiæ inſcriptæ ſint: etſi hæc ſcripta videatur Judæis ad Chriſti fidem converſis. Non ſententiis tantum, ſed etiam verbis ſimilis eſt epiſtolæ ſecundæ D. Petri. Nicolaitas fortaſſe, Gnoſticos, Simonianos, & alios generis ejuſdem inſectatur, *Dei noſtri gratiam transferentes in luxuriam*, ſola in Chriſtum fide operibus vacua contentos. Scriptam vero plerique volunt poſt obitum omnium Apoſtolorum, uno Joanne excepto. Verſus enim ejus decimus ſeptimus innuere videtur, pleroſque Apoſtolos e vivis jam exceſſiſſe.

Pag. 269.

Ver. 4.

VI.

(5) Florentinius in Martyrologium Hieronymianum pag. 172.

(*6*) Hieronymus epiſt. 103. pag. *675*. *Jacobus, Petrus, Joannes, & Judas Apoſtoli ſeptem epiſtolas ediderunt, tam myſticas, quam ſuccinctas, & breves pariter & longas: breves in verbis, longas in ſententiis, ut rarus ſit, qui non earum lectione cæcutiat.*

Origenes in Matthæum pag. 46*3*. tom. 3. *Judas epiſtolam ſcripſit paucorum quidem verſuum, plenam vero efficacibus verbis gratiæ cæleſtis.*

VI. *Eſtne unquam in dubium revocata?*

℟. Fuit plane. Locupletiſſimi hujus rei teſtes ſunt Euſebius lib. 3. Hiſt. Eccl. cap. 25. & Hieronymus de Scriptor. Eccl. cap. 4. Quod tamen uterque dum ſcribit, illud una ſcribit, eam in pleriſque Eccleſiis ſua ætate legi ſolitam, & auctoritatem vetuſtate jam & uſu tantam obtinuiſſe, ut inter ſanctas Scripturas referretur. Nec ſane quidquam occurrit, cur non Hieronymi, & Catholicorum omnium, qui Hieronymo conſentiunt, ſit vera ſententia. Nam quod Judas teſtimonio utitur libri Enoch, qui apocryphus eſt; & Michaelis cum Diabolo altercationem de corpore Moyſis narrat, quæ narratiuncula de apocryphis ſumpta videri poteſt, id nihil derogat epiſtolæ ejus auctoritati. Quandoquidem etiam *in apocryphis invenitur aliqua veritas*, ut ait Auguſtinus l. 15. de Civ. Dei c. 23. & Judas inſtinctu divino afflatuque illuſtratus potuit vera a falſis diſtinguere. Grotius vero, qui credit, epiſtolam hanc eſſe S. Judæ decimi quinti Hieroſolymorum Epiſcopi, *qui fuit temporibus Hadriani paullo ante Barchochebam*, id pro ingenio ſuo hæretico facit. Nullam enim hujus commenti ſui rationem affert; niſi quod temere nullius antiqui Codicis fide, nullo veterum teſtimonio fultus *putat*, verba hæc, *Frater autem Jacobi*, initio Epiſtolæ poſita, *addita eſſe a Scribis, ut Judas hic eſſe Apoſtolus crederetur*. (7)

Pag. 269.

Ver. 14.

Q VII.

(7) Tom. 8. Criticorum Sacrorum pag. 313.

VII. *Num quæ ſunt præter ea, de quibus ſupra dixiſti, Apoſtolorum ſcripta?*

℟. Nulla ſunt prorſus. *Multa* quidem *recentiora*, inquit Auguſtinus lib. 15. de Civit. Dei cap. 23. §. 4. *ſub nominibus Apoſtolorum ab Hæreticis proferuntur, quæ omnia nomine apocryphorum ab auctoritate Canonica diligenti examinatione remota ſunt*. Apocrypha autem nuncupantur ea ſcripta, quorum *occulta origo*, ut ait idem Auguſtinus, *non claruit Patribus, a quibus uſque ad nos auctoritas veracium Scripturarum certiſſima, & notiſſima ſucceſſione pervenit*. Quare Eccleſia his publice non utebatur, ſed privatim habebat, legebatque, qui vellet. Scripta hujuſmodi, quæ Apoſtolorum nomine olim circumferebantur, plurima inter apocrypha rejecit Gelaſius in Concilio Romæ anno 494. celebrato, de quibus Baronius ad an. 44. §. 42. Natalis Alexander ſæc. 1. cap. 12. art. 2. §. 6. Juſtus Fontaninus in Hiſtoria Litteraria Aquilejenſi lib. 5. cap. 11. §. 8. & Joannes Albertus Fabricius in Codice Apocrypho Novi Teſtamenti. (8)

(8) Vide annotat. 77. de Apoſtolis in univerſum & interrogationem ultimam de S. Barnaba.

DE

DE
S. SIMONE,
CANANÆO.

I. *Unde dictus eſt* Cananæus?

℟. Ambigitur. Alii a voce *cana* ſic dictum volunt, ita ut Matthæus & Marcus Hebraice *Cananæum* appellaverint; Lucas autem Græce *Zelotem*. Idem enim ſignificat vox *Chananæus* apud Hebræos, quod *Zelotes* apud Græcos. *Chana quippe*, teſte Hieronymo in Matth. cap. 10. *zelus interpretatur*. Alii ab Urbe *Cana* in Galilæa, quod inde oriundus eſſet, id ei cognomen inditum putant: atque his favet Hieronymus; a quo Simon *appellatur Cananæus de vico Cana Galilææ, ubi aquam Dominus vertit in vinum*. Pag. 15.

II. *Unde dictus eſt* Zelotes?

℟. Id quoque incertum eſt. Nicephorus lib. 2. cap. 40. *propter flagrantem in Magiſtrum ſuum ardorem, ſummamque Evangelicæ rei per omnia curam* ita cognominatum ſcribit. Alii, quos nihil attinet nominare, a ſecta Zelotarum, quam ante Apoſtolatum ſequebatur. Zelotæ autem dicti, qui Judaicis inſtitutis religioſius ſe adhærere profitebantur, ut ex Joſepho docet Baronius ad an. 69. §. 49. (1)

Q 2 III.

(1) Eidem Simoni etiam *Judæ* cognomen fuiſſe dicunt falſus Hippolytus, falſus Dorotheus, Sophronius, ſeu quicumque eſt Græcus auctor, qui catalogo Scriptorum Eccleſia-

III. *Aliuſne eſt ab Simone, qui proximus poſt S. Jacobum Hieroſolymorum Epiſcopus fuit, atque ab Simone fratre Domini?*

℞. Credo equidem diverſum ab utroque fuiſſe. Quamvis enim nihil ex ſacra Scriptura in rem hanc ſuppetat, ſatis tamen argumenti Euſebius præbet. Siquidem multa de Simone, ſeu Simeone Jacobi ſucceſſore locutus, eum nunquam Apoſtolum vocat, & quæ ad ipſum ſpectant, poſt Apoſtolorum tempora refert. Etenim cap. 31. libri 3. Hiſt. Eccl. narrat mortem Joannis, qui Apoſtolorum omnium poſtremus, Epiphanio teſte, deceſſit, & cap. 32. de Simeone Epiſcopo Hieroſolymorum narrare incipit, eumque Chriſti diſcipulum tantummodo fuiſſe, probat tum ex longinquitate ætatis ejus, tum ex eo, quod in Evangelio legitur de Maria Cleophæ, cujus erat filius. Quod ſi alius eſt a Simone Antiſtite Hieroſolymorum, neceſſe eſt, ut alius etiam ſit a Simone, qui a D. Matthæo, & Marco *Frater Domini dicitur;* cum unus & idem ſit Simon Frater Domini, ac Simon Antiſtes Hieroſolymorum. Nam Euſebius lib. 3. cap. 11. & Hegeſippus apud Euſebium lib. 4. cap. 22. teſtantur, Simonem filium Cleophæ, & conſobrinum, ac proinde Fratrem Domini Salvatoris Eccleſiæ Hieroſolymitanæ in locum Jacobi præpoſitum fuiſſe. (2) Adde his Theodoretum, qui in Pſalm. 67. docet, Fratres Domini fuiſſe ex Tribu Juda; Simonem vero

Bar. ad an. 44. §. 39. & ad an. 68. §. 6. & 7.

Hær. 66. §. 19.

Cap. XIII. 55. Cap. VI. 3.

Pag. 659.

ſiaſticorum D. Hieronymi nonnullos addidit. Quibus neſcio an quiſquam aſſentiatur, præter Florentinium Exercit. 4. in Martyrologium Hieronymianum pag. 162. Vide annotat. 16. ad S. Thomam pag. 223.

(2) Vide in vita Jacobi Minoris pag. 234.

vero Apoſtolum ex Tribu Zabulon, aut Nephthali. Adde etiam Bedam, qui Retractat. in Act. cap. 1. id revocat, quod poſuerat pro certo, eundem fuiſſe Simonem Apoſtolum, & Simonem, qui Epiſcopus in locum S. Jacobi ſuffectus eſt. Pag. 3.

IV. *Quibus prædicavit, & ubi extremum vitæ diem confecit?*

℞. Neutrum liquet. Ægyptum, Cyrenem, & Africam, deinde Mauritaniam, & Libyam omnem, inſulaſque Britannicas Chriſti præceptis a Simone imbutas, ſcribit Nicephorus lib. 2. cap. 40. Eadem ferme narrant Græci in Menæis, addentes eum in Britannia ſepultum. Verum quod ſpectat ad Africam, Græci iſti confutantur. Donatiſtis enim contendentibus, Africam poſt mortem Apoſtolorum cæleſtem veritatem cognoviſſe, quamquam ſubdubitet Auguſtinus in libro de Unitate Eccl. cap. 15. §. 37. tamen id negare non audet. Ex quo ſequitur, Afros ſæculo IV. nullam Fidei Catholicæ a Simone acceptæ habuiſſe notitiam. (3) Jam in Britannica Eccleſia, aliiſque regionibus Occidentis diu viguit contraria iis, quæ a Græcis dicuntur, tradita perſuaſio. Nam Venantius Fortunatus, qui ſub exitum ſæculi VI. Pictavienſem Eccleſiam adminiſtrabat, Simonem in Perſide tumulatum refert lib. 8. carm: 4. Quod magis crederem, niſi, ut ait Beda Retract. in Act. cap. 1. deſumtum id videretur ex hiſtoriis Apoſtolorum apocryphis, quæ narrant, ab Idolorum Bibl. Pat. tom. 10. Pag. 573. Pag. 3. tom. 5.

(3) Vide Baronium ad an. 44. §. 39. ubi ex Auguſtino, & Innocentio I. probat, Afros a Romana Eccleſia Evangelium accepiſſe.

Sacerdotibus in Perſidis Urbe *Suanir* (4) una cum S. Juda interfectum. (5)

(4) Apud Florentinium in Martyrologium Hieronymianum pag. 958. pro *Suanir* legitur *Suanis*. De Perſidis Urbe, cui nomen *Suanir*, altum eſt apud veteres ſilentium. Suanorum Colchidis meminit Plinius lib. 6. cap. 4.

(5) Tam in vetere Hieronymiano Florentinii Martyrologio, quam in Romano, Simonis, & Judæ Feſtum V. Kal. Novembris notatur. Græci in Menæis Simonis memoriam celebrant IV. Idus Junii, & eumdem faciunt ac Nathanaelem, & ſponſum, cujus nuptiis in Cana Galilææ habitis Chriſtus interfuit, nihil ſolliciti, num id congruere poſſit. Baronius quoque ſecutus Nicephorum, ſponſum illum fuiſſe Simonem conſentit, ad an. 32. §. 31. At video potius probari id, quod paullo ante §. 29. generatim ſcripſerat, *veriſimili conjectura creditum, ejuſmodi nuptias fuiſſe alicujus, qui Chriſto eſſet aliqua cognatione conjunctus*. Vide Hiſtoriam noſtram Familiæ Sacræ De Chriſto Domino cap. 10.

DE

DE
JUDA
ISCARIOTHE.

I. *Unde* Iſcariothis *cognomen habet?*

℞. JUdas Simonis filius, ut proditor magis, quam ut Apoſtolus Chriſti, notus, *Iſcariothes* dictus eſt vel ab *Iſcarioth* vico Tribus Ephraim, ubi natus creditur, vel a Tribu *Iſſachar*, voce *Iſſachariotes* in *Iſcariothes* contracta.
Ita prorſus exiſtimat D. Hieronymus in Matth. c. Pag. 15.
10. in Eſaiam cap. 28. & de Nominibus Hebrai- Pag. 102.
cis. Quam Hieronymi ſententiam cum retuliſſet Pag. 397.
Baronius ad an. 32. §. 9. ſubjungit, ſibi magis placere, Judam dictum *Iſcariothem* ab Hebraico vocabulo *Iſc*, quod *virum* ſignificat, & *Carioth*, quod eſt oppidum in Tribu Juda, de quo meminit liber Joſue, ita ut *Iſcarioth* idem ſit, ac vir Cap.
Cariothenſis. A patria enim complures reperiri deno- XV. 25.
minatos viros, qui ſacris litteris vel mediocriter imbutus eſt, non ignorat. (1) Porro autem ſive ex *Carioth* Tribus Juda, ſive ex *Iſcarioth* Tribus E-

(1) Origenes in Matthæum, alias Tract. 25. §. 78. pag. 895. tom. 3. *Audivi quemdam exponentem patriam proditoris Juda ſecundum interpretationem Hebraicam* Exſuffocatum *vocari. Quod ſi ita eſt, magna convenientia invenitur nominis ejus cum exitu mortis ipſius: quoniam & ipſe laqueo ſe ſuſpendens prophetiam nominis patriæ ſuæ ſuffocatus implevit.*
Chryſoſtomus Hom. 33. in Matth. pag. 314. Lucas cap. VI. 16. *ad proditorem ultimo venit, non ut inimicus atque hoſtis, ſed ut hiſtoriam conſcribens, ita locutus eſt: nec dixit, ſceleſtus ille Judas, ſed a patria ipſum appellavit Iſcariotem.* Vide Eſtii Annot. in Matth. cap. X. 4. pag. 427.

phraim originem traxerit, æque valet utrumque ad Ubertini, & Rubiſii errorem refellendum, qui *Carioth* Piceni oppidum commenti ſunt. Supra enim dictum eſt, Apoſtolos omnes fuiſſe Galilæos. Ex quo efficitur, Judam nec Picentinum fuiſſe, nec Gallum, aut Germanum, quod alii delirarunt.

II. *Quo tempore Apoſtolus electus eſt, eratne vir probus?*

℟. *Judas ab initio malus inter bonos undecim converſatus eſt*, ut ait S. Auguſtinus in libro De unitate Eccleſiæ cap. 14. §. 35. Idemque alio loco cur ita ſentiat, rationem affert. Ejus enim ſunt verba hæc ex commentariis in Pſalmum 55. §. 9. *Sciens ille* (Chriſtus) *elegit unum* (Judam) *unde tibi ſolatium faceret neſcituro, quos devites. Poterat enim ille non eligere Judam, quia noverat*
Joan. VI. 71. *Judam: ait quippe diſcipulis ſuis:* Nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis Diabolus eſt? *Ergo & Diabolus electus eſt. Aut ſi electus non eſt, quomodo duodecim elegit, & non potius undecim?* (2) Auguſtinum ſequitur Rupertus Abbas lib. 12. in Joannem, & Abulenſis quæſt. 43. ad cap. 10. Evangelii ſecundum Matthæum ita concludit: *Erat ergo Judas ſemper malus, & licet talem eum Chriſtus ſciret, tamen elegit cum ceteris.* Alii e contrario affirmant, Judam quo tempore in Apoſtolis a Chriſto numeratus eſt, virum probum fuiſſe. Hoc enim maxime Chriſtum decuit, ut id

(2) Idem ſerm. 10. §. 6. *Dominus ergo & in ipſo numero diſcipulorum, quamvis ex peccatoribus omnes elegerit, priores tamen elegit perſeveraturos in dilectione, quam Judam ſimulatorem. Non eſt quidem ſcriptum quo ordine electus ſit, ſed tamen notum eſt, ante illum electos bonos, & non fruſtra ultimus numeratur.*

id ipſe faceret, quod deinde ab aliis fieri volebat, ut nimirum Eccleſiaſtica officia, & honores iis conferrentur, qui eſſent probitatis, & virtutis merito digniſſimi. Quamobrem Chryſoſtomus in Matth. hom. 27. *Judas filius regni erat, audivitque una cum aliis diſcipulis illud:* Super duodecim ſedes ſedebitis: *factus eſt autem gehennæ filius*. Conſentiunt Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Joan. cap. 30. Theophylactus pariter in Joan. extremo capite ſexto, Euthymius in Marcum cap. 8. Tertullianus de anima cap. 11. qui ait, *cum electis deputatum uſque ad loculorum officium*. Ambroſius in Pſal. 47. *Juſtus erat*, inquit, *cum Apoſtolorum numero necteretur*. Et Hieronymus l. 3. adver. Pelag. c. 2. ita ſcribens: *Interroga eum, cur Judam elegerit proditorem, cur ei loculos commiſerit; quem furem eſſe non ignorabat. Vis audire rationem? Deus præſentia judicat, non futura, nec condemnat ex præſcientia, quem noverit talem fore, qui ſibi poſtea diſpliceat: ſed tantæ bonitatis eſt, & ineffabilis clementiæ, ut eligat eum, quem interim bonum cernit, & ſcit, malum futurum, dans ei poteſtatem converſionis, & pœnitentiæ*.

Pag. 268. Pag. 592. Pag. 599. Pag. 816.

III. *Scirene licet, qua ſtatura fuerit, & quo capillo?*

℟. Statura fuit, quæ juſtam non expleret. Accepit id Beata Brigitta a Deipara Virgine. *Filius meus*, inquit Chriſti Mater, *appropinquante Juda traditore ſuo inclinavit ſe ad eum, quia Judas brevis ſtaturæ erat*. Crine vero ruber fuiſſe creditur. Hinc Joannes Baptiſta Thiers in ſua comarum appoſitarum hiſtoria (quæ in Gallis primum anno 1629. inventæ traduntur) ſcribit, iis omnium primos uſos eſſe aulicos miniſtros; ne capite ſemper eſſent aperto; fœdos porrigine, ut neceſſitati con-

Revelat. lib. 4. cap. 99.

couſulerent; & qui demum rubro erant capillo, ut, colore mutato, odii cauſſam a ſe removerent, quod Judas crine ruber fuiſſe dicatur.

IV. *Eſtne cœna Euchariſtica prohibitus?*

Bar. ad an. 34. §. 45. & 62. & ad an. 57. §. 129.

Cap. XIII. 2. 4. 12.

℟. Chriſtus ad veſperam ejus diei, qui diem mortis ejus præceſſit, duplicem cœnam fecit: alteram, qua Paſchalem agnum cum diſcipulis Moſaico ritu comedit, alteram, qua ſacratiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum inſtituit: quandoquidem eo intervallo temporis, quod inter utramque interceſſit, pedes diſcipulorum abluiſſe Joannes narrat. Priori quidem cœnæ omnes accubuiſſe Diſcipulos, omnium Eccleſiæ Patrum eſt opinio conſentiens: poſteriori vero menſæ accubuiſſe omnes, & corporis, ac ſanguinis Chriſti fuiſſe participes, negant aliqui putantes, Judam proditorem cibo Euchariſtico, quo erat indigniſſimus, fuiſſe prohibitum. Vincere tamen debet ſententia plurimorum, quæ firmiſſimis ex Evangelio petitis rationibus nititur. Lucas enim cap. XXII. 21. refert, Chriſtum poſt datam ſingulis Euchariſtiam, conſecratumque Calicem e veſtigio ſubjeciſſe: *Verumtamen ecce manus tradentis me mecum eſt in menſa*. Marcus autem cap. XIV. 23. ita de Calice loquitur: *Biberunt ex eo omnes*. (3) Accepit igitur

(3) S. Hieronymus in Matth. cap. 26. pag. 58. *Inter eos diſcipulos, qui acceſſerunt ad Jeſum interrogantes*: Ubi vis paremus tibi comedere Paſcha? *& Judam æſtimo fuiſſe proditorem*.

Theophylactus in Matth. cap. 26. pag. 162. *Quare ſupra quidem non dixit*: Accipite, & comedite omnes: *hoc autem loco*, Bibite ex eo omnes? *Sunt, qui dicant propter Judam hoc dictum. Judas enim panem accepit, & non comedit, ſed occultavit, ut monſtraret Judæis, quod panem corpus ſuum vocaſſet Jeſus: poculum autem invitus bibit, cum non poſſet occultare. Propterea hoc loco dicebat*, Bibite omnes.

gitur & Judas Euchariſtiam : quod in Feſto Corporis Chriſti vulgato illo hymno confirmat, & canit Eccleſia : *Panis vivus & vitalis hodie proponitur, quem in Sacræ menſa Cœnæ turbæ fratrum duodenæ datum non ambigitur*. (4)

V. *Credidítne in accepta Euchariſtia contineri corpus Chriſti?*

℞. Non credidit. Nam fuit unus ex illis diſcipulis, qui Hæreſeos omnium primæ auctores (5) Chriſto ipſi tantum myſterium apud Joannem Cap. VI. 67.

(4) Conſule D. Thomam in 4. Sent. diſt. 11. quæſt. 3. art. 2. & in Summa 3. part. quæſt. 81. art. 2.

S. Auguſtinus in Pſal. 10. §. 6. Chriſtus *traditorem ſuum tanta patientia pertulit, ut ei primam Euchariſtiam manibus ſuis, & ore ſuo commendatam, ſicut ceteris Apoſtolis, traderet.*

S. Chryſoſtomus in Matth. hom. 82. pag. 691. *O ingentem impudentiam Judæ! aderat enim etiam ille, atque myſteriis, ac menſa communicavit, & inter comedentes arguitur, quando, etiam ſi fera eſſet immanis, ad lenitatem compelli potuiſſet*. S. Leo ſerm. 52. de paſſione Domini 3. cap. 3. Judam compellans : *Cur de ejus bonitate diffidis, qui te a Corporis & Sanguinis ſui communione non repulit?*

S. Cyprianus, ſeu quicunque eſt alius auctor ſermonis *De ablutione Pedum* negat, Judam ablutioni, & conſequenter convivio Euchariſtico interfuiſſe. At videtur id Joanni Evangeliſtæ omnino repugnare. Ait enim cap. XIII. 10. 11. dixiſſe Chriſtum Apoſtolis : *Vos mundi eſtis, ſed non omnes*, propter Judam; aderat ergo Judas. Idem ſentit D. Auguſtinus l. 2. contra litteras Petiliani cap. 22. & Cyrillus lib. 9. cap. 7. Chryſoſtomo autem in Joan. hom 69. & Origeni in Joan. pag. 382. Edit. Huetii ea de re ita perſuaſum fuit, ut affirmare non dubitaverint, Chriſtum ab Juda, non a Petro lavandi initium feciſſe.

(5) S. Auguſtinus in Pſal. 54. §. 23. *Prima hæreſis in diſcipulis Chriſti velut a duritia ſermonis ipſius facta eſt. Cum enim diceret* (apud Joannem VI. 54.) *Niſi quis manducaverit carnem meam, & biberit ſanguinem meum, non habebit vitam in ſe: illi non intelligentes dixerunt ad invicem :* Durus eſt hic ſermo, quis poteſt eum audire? *Dicentes quia durus eſt ſermo hic, ſeparaverunt ſe ab illo.*

nem explicanti non crediderunt ; ſed *abierunt retro* cum Capharnaitis. In hanc rem teſtes duos citat Chryſoſtomus, Chriſtum, & Joannem Evangeliſtam. Ubi enim ſemel atque iterum Chryſoſtomus in Joan. hom. 46. dixit, illa Petri voce: *Et nos credimus*, numero credentium diſcipulorum Judam exemtum: *Intuere*, inquit, *Chriſti ſapientiam. Neque eum* (Judam) *manifeſtavit; neque latere voluit. Illud, ne impudentius contenderet: hoc, ne latere arbitratus licentius auderet. Prius ergo aliis* (non credentibus) *annumeravit, cum diceret:* Sunt quidam ex vobis, qui non credunt: *quod his verbis confirmat Evangeliſta:* Sciebat enim ab initio Jeſus, qui eſſent non credentes, & quis traditurus eſſet eum. *Cum autem in malitia perſeveraret, vehementius eum arguit.* Unus, *inquit*, ex vobis diabolus eſt: *quem tamen ut tegeret, omnibus metum incuſſit*. Neque vero adverſatur id, quod ſub finem capitis indicat Joannes, non abiiſſe Judam cum diſcipulis non credentibus, ſed una cum ceteris Apoſtolis manſiſſe. Nam, ut ait D. Auguſtinus tract. 27. in Jo. §. 7. *ille manſit ad inſidiandum, non ad intelligendum*. (6)

Pag. 243.

Jo. VI. 65. 71.

VI. *Quanti Chriſtum vendidit?*

℟. Cave, illud putes eſſe verum, quod plebejorum animos occupavit, parvo admodum pretio ab Juda Chriſtum venditum. Hanc enim vulgi opinationem funditus ejicias, ſi animadvertas, pecuniam Judæ proditori numeratam, teſte Matthæo,

Cap. XXVII. 7.

(6) Vides hinc, quem magiſtrum, & ducem ſequantur Sacramentarii, eum nempe, *qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Jeſum*, ut eſt in Actis Apoſtolorum cap. I. 16. Adi Valentiam de rebus Fidei hoc tempore controverſis lib. 2. de reali præſentia corporis, & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia cap. 2.

thæo, ſuffeciſſe emendo agro ad ſepulturam peregrinorum. Paucis vero obolis, ſeu triginta, ut vulgo creditur, denariis agrum ad peregrinos humandos, quorum magna erat Hieroſolymis multitudo, emi potuiſſe, quis ſibi facile perſuadeat? præſertim cum ager hic (quod non videtur fuiſſe mediocre ad pretium ejus augendum) intra Urbem Hieroſolymam, ut ſcribit Hieronymus, *ad auſtralem plagam montis Sion* poſitus eſſet, (7) & in perpetuum alienaretur, non ad quoddam tempus, ut ceteræ poſſeſſiones apud Hebræos ita alienari ſolitæ, ut anno Jubilæi recurrente priori Domino cederent. Præterea Matthæus ait cap. XXVI. 15. *triginta argenteos* Judæ numeratos. Argenteus autem Judæis idem erat, ac ſiclus, ut doctiſſimis, ſapientiſſimiſque placuit. Ex quo efficitur, Chriſtum ab Juda venditum *triginta argenteis ſiclis*, *ſeu* 30. *florenis Belgicis*, *vel* 15. *unciis argenti*, juxta Tirinum: quæ nunc libellas Venetas circiter 150. pretio æquant. (8) In Matt. XXVI. 13.

VII. *Quibus gradibus ad tantum ſcelus pervenit?*

℞. *Quia omnium erat minimus Apoſtolorum*, & *inter eos minime ſpiritualis*, (9) ideo electus eſt a Chriſto ad accipiendas ſtipes, & pecunias, quę ipſi & Apoſtolis dabantur, ut iis compararet, quę ad corpus, & ad hanc vitam tuendam pertinerent; quidquid vero ſupereſſet, in pauperes erogaret. Verum Apoſtolicæ vitæ ratione non ad-

·mo-

(7) De locis Hebraicis pag. 375. tomi 8.

(8) Multo pluris, quam nos, venditum Chriſtum, cenſet Baronius ad an. 34. §. 15. Exiſtimat enim, Matthæum triginta argenteos poſuiſſe *pro triginta libris argenti*, *quarum aviditate Judas illectus proditionem ſit pollicitus*, *atque molitus*. Alii aliter interpretantur.

(9) Cornelius Janſenius Epiſcopus Gandavenſis Commentariorum in ſuam Concordiam, ac totam Hiſtoriam Evangelicam cap. 109. pag. 755.

modum contentus, Apoſtolicis inſtitutis diligentiſſime parere deſiit. Emere cœpit, quibus ipſe unus ad privata commoda victus, atque veſtitus uteretur. Appetitio opinati boni ſenſim augeri cæpta ita crevit, ut aliquid collectitiæ ſtipis, & pecuniæ pauperibus debitæ ſeponeret. Eam ob rem cum Lazari ſoror Maria pedes Chriſti ungento magni pretii unxiſſet, id non ſolum ægre tulit, ſed etiam improbavit, curam & defenſionem e-
Joan. genorum ſimulans verbis his: *Quare hoc unguen-*
XII. 5. *tum non veniit tercentis denariis, & datum eſt egenis?* A Chriſto admonitus de malitia nihil remiſit. Satanæ potius aures præbuit ſuadenti, ut, Magiſtro divendito, pecuniam ſibi pararet. Exinde ſemel atque iterum Satanas in eum intraſ-
Luc. ſe dicitur. Primum quidem, poſtquam memora-
XXII. 3. tæ Diaboli ſuaſioni conſenſit, ut, quam animo
Joan. conceperat Chriſti venditionem, pacto firmaret:
XIII. 2. deinde vero poſtquam *buccellam* ſuſcepit; ut quod
& 27. pacto firmaverat, re ipſa impleret. Atque ex his ſatis, ut arbitror, intelligitur, Judam tanta demum avaratia arſiſſe, ut a tota mente, & recta ratione deficiens, Chriſtum magiſtrum ſuum vendere, atque adeo ad mortem tradere non dubitaverit. (10)

VIII. *Quare Chriſtus ſciens Judam eſſe furem, loculos illi concredidit?*

℟. *Ob hoc*, quemadmodum ſcribit Caſſianus l. 7. de Spiritu Philargyriæ cap. 24. *loculos diſpenſa-tioni*

(10) S. Auguſtinus in Joan. tract. 50. §. 10. *Ecce audite, quia Judas iſte non tunc perverſus factus eſt, quando a Judæis corruptus Dominum tradidit. Plerique enim incurioſi Evangelii exiſtimant, tunc periiſſe Judam, quando accepit a Judæis pecuniam, ut Dominum traderet. Non tunc periit: jam fur erat, & Dominum perditus ſequebatur: quia non corde, ſed corpore ſequebatur.*

tioni pauperum deputatos ejus poteſtati Dominus credidit, ut ſaltem pecuniarum abundantia ſatiatus concupiſcentiæ ſuæ modum imponeret: ſed in tantum copia earum in abundantiorem fomitem cupiditatis exarſit, ut jam non loculos clanculo compilare, ſed ipſum Dominum venundare maluerit. Eodem modo Chryſoſtomus homil. 64. in Joann. *Quod ſi quis inquireret, quid tandem, cum fur eſſet, loculi ei pauperum committebantur? Et cur avarum feciſſet diſpenſatorem? Illud ſane dicemus, Deum arcanam intelligere rationem. Quod ſi quid & a nobis eſt conjectandum, ut omnem tolleret proditionis materiam. Neque enim poterat dicere pecuniarum id cupiditate feciſſe (ſufficientes enim loculi eſſe debebant, qui ejus ſatisfacerent cupiditati) ſed ſola malitia, quam Chriſtus cohibere volebat, multa illi permittendo. Ideo furem non arguit, quamvis non ignoraret, & malam ejus obſtruit cupiditatem, & omnem abſtulit excuſationem*. (11) Pag. 336.

IX. *Nonne quidam ſcribunt non eo conſilio vendidiſſe, ut occideretur, ſed quod ſperaret, evaſurum?*

℞. Scribunt ſane, ſed injuria. Nam quomodo Judas ſperare potuit, fore ut Chriſtus effugiens Judæos eluderet, qui duodecim Diſcipulis, atque adeo Judæ ipſi prædixerat, ut ſcriptum apud Matthæum eſt, ſe traditum iri Principibus Sacerdotum & Scribis, a quibus morte damnaretur? Eodem ac- Cap. XX. 18.

(11) Theophylactus in Joan. cap. 12. pag. 735. *Quare ſi avarus erat & fur, pecuniarum diſpenſationem ei permiſit Dominus? Propter iſtuc ipſum, quod fur erat, ut omnem ei occaſionem auferret. Non enim poterat dicere, quod propter pecuniarum amorem eum prodiderit. Nam ſatis conſolationis ex marſupio habebat, & neque marſupium gerens fidelis erat. Portabat enim, hoc eſt furabatur quæ mittebantur: ſacrilegus erat in ſuum uſum rapiens ea, quæ in divinum dabantur.*

Matth. XXVI. 2. accedit, quod una cum aliis Diſcipulis veriſſimam illam Chriſti vocem audierat: *Scitis, quia poſt biduum Paſcha fiet, & Filius hominis tradetur, ut crucifigatur*. Quibus verbis non modo ſe ultimo afficiendum ſupplicio prædixerat; ſed etiam ſupplicii genus demonſtraverat. Nego præterea, Judam jam obſeſſum a Satana credidiſſe, Chriſtum quidquam amplius eſſe, quam hominem. Quod
Cap. cit. ver. 15. ni ita eſt: cur auſus eſt profiteri: *Ego vobis eum tradam?* cur veritus non eſt, ne manus quoque ſuas evaderet? Non potuit igitur Chriſtum vendere eo animo, quod haberet pro certo, illum divina ſua virtute Judæorum inſidias evaſurum.

X. *Quænam eſt ratio, quamobrem aliter illi ſenſerint, & quomodo rejcitur?*

℟. Hæc una; quia Judas ſtatim ac JESUM damnatum vidit, pœnitentia ductus confeſſus eſt apud emtores, ſe prodidiſſe *ſanguinem juſtum*, projecit denarios, abiit, ac ſuſpendit ſe. At non dicit Matthæus, hanc fuiſſe cauſſam, cur illum ad-
Matth. Cap. XXVII. 3. miſſi ſceleris pœniteret, quod ſcilicet vidiſſet, Chriſtum hominem innocentiſſimum capitis condemnatum: nec dicit, ſi non morte, ſed levioribus pœnis aliis afficiendum cognoviſſet, tunc futurum non fuiſſe, ut pœniteret, quod tamen inde ſequeretur. Nimirum non inopinata Chriſti damnatio, ſed conſcientia patrati maleficii,
Matth. XXVI. 24. & comminatio illa: *Væ homini illi, per quem Filius hominis tradetur*, recurrens animo, nefarium & impium hominem ad vanam pœnitentiam adegit.

XI. *Narra mihi de ejus pœnitentia.*

℟. Ubi Chriſtum, ſe prodente, morte damnatum

tum vidit, tum conſcientia ictus crimen horruit. Triginta argenteos *Principibus Sacerdotum, & ſe-* Matth. *nioribus* reſtituit, faſſus, ſe ad ſupplicium inſon- XXVII. tem tradidiſſe. Sed *Dei miſericordiam deſperando,* 3. 4. 5. *exitialiter pœnitens, ſceleratæ illius traditionis auxit potius, quam expiavit commiſſum,* ut ait Auguſtinus lib. 1. de Civit. Dei cap. 17. Gravius enim in eo peccavit, quod veniam a Chriſto ſe impetraturum diffidit, quam in eo, quod Chriſtum Judæis prodidit; ſiquidem proditione in Chriſtum hominem, deſperatione in Chriſtum Deum injurioſus & contumelioſus fuit. Cur autem veniam turpiter, & nequiter deſperaverit, hanc reddit cauſſam S. Leo, *quia Jeſum non Deum Dei Filium, ſed noſtræ tantummodo conditionis hominem, etiam inter extremum mortis ſuæ periculum, credidit, cujus flexiſſet miſericordiam, ſi ejus non negaſſet omnipotentiam.* (12) *Unde*, ut ait idem Sanctiſſimus Pontifex alio loco, *ſceleſtior omnibus Judas, & infelicior exſtitit, quem non pœnitentia revocavit ad Dominum, ſed deſperatio traxit ad laqueum, ut qui vitæ auctorem interfectoribus vendidiſſet, in augmentum damnationis ſuæ etiam moriendo peccaret.* (13)

(12) Auguſtinus in Joan. Tract. 55. §. 4. *Factum ergo jam fuerat in corde Judæ per immiſſionem Diabolicam, ut traderet diſcipulus magiſtrum, ſed quem non didicerat Deum.* Quare, ut ait Hieronymus in Matth. cap. 26. pag. 60. *putabat ſigna, quæ Salvatorem viderat facientem, non majeſtate divina, ſed magicis artibus facta.*

(13) S. Leo Serm. 50. cap. 5. ſerm. 52. cap. 3. & Serm. 60. extremo cap. 4.

Auguſtinus ſerm. 352. cap. 3. §. 8. *Judam traditorem non tam ſcelus, quod commiſit, quam indulgentiæ deſperatio fecit penitus interire.*

Digitized by Google

XII. *Laqueone vitam finivit?*

℟. Nihil eſt, de quo minus dubitari poſſit.
Cap. XXVII. 5. Matthæus enim, illum laqueo ſuſpendiſſe ſe tradit his verbis: *Et abiens laqueo ſe ſuſpendit.* Pe-
Act. I. 18. trus vero apud S. Lucam dicit, eum dediſſe ſe
Bar. ad an. 34. §. 74. præcipitem, mediumque diſruptum effudiſſe viſcera: ϗ πρηνὴς γενόμενος, ait, ἐλάκητε μέσος, ϗ ἐξεχύθη πάντα τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ: *Et dejectus in faciem, diſruptus eſt medius, & effuſa ſunt omnia viſcera ejus*, quemadmodum vertit Sanctus Auguſtinus lib. 1. De Actis cum Felice Manichæo cap. 4. Syrus quoque interpres illud: ϗ πρηνὴς γενόμενος, quod verbum e verbo eſt *præceps*, ſeu *pronus factus*, ita vertit: *& cecidit in faciem ſuam humi.* Habet, fateor, locutio Matthæi diſſimilitudinem ab altera Petri; at utraque conſentit in idem. Nam ille facti initium, hic finem exprimit, explanans clarius narrationem Matthæi. Nimirum ſignificare voluit, Judam poſt aptatum jugulo laqueum tanto impetu dediſſe ſe præcipitem, ut, laqueo fracto, in faciem caderet, venterque ejus ſaxo, ſeu ligno, ſeu impedimento alio ſciſſus effunderet inteſtina. Suſpendio igitur vitam Judas finivit, eo nempe mortis genere, quo ſolent homines deſperationi remedium quærere. Sic, ut
Pag. 721. ait Chryſoſtomus in Matth. hom. 86. *& pecuniam amiſit, & ſcelus admiſit, & animam perdidit. Hæc atrox avaritiæ tyrannis facere ſolet.* (14)

Quo

(14) Oecumenius in Act. cap. 2. pag. 11. *Judas ſuſpendio e vita non diſceſſit, ſed ſupervixit: dejectus eſt enim priuſquam præfocaretur. Hoc autem planius ſcripſit Papias Joannis Apoſtoli diſcipulus dicens: Ad magnum impietatis exemplum in hoc mundo permanſit Judas. In tantum enim corpore inflatus, ut progredi non poſſet, cum currus levi curſu pertranſiret, curru compreſſus eſt, ita ut effunderentur ejus inteſtina.*

Theo-

XIII. *Quo in loco, & quo die ſe ſuſpendit?*

℞. Ad primum quod attinet; Scriptura nihil dicit, nec utrum in Urbe, an extra Urbem, domi ex lacunari, aut paxillo, an in horto ex arbore ſe ſuſpenderit; ullo modo innuit. Fuerunt nihilominus, qui & locum, & arborem invenirent. Nam alii ficum, alii ſambucum fuiſſe volunt; unde intelligi debet, illos hortum, hos agrum mortis locum poſuiſſe. Sed iſta noviſſe, aut nihil, aut certe parum refert. Quare ad alterum quod ſpectat, D. Matthæus videtur ſigni- Bar. ad an. 34. §. 75.

R 2 fica-

Theophylactus in Matth. cap. 27. pag. 170. *Scias quod poſuit quidem collum ſuum in laqueum, ſe arbore ſuſpendens; arbore autem inclinata ſupervixit, Deo volente ipſum vel in pœnitentiam conſervare, vel in traductionem & confeſſionem. Dicunt enim, quod morbo hydropico laboravit; ità ut tranſire non potuerit qua facile plauſtrum tranſibat, & deinde cecidiſſe pronum, & crepuiſſe medium, hoc eſt diſruptum eſſe, ut dicit Lucas in Actis.*

Euthymius in Matth. cap. 67. tom. 19. Bibl. Patr. pag. 585. *Cum ad hunc clementiſſimum confugere oporteret, ille ad mortem potius confugit, ut a deſperata triſtique vita citius liberaretur. Et neque id continuo aſſecutus eſt, prout cupiebat: agnitus enim a quibuſdam depoſitus eſt, ne præfocaretur: deinde poſtquam in ſecreto quodam loco modico vixit tempore, præceps factus ſive præcipitatus, inflatus; diſruptus ac diffuſus eſt medius: & effuſa ſunt omnia viſcera ejus; ſicut ait liber Actorum.*

Alii putant, Judam ſublimem raptum a Diabolo, qui in ipſo habitabat, ſtrangulatum, ac præcipitem dejectum, ita ut ad terram alliſus rumperetur medius, & effunderentur viſcera. Alii tanto dolore, & triſtitia oppreſſum volunt, ut, mœrore ſpiritum conſtringente, animam reſpirare, & reddere vix poſſet, ob eamque cauſſam vitæ pertæſum dediſſe ſe præcipitem, caſus vi medium diſruptum, & viſcera ejus effuſa.

Oecumenii opinio refellitur a Caſaubono exercitat. 16. ad Annales Baronii §. 69. Commenta alia ex eo labefactantur, quod nullum de iis ſit in ſacra Scriptura veſtigium.

Digitized by Google

ficare, Judam die Veneris Majoris Hebdomadæ ſe ſuſpendiſſe, & quidem antequam Chriſtus mo-
Pag. 721. reretur, ut S. Chryſoſtomus in Matth. hom. 86.
Pag. 121. & S. Leo ſerm. 52. cap. 3. narrant. Quæ autem affert antiquus auctor *Quæſtionum Veteris, & Novi Teſtamenti* quæſt. 94. (15) ut probet, Judam nec die, quo mortuus eſt Chriſtus, ſuſpendere ſe potuiſſe, quod eo die omnibus Sacerdotibus *a mane uſque ad horam nonam* neci Chriſto inferendæ, *& poſt horam nonam* Paſchæ parando occupatis, non potuerit Judas argenteos reſtituere; nec poſtridie, quod *Sabbato nummos portare non liceret ſecundum Legem*; ea nullius fere momenti ſunt. Nam Sacerdotes aliqui Templi curam gerere facile potuerunt, quo tempore alii Chriſtum morti dandum curabant, & potuit Judas ſui ipſius Magiſtri proditor a Diabolo actus, etiam contra Legem nummos portare, ac in Templum projicere, quos projectos Sacerdotes accipere deberent. (16)

(15) Apud S. Auguſtinum editionis Monachorum in Appendice tomi 3. pag. 84.

(16) S. Auguſtinus Enarrat. in Pſal. 108. §. 10. verba illa: *Fiant dies ejus pauci*, ita interpretatur: *Dies ejus, dies dixit Apoſtolatus, qui pauci fuerunt, quoniam ante paſſionem Domini ſcelere ipſius, & morte conſumti ſunt*, & §. 17. *Etiamne hoc ad pœnam Judæ pertinere credendum eſt, quod poſt ejus mortem ad mendicitatem uxor ejus, & filii pervenerunt, & tranſlati ſunt, ejecti de habitationibus ſuis, ſcrutante fœneratore omnem ſubſtantiam ejus, & diripientibus alienis omnes labores ejus, nemine adjuvante, nec miſerante pupillos ejus, & quod cito ſunt ſine poſteris mortui?* Et paullo poſt: *Juda tam infeliciter mortuo, ita uxor vidua, & filii ejus orphani remanſerunt, ut fœneratore ſcrutante omnem ſubſtantiam ejus, de ſuis habitationibus ejicerentur. Si autem movet, quomodo potuerit habere ſubſtantiam, quam fœnerator ſcrutaretur, alienique diriperent, quando jam cum aliis undecim Dominum ſequebatur; credat, eum omnia, quæ habebat, ita dimiſiſſe filiis, & uxori, ut non inde ſincere vel perſeveranter vinculum cupiditatis abruperit: qui etiamſi ea velut vendere videretur diſtribuenda pauperibus,*

ribus, profecto faceret, quod Ananias poſt Domini Aſcenſionem. Neque enim metueret, ne hoc Dominus divinitate cognoſceret, quem falli putabat, quando ea, quæ mittebantur, de loculis auferebat. Eadem in eumdem locum habent Theodoretus & Haymo.

Contraria S. Hieronymus tom. 7. pag. 141. *Non poſſum in Scriptura invenire, quod Judas habuerit aut uxorem, aut filios.*

Euthymius tom. 19. Bibl. Patr. pag. 416. *Hæc & quæ ſequuntur, ad Judam pertinere non videntur, cum de uxore aut filiis ejus ſacra Hiſtoria nobis nihil tradiderit. Atque ideo Chryſoſtomus dicit, hæc prædicta eſſe de alio quodam, qui poſt reditum populi e Babylone, ſacerdotium invadere conatus eſt, in quo manifeſte hæc omnia adimpleta eſſe traduntur.*

Franciſcus Suarez Diſputat. 10. de ſummo Pontifice Sect. I. tom. 12. Bibliothecæ Pontificiæ Rocaberti pag. 577. Judas, *licet fuerit ad Apoſtolatum vocatus, electus, & Apoſtolus nominatus, ut patet Luc. 6. numquam tamen veram Epiſcopi conſecrationem, aut Apoſtoli juriſdictionem obtinuit, cum jam laqueo vitam finierit, quo tempore ceteri juriſdictionem acceperunt.* Vide Baronium ad an. 34. §. 74.

DE
S. MATTHIA.

I. *Quomodo Apoſtolus factus eſt?*

℟. MATTHIAS, quem Euſebius, Epiphanius, (1) & alii duobus & ſeptuaginta Chriſti Diſcipulis accenſent, poſt ejuſdem Chriſti in Cælum Aſcenſionem, *in locum Judæ ordinatus, numero Apoſtolorum duodecimus adjunctus eſt* tali modo. (2) Cum Apoſtoli una cum *Maria Matre Jeſu, & fratribus ejus*, hoc eſt, cognatis tam Mariæ, quam Jeſu, & cum mulieribus, quæ Apoſtolos ſequi conſueverant, aliiſque numero fere 120. (quibus annumerandi videntur etiam duo & ſeptuaginta Diſcipuli) in Cœnaculum conveniſſent, & precibus ad Deum fundendis unanimiter intenti, promiſſum Spiritum Sanctum præſtolarentur, Petrus Apoſtolorum Princeps, ut Eccleſiæ Judæ ſcelere afflictæ conſuleret, de alio in locum ejus ſubrogando ſermonem habuit, (3) Subrogandum univerſi cenſuerunt, & omnibus prius in Deum functi officiis, duos eſſe di-

Act. I. 14. 15.

(1) Euſebius lib. 1. Hiſt. Eccl. cap. 12. pag. 23. Epiphanius Hær. 20. §. 4. pag. 50.

(2) S. Auguſtinus in Pſal. 108. §. 1.

(3) Petavius lib. 3. de Eccleſiaſtica Hierarchia cap. 7. §. 10. Theologicorum Dogmatum tom. 3. pag. 838. Chryſoſtomus *Hom. 3. in Act. Apoſt. cum de Matthiæ ſortitione agit, quærit in primis, cur præ ceteris Petrus ſatagit, & de ſubrogando aliquo in Judæ locum ſolicitus eſt, ac ſibi ita reſpondet:* Quod fervido eſſet ingenio: & quod gregis ei commiſſa cura fuerat: tum quod primus erat e collegio, ſemper ante alios loqui incipit. *Et paullo poſt:* Quid igitur? Nonne Petrus ipſemet eligere poterat? Poterat quidem. Sed hoc non fecit, ne gratiæ deferre aliquid videretur.

dignos exiſtimarunt, qui locum proditoris tenerent, Joſeph Barſabam, cui *Juſto* cognomen, & Matthiam. Cum autem non appareret, uter ad id muneris magis idoneus eſſet, ſortiri placuit, & ſors Matthiæ Apoſtolatum dedit.

II. *Verane ſorte ductus Judæ ſucceſſor Matthias?*

℟. Sic prorſus intelligit Actorum locum Chry-
ſoſtomus Hom. 3. in Acta, & quidem eam ob Pag. 470.
cauſſam, quia Apoſtoli Spiritum Sanctum adhuc & 462.
non acceperant. *Quoniam*, inquit, *non erat Spiri-* Bar. ad
tus, *ſortibus rem peragunt*; & paullo infra: *Non-* an. 34. §.
dum judicarunt, *ſeſe eſſe idoneos*, *ut ipſi ex ſeſe fa-* 238.
cerent electionem, *eoque cupiunt aliquo ſigno edoceri*.
Facit cum Chryſoſtomo Hieronymus in cap. I.
Jonæ, & Beda in cap. I. Act. & Auguſtinus in Pag. 135.
Pſalm. 30. ſerm. 2. §. 13. ubi ait: *Audito nomine ſortium*, *non debemus ſortilegos quærere*. *Sors enim non aliquid mali eſt*, *ſed res eſt in dubitatione humana divinam indicans voluntatem*. *Nam & ſortes miſerunt Apoſtoli*, *quando Judas tradito Domino periit*, *& ſicut de illo ſcriptum eſt*, *abiit in locum ſuum*: *cœpit quæri*, *quis in locum ejus ordinaretur*. *Electi ſunt duo judicio humano*, *& electus eſt unus judicio divino*. (4) S. Antoninus in Chro-

(4) Idem in Pſal. 67. §. 19. Κλῆρος *autem ſors Græce dicitur*, *& ſortes ex promiſſione Dei*, *partes hereditatis vocantur*, *quæ populo ſunt diſtributæ*. *Unde tribus Levi præcepta eſt non habere ſortem inter fratres ſuos*, *quod ex eorum decimis ſuſtentaretur*. *Nam & Cleros & Clericos hinc appellatos puto*, *qui ſunt in Eccleſiaſtici miniſterii gradibus ordinati*, *quia Matthias ſorte electus eſt*, *quem primum per Apoſtolos legimus ordinatum*. Idemque repetit epiſt. 128. §. 12.

Thomaſſinus De vet. & nova Eccleſiæ diſciplina tom. 2. lib. 2. cap. 1. §. 1. *Si veræ fuere eæ ſortes*, *cujuſmodi exempla in veteri Teſtamento*, *Synagogæ potius illa fuit reſidua fugientis conſuetudo*, *quam Eccleſiaſticæ diſciplinæ auſpicium*. *Cum ſuo*

ipſe

nico part. 1. tit. 6. cap. 2. citans Dionyſium dicit, *hanc ſortem fuiſſe quemdam radium ſplendoris; qui apparuit ſuper Matthiam*. (5) At Dionyſius, ſeu alius auctor libri *de Eccl. Hierarch.* cap. 3. pag. 315. nullo modo ſignificat, cujuſmodi ſors iſta fuerit. *Mihi enim*, inquit, *videtur Scriptura ſortem appellare* θεαρχικόν τι δῶρον, divinum quoddam donum, *quo declarabatur choro Hierarchico, quiſnam divino ſuffragio electus erat*.. Ego itaque Chryſoſtomum, Hieronymum, & Auguſtinum libentius ſequor. Siquidem novi, ſortium uſum apud Judæos frequentiſſimum fuiſſe. Sorte reus deprehenſus Achan, ſorte electus Saul in Regem, ſorte diviſa Tribubus terra Chanaan, ſorte munera Sacerdotibus ſingulis aſſignata. Nec propterea in ſacris electionibus ſorte uti licere exiſtimo, *cum privilegia ſingulorum legem non poſſint facere communem*, ut ait Hieronymus loco ſupra memorato; idque vetitum ſciam ab Honorio IV. cap. *Eccleſia*. 3. de ſortilegiis. (6)

Joſue VII. 15. 1.Reg. X. 20. Joſue XIV. 2. 1. Paralip. XXV. 8. & Luc. I. 9.

III. *Quonam ſortis genere electus eſt?*

℞. Id vero difficillimum dictu. Nam ſortiendi ratio neque in ſacris litteris aperte traditur, neque

ipſe nutu Chriſtus Apoſtolos ceteros elegiſſet, viſum ipſis forſan eſt, vacuam tunc Apoſtolatus ſedem qui impleret, a Deo ſolo deſignari debere.

(5) Conſentit Natalis Alexander in Hiſt. Eccl. ſæc. I. cap. 2. Alii opinantur fuiſſe ſubitum fulgorem ejus nomen exhibentem: alii columbam inſidentem capiti ejus: alii virgam ejus, ut illam Aaronis, germinantem: alii ſpiritum propheticum ei repente a Deo inditum: alii denique conſenſum ſuffragiorum, ut eſt apud Calmetum in diſſertat. de electionibus per ſortes præpoſita Commentario ejus in Acta Apoſt. pag. 812.

(6) Vide D. Thomam 2. 2. quæſt. 95. art. 8. Petrum Bleſenſem epiſt. 30. cum notis tum antiquorum, tum recentium, & citatum Calmetum.

que uno modo ab interpretibus explicatur. In urnam conjici nomina potuerunt more Ethnicorum, a quo Judæos non fuiſſe alienos, documento ſunt verba Salomonis: *ſortes mittuntur in ſinum, ſed a Domino temperantur*. Potuit & alio modo Matthias ſorte eligi. Hebræi enim narrant, Sacerdotes ſuum quemque in Templo munus ita ſortiri ſolitos. *Qui præfectus erat ſortibus, Sacerdotum cinctus corona dicebat, digitos attollite, & alteri eorum tiaram detraxit, tum dato numero, qui ſemper numerum Sacerdotum multum ſuperarit, incepit ab eo numerare, cujus tiaram detraxiſſet. Poſtquam ſingulorum digitos ordine numeraſſet, a primo iterum exorſus numerabat uſque dum ad finem numeri perveniſſet, & in quem ultima unitas incidiſſet, is Altare detergebat*. (7) Quidni hoc modo, utpote a Sacerdotibus in templo adhiberi ſolito, Matthias in numerum Apoſtolorum relatus ſit? Hoc idem certe ſignificare videtur S. Ambroſius in Lucam cap. I. *Denique & ſuper Apoſtolum Matthiam ſors cecidit, ne Apoſtoli electio a mandato diſcrepare Legis videretur*. (8)

Proverb. XVI. 33.

Pag. 1214

IV. *De rebus ab eo geſtis quid ſcriptis traditum?*

℟. Eum a ſuſcepto Joannis Baptiſmate ſemper cum Jeſu, & Apoſtolis uſque ad Aſcenſionem ejuſdem

(7) Le Moine Obſerv. 587. apud Baſnagium ad an. Dom. 33. §. 168. pag. 422. tom. I.

(8) Simul atque hunc ipſum locum recitavit Beda in Act. Apoſt. cap. 1. pag. 630. tom. 5. ſtatim ſubiicit. *Ubi ſummus Sacerdos ſorte quæri jubebatur, ſicut de Zacharia dicitur:* ſecundum conſuetudinem Sacerdotii ſorte exiit, ut incenſum poneret... *Inde eſt, quod Matthias, qui ante Pentecoſten ordinatur, ſorte quæritur: ſeptem vero Diaconi poſtea, nequaquam ſortis agnitione, ſed diſcipulorum tantum electione, Apoſtolorum vero oratione & manus impoſitione ſunt ordinati*.

Neque in Novo Teſtamento ſortium uſus plane repudiatur ab Auguſtino epiſt. 228. al. 180. §. 12.

Digitized by Google

Act. I. 21. 22. juſdem in cælum fuiſſe, tradit S. Lucas, cui aſſentiri neceſſe eſt. (9) Apud Clementem Alexandrinum lib. 2. Stromatum profertur dictum
Pag. 408. ejus; *Admirare præſentia: hunc enim primum eſſe gradum ulterioris cognitionis*. Et l. 3. hoc alterum:
Pag. 456. *Cum carne quidem pugnare, & ea uti, nihil ei impudicum largiendo ad voluptatem, augere autem animam per fidem, & cognitionem:* (10) Item hæc
pag. 735. lib. 7. *Si electi vicinus peccaverit, peccavit electus. Nam ſi ſe ita geſſiſſet, ut jubet Verbum, ſeu ratio, ejus vitam ita eſſet reveritus vicinus, ut non peccaſſet*. (11) Multa de hoc Apoſtolo Bollandus ad diem VI. Kal. Martias colligit, quæ tamen cum a poſterioris ætatis Scriptoribus ſint deprompta, parvi admodum momenti ſunt. Ex omnibus minime contemnenda S. Matthiæ vita, quam exhibet ex Hebraico *Damnatorum libro*, ſæculo duodecimo labente collectam, & Latine redditam a quodam Monacho S. Matthiæ Treviris. In qua ſcriptum eſt, eum ex Tribu Juda nobili genere natum; ſanctiſſimis inſtitutis præceptiſque imbutum cum a pa-

(9) Hinc habes, S. Matthiam adſcribendum ad numerum priorum Diſcipulorum Chriſti, ac proinde falſum id eſſe, quod, teſte S. Clemente Alexandrino l. 4. Strom. pag. 499. aliqui exiſtimarunt, eumdem eſſe ac Zachæum, qui Chriſto paucis ante ejus mortem diebus nomen dedit.

(10) Eadem ex Clemente Alexandrino refert Euſebius lib. 3. Hiſt. Eccl. extremo cap. 29. pag. 81.

(11) Hæc depromſiſſe videtur Clemens ex libro Traditionum S. Matthiæ, quem Baronius ad an. 44. §. 48. rejicit inter apocrypha, & ad an. 53. §. 14. S. Matthiæ non audet adjudicare. Atque huc crediderim reſpexiſſe Clementem ipſum lib. 7. Strom. pag. 749. ubi animadvertit, Valentinum, Marcionem, & Baſilidem, qui ſe Matthiæ auctoritatem ſequi dicebant, id ſine ratione feciſſe. *Fuit enim una omnium Apoſtolorum ſicut doctrina, ita & traditio*. Quare Innocentius I. in epiſtola ad Exuperium Epiſcopum Toletanum apud Labbeum tom. 2. Conc. pag. 1256. generatim damnat ſcripta omnia, quæ S. Matthiæ nomine circumferuntur.

Digitized by Google

a parentibus, tum a ſummo viro Simeone : poſt Pentecoſten, cum provincia illi eveniſſet Palæſtina, multa patraſſe miracula, & quamplurimos ad Chriſtianam veritatem traduxiſſe : tribus circiter & triginta poſt Chriſti mortem annis juſſu Anani junioris, qui S. Jacobum Hieroſolymis morti dederat, lapidibus percuſſum, deinde obtruncatum. Hujus tamen Hiſtoriæ fides Florentinio, & Bollando ipſi ſubleſta eſt. (12) In Judæa prædicaſſe ſcribitur etiam in Martyrologiis Bedæ, Uſuardi, Rabani, Notkeri. In Æthiophiam exteriorem veniſſe, prodit Sophronius apud S. Hieronymum de Scriptoribus Eccl. pag. 268. & Nicephorus lib. 11. cap. 40. Græci in Colchide, quam Æthiophiæ nomine appellant, Apoſtolico munere functum dicunt, ibique largitum Chriſto ſuum ſanguinem. Sed præclare Combefiſius tom. 3. Auctarii ad Bibliothecam Patrum, ſatius eſſe arbitratur de S. Matthia nihil dicere, quam ea dicere, quæ in Actis Apoſtolorum non habeantur. (13)

V. *Viditne umquam, ut alii Apoſtoli, Chriſtum?*

℟. Affirmat S. Chryſoſtomus hom. 38. in Epiſt. ad Corinthios primam, exponens illud, quod de Chriſto Græce ſcribit Paulus cap. XV. 5. ϰ὎ ὅτι ὤφθη Κηφᾷ, ἔπειτα τοῖς δώδεκα : *Et quia viſus eſt Cephæ, deinde duodecim*. (14) Verba Sanctiſſimi

(12) Florentinio in Martyrologium Hieronymianum pag. 176. & 177. & Bollando die 24. Februarii pag. 442. tom. 3.

(13) Apud Tillemontium in S. Matthia pag. 408. tom. I.

(14) *Conſentit in numero Syra Verſio*, ut ait Eſtius in hunc locum; item S. Auguſtinus in Heptateuchum lib. 1. quæſt. 117. in Geneſim §. 71.

Idem tamen Auguſtinus lib. 3. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 25. §. 71. hac de re dubitare videtur. Quem locum

mi & diſertiſſimi Scriptoris hæc ſunt : *Quoſnam autem hic dicit* duodecim *Apoſtolos? Nam poſt Aſſumtionem in eorum numerum relatus fuit Matthias, non ſtatim poſt Reſurrectionem. Sed eſt veriſimile, eum fuiſſe viſum etiam poſt Aſſumtionem*. Eadem
Pag. 294. repetit Theophylactus in eumdem memoratæ epiſtolæ locum : *Dicimus veriſimile, quod Matthiæ quoque poſt Aſſumtionem viſus fuerit, quandoquidem & Paulo poſt Aſſumtionem vocato viſus eſt*. (15)

cum adeat, ſi cui libet. Præcipue vero conſulendus Eſtius loco citato.

(15) Oecumenius in eamdem Epiſtolam I. ad Corinthios cap. 9. pag. 558. *Matthias poſt Aſſumtionem Domini pro Juda introductus eſt: quomodo ergo dicit*, Deinde illis duodecim? *Dicimus, vel ſcriptoris fuiſſe lapſum, vel quod præſcientiæ oculo ſciens Dominus, quod Matthias connumerandus eſſet cum undecim, apparuit & ipſi, ut neque in hoc ceteris Apoſtolis eſſet inferior. Tale quidpiam ſubindicat & Joannes, nuſquam dicens, quod apparuit undecim, ſed & de Thoma loquens* (cap. XX. 24.) *ait*, Thomas autem unus ex duodecim *: Magis enim dicere poſſumus, quod gratia Matthiam ceteris connumeraverit ſecundum præſcientiam*. Subdit tamen : *Aut Judam adhuc poſt proditionem ac ſuſpendium connumeravit*. Vide annotationem 9. ad S. Paulum.

DE

DE S. BARNABA.

I. *A quibus dictus eſt* Barnabas, *& quid ejus nomen ſignificat?*

℞. AB Apoſtolis. Ab his enim, cum antea Joſes, ſeu Joſeph diceretur, *Barnabas*, hoc eſt *filius conſolationis* appellatus eſt. Aliis Barnabas eſt *filius exhortationis*. Nam Græca vox παράκλησις, quæ habetur in Autographo Græco, ambigua eſt, & *conſolationem* perinde, atque *exhortationem* apud ſacros Scriptores ſignificat. Etenim Paulus ſcribens ad Romanos: *Qui exhortatur* ἐν παρακλήσει, *in exhortatione*, ſeu, ut habet vulgatus interpres, *in exhortando*. Utraque ſane interpretatio Apoſtolo convenientiſſima, cum munus Apoſtolicum in exhortationibus maxime conſiſtat, nec minima Evangelici miniſterii pars ſit conſolatio. (1)

Act. IV. 36.

Cap. XII. 8.

Fuitne Levita, & ex ſeptuaginta Diſcipulis?

℞. Alterum omnes habet in ſe numeros veritatis; traditur enim a D. Luca: alterum quoque, quod conſentiunt antiqui auctores Clemens Alexandr. lib. 2. Strom. pag. 433. Euſebius lib. 1. Hiſt. Eccl. cap. 12. Epiphanius hær. 20. §. 4. mihi qui-

Act. IV. 36.

Bar. ad an. 33. §. 41.

(1) Chryſoſtomus in Act. hom. XI. pag. 529. *Joſes autem, qui agnominatus eſt Barnabas ab Apoſtolis (quod ſi interpreteris, eſt filius conſolationis) non mihi videtur ille eſſe, qui cum Matthia. Ille enim & Joſes dicebatur, & Barſabas; poſtea autem agnominatus eſt & Juſtus. Hic autem Barnabas eſt, filius conſolationis ab Apoſtolis dictus. Et mihi videtur aſſumtum nomen, quaſi* ad hoc ſufficiat, & ſtudioſus ſit.

Digitized by Google

quidem non videtur poſſe convelli. Nam Bedæ, qui Retractat. in Acta Apoſtolorum extremo cap. 4. id ſibi non perſuadet, tum quod *ſcribat Beatus Lucas, eum poſt Aſcenſionem Domini ad diſcipulatum Apoſtolorum veniſſe*, tum quod *necdum renunciaſſet omnibus, quæ poſſidebat*, quod erat Evangelicæ doctrinæ contrarium, ita ſatisfieri poteſt: S. Lucam quidem locum relinquere credendi, Barnabam fuiſſe ex iis, qui poſt Pentecoſten Chriſto nomen dederunt, at numquam id affirmare. Quod vero ſpectat ad ſecundum, nuſpiam legi, ſeptuaginta Diſcipulos, juxta ac Apoſtolos, omnia bona ſua reliquiſſe: præterea potuiſſe fieri, ut Barnabas fructus ex agro ſuo ipſe non perceperit, vel non potuerit eum ab ſe alienare, niſi poſt Chriſti aſcenſum in Cælum. (2)

Pag. 12. tom. 6.

II. *A quibus, & quando Apoſtolus, & Epiſcopus factus eſt?*

℟. Ab iiſdem, qui divino inſtincti ſpiritu Paulum Apoſtolatu, & Epiſcopali dignitate auxerunt, & quidem eodem tempore, anno videlicet Chriſti quarto, aut quinto ſupra quadrageſimum. Initiatum autem tam Barnabam, quam Paulum Epiſcopali ordine, & manuum impoſitionem ab utroque ſuſceptam *conſecrationis* fuiſſe, non *benedictionis*, ex iis facile diſces, quæ a ſacris interpretibus

tibus

(2) Miranti, Barnabam *Cyprium genere*, ut ait D. Lucas, fuiſſe Levitam, ſcrupulum evellit Epiphanius hær. 30. §. 25. *Neque tamen quod Cyprius eſſet, eo minus e Tribu Levitica fuit: velut Apoſtolus Paulus, licet Tarſo oriundus eſſet, ab Iſraelitica gente minime erat alienus. Cum enim ſub Antiocho Epiphane, aliiſque temporibus, quibus bellum exarſerat, plerique per captivitatem obſidionemque diſperſi forent, captivi quidem certis locis conſtiterunt: at qui vitandæ obſidionis cauſſa fugerant, quo quiſque delatus fuerat, ibi commorati ſunt.*

tibus in Actorum Apoſtolicorum caput XIII. afferuntur. (3)

III. *Quid de Barnaba Lucas in Actis Apoſtolorum tradit?*

℟. Agro ſuo divendito, pretium ante pedes Act. IV.
Apoſtolorum poſuit. D. Paulum, cum quo a 37.
condiſcipulatu vivebat conjunctiſſime, *adduxit ad* Act. IX.
Apoſtolos, Petrum videlicet, & Jacobum cogno- 27.
mento *Minorem*, ut non in Chriſtianos ſolum, ſed etiam in eorum collegium referretur. Profectus juſſu Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Antiochiam, hortatus eſt novos Fideles, ut in propoſito per-
manerent, & *quia erat vir bonus, plenus Spiritu* Bar. ad
Sancto, & fide, idcirco ejus adhortationibus in- an. 30. §. Act. XI.
citati Chriſtianam religionem plures ſuſceperunt. 22.
Inde Tarſum ſe contulit, ut quæreret Saulum: inventum Antiochiam ſecum deduxit. Illic per annum integrum commorati: & per eos quamplurimi divinam legem, & Chriſtianæ vitæ præcepta edocti, *ita ut cognominarentur primum Antiochiæ diſcipuli Chriſtiani*, (4) Antiochia venerunt

in

(3) D. Hieronymus De Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 6. pag. 273. *Barnabas Cyprius, qui & Joſeph, Levites, cum Paulo gentium Apoſtolus ordinatus eſt*.

(4) Antea, ut obſervat Calmetus in hunc locum, ſimpliciter vocabantur *Fratres*, *Sancti*, *Diſcipuli*, *Credentes*, *Fideles*, quibus nominibus etiam poſtea uſi ſunt Apoſtoli, & viri Apoſtolici. Vox *Chriſtianus* uſurpatur a S. Petro epiſt. 1. cap. IV. 16. quæ epiſtola hoc circiter tempore ſcripta exiſtimatur. S. Paulus in ſuis epiſtolis nomen *Chriſtianorum*, quantum ſcio, numquam adhibuit. Brevi tamen evulgatum eſt: quoniam junior Agrippa poſt annos ſexdecim dicebat D. Paulo *Act. XXVI.* 28. *in modico ſuades me Chriſtianum fieri*. De diverſis Chriſtianorum nominibus honorificis, & contumelioſis narrant Joſephus Binghamus in Originibus ſive Antiquitatibus Eccleſiaſticis lib. 1. cap. 1. & 2. Et Fr. Thomas Maria Mamachius Origin. & Antiquit. Chriſtian. t. 1.

Utrum

in Judæam cum eleemoſynis, quas Eccleſiæ Antiochenæ Fideles Hieroſolymorum pauperibus mittebant. Quo munere functi Antiochiam rediere,
Act. XII. 25. ſocio ſibi adjuncto Joanne, cui *Marco* cognomen, qui ſecundum Hieronymum de Script. Eccl. cap. 6. diſcipulus fuit Barnabæ, ſecundum alios ejuſdem Barnabæ conſobrinus, memoratus a D. Paulo in Epiſtola ad Coloſſenſes cap. IV. 10. Antiochiæ degentes Spiritus Sancti inſtinctu per impoſitionem manuum conſecrati ſunt. Inde ad propagandam Chriſti doctrinam abjerunt, comitante Joanne *Marco* adminiſtro. Profecti ſunt Salaminam, Paphum, Pergen Pamphyliæ, unde Joannes *Marcus* iis relictis Hieroſolymam repetiit. Illi vero iter proſecuti initiandis Chriſto, & in ejus diſciplina inſtituendis hominibus operam navarunt
Act. XIV. Antiochiæ in Piſidia, & Iconii, atque illinc lapidationis metu Lyſtram, & Derben Lycaoniæ urbes confugerunt, ubi *cum a Lycaonibus Jupiter, & Mercurius putarentur, & eis vellent hoſtias immolare, ſciderunt veſtimenta ſua, & ſe homines eſſe dixerunt*. (5) Derbe regreſſi ſunt Lyſtram, Iconium, Antiochiam Piſidiæ, & Pergen. Inde pro-

Utrum vero Paulus & Barnabas, an Diſcipuli ipſi, an potius Ethnici Chriſti ſectatoribus nomen Chriſtianornm impoſuerint, in divinis litteris non apparet. S. Gregorius Nyſſenus de perfecti hominis Chriſtiani forma ad Olympium ſub finem aſſerit, *ex Apoſtolorum inſtituto Chriſtianum dici*. S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 17. §. 28. *credit, prænuntiatum a Domino nomen novum a Spiritu Sancto credentibus impoſitum*.

Putant alii, apud eumdem Calmetum, Ethnicos, quemadmodum Philoſophorum ſectis auctorum earumdem nomina tribuebantur, aliique dicebantur Platonici, Pythagoræi, Epicurei &c. ita Jeſu Chriſti diſcipulis *Chriſtianorum* nomen tribuiſſe.

Suidas verbo Χριστιανοί: *Qui olim vocabantur* Nazaræi, & Galilæi, *mutato nomine vocati ſunt* Chriſtiani.

(5) S. Hierony. adverſus Vigilant. c. 2. pag. 407. tom. I.

proceſſere Attaliam, unde Antiochiam Syriæ remigrarunt, ibique per haud modicum tempus manſerunt. Antiochia miſſi Hieroſolymam ſolvendæ cauſſa controverſiæ, Moyſis ne lege tenerentur Ethnici ad veri Dei cultum a vitæ pravitate converſi, interfuerunt Concilio Apoſtolorum, in quo eadem quæſtio diremta eſt, & ipſi Gentium Apoſtoli renunciati, habitique pro *hominibus, qui tradiderunt animas ſuas*, ut honori Chriſti inſervirent. Poſtea reverſi ſunt Antiochiam: qua in urbe cum paucis poſt diebus Paulo ſtudium inceſſiſſet reviſendi Civitates, quas ad Chriſtianæ pietatis rationem inſtituerat; velletque Barnabas Joannem *Marcum* itineris ſocium habere, id non conſenſit Paulus, quod ille antea ab ſe ipſis in Pamphylia degentibus abiiſſet. Ob id orta inter Paulum, & Barnabam diſſenſione, *non tamen inimicitiæ*, ut ait Chryſoſtomus in Act. hom. 34. alter ab altero diſceſſit, ut datum ſibi uterque munus expleret. Paulus Aſiam iterum petiit, Barnabas una cum Marco in Cyprum navigavit. (6) Hactenus eſt, quod de Barnaba Actorum Apoſtolicorum Hiſtoria prodit.

Act. xv.

Pag. 863.

S IV.

(6) Hieronymus adver. Pelag. lib. 2. cap. 6. pag. 580. *Paulus ſeverior, ille clementior, uterque in ſenſu abundat. Et tamen diſſenſio habet aliquid humanæ fragilitatis.*

Petrus Damiani lib. 2. epiſt. 11. *Nonnulli plane cum per impatientiæ ſomitem a fratrum caritate reſiliunt, hoc, quod Paulus, & Barnabas propter Marcum diſcipulum ad invicem diſceſſerunt, in defenſionis ſuæ teſtimonium vertunt, quod utique conſtat non diſcordiæ vitio, ſed divinæ diſpenſationis factum eſſe judicio; ne nimirum Sancti Apoſtoli, tanquam grana tritici, eo ſpargendæ fidei uberiorem meſſem redderent, quo procul hos ab invicem diſſenſionis aura perflaret.* Vide Bar. ad an. 51. §. 30. & Stephanum Menochium in hiſtoria ſacra Actorum Apoſtolicorum lib. 2. cap. 15.

IV. *Alii quid produnt?*

Pag. 243. tom. 3. ℞. Theodoretus in cap. 8. Epiſt. 2. ad Corinthios exiſtimat, illum, quem D. Paulus una cum Tito miſit ad eoſdem Corinthios, fuiſſe
Pag. 869. Barnabam. In ſententiam hanc venit etiam Chryſoſtomus hom. 18. in eamdem epiſtolam, & cur veniat adverſus eos, qui Lucam fuiſſe putant, rationes affert. Quod ſi verum eſt (nam
Pag. 1685. idem Chryſoſtomus in 2. ad Tim. hom. 10. non Barnabam, ſed Lucam illum fuiſſe dicit: cui opinioni præter Origenem aſſentitur etiam Hieronymus) jam conſtat, Barnabam ſocietatem glorioſi laboris cum D. Paulo rurſus iniviſſe. Quod
Epiſt. I. Cap. IX. 6. 12. ſane ſignificare videtur ipſe D. Paulus, qui de Barnaba tanquam de viro ſibi notiſſimo atque conjunctiſſimo ad Corinthios ſcribit. Qui vero ajunt, non videri probabile, D. Paulum tantum auctoritatis in Barnabam ſibi arrogaſſe, ut eum ad Corinthios mitteret, videant illi, ne ætatis noſtræ moribus Apoſtolica tempora metiantur. Illud quoque de Barnaba memoriæ proditum a
In act. hom. 21. 30. & 34. Pag. 600. 661. 683. Chryſoſtomo, ſuavem illum & comem fuiſſe, aſpectuque venerabilem, ut cum delectatione aculeos etiam relinqueret in animis eorum, a quibus eſſet auditus, atque ita Pauli naturalem gravitatem & ſeveritatem temperaret. Hujus enim vim dicendi, terroremque auditores timuerunt. Idem Chryſoſtomus ſubjungit, iſto aſpectu admirationem intuentibus, atque adeo venerationem injeciſſe. Ceterum multa de Barnaba narrat Alexander Græcus auctor natione Cyprius, profeſſione Monachus. Sed præterquam quod ſatis recens videtur, laudatorem potius agit, quam Hi-
Ad an. 51. §. 53. ſtoricum, ut animadvertit Baronius: & quod pejus eſt, non pauca habet falſa, & aliqua Actis

Apo-

Apoſtolorum contraria. Acta vero Barnabæ Joannis *Marci* nomine inſcripta *ab aliquo nebulone*, ut ait idem Baronius, *multis & apertiſſimis ſunt coagmentata mendaciis*. Neque ea magis vera ſunt, quæ *ex cœnoſo gurgite Recognitionum, non tantum dictus Alexander, ſed & Dorotheus inter ceteras quiſquilias ſuas adlegit*; quemadmodum eidem Baronio obſervatum refellenti Recognitionum auctorem, qui ſcribit, Barnabam omnium primum Romæ Chriſti Evangelium prædicaſſe. Ad extremum quod narrant recentiores Græci, Barnabæ fuiſſe fratrem nomine Ariſtobulum, unum ex ſeptuaginta Diſcipulis, a Barnaba ipſo, vel a D. Paulo Epiſcopum factum, in Britanniam miſſum, & memoratum a D. Paulo in epiſtola ad Romanos, id pariter totum nullo ſatis firmo fundamento nititur. Quin etiam ſunt, qui ambigant, reverane ille Chriſtianus fuerit, cum D. Paulus non illum, ſed eos, qui in domo ejus erant, ſalutaverit. Cap. XVI. 11.

V. *Inſtituitne Eccleſiam Mediolanenſem?*

℟. Id Baronio ad an. 51. §. 54. haud dubium eſt, habeturque inter firmas traditiones & monumenta ejuſdem Eccleſiæ, compluriumScriptorum (ex quibus tamen nullum profert) teſtimoniis confirmata. (7) Favet ejus ſententiæ, quod ſciam,

(7) In Traditione quidem non requiruntur eorum teſtimonia, qui rem geſtam exponant (eſſet enim hiſtoria, non traditio) ſed tamen, ut ea poſſit eſſe teſtatior, deſiderantur, qui eam ipſam traditionem aliqua mentione facta confirment. Sit exempli loco illud Auguſtini in Pſal. 132. §. 11. *Joannes natus eſt, ſicut tradit Eccleſia, VIII. Kal. Julias*; & item illud lib. 4. de Trinitate cap. 5. §. 9. Chriſtus Dominus, *ſicut a majoribus traditum ſuſcipiens Eccleſiæ cuſtodit auctoritas, VIII. Kal. April. conceptus creditur, quo & paſſus .... Natus autem traditur VIII. Kal. Januar.*

ſciam, unus Dorotheus: qui tamen nullius eſt,
§. 53. ipſo Baronio judice, auctoritatis & fidei Scriptor. Quare his ut imbecillius aſſentiar, facit non ſolum Romani Martyrologii, ſed etiam D. Ambroſii ſilentium, quo aperte probatur, nullam fuiſſe ejus ætate de Mediolanenſi Eccleſia per Barnabam inſtituta traditionem, aut famam. Nam
Pag. 101. concione 1. *de Baſilicis non tradendis Hereticis*, in
tom. 5. qua conteſtatur, ſe numquam defecturum a Fide, quam a deceſſoribus ſuis Dionyſio, Euſtorgio, Myrocle, aliiſque hereditariam acceperat, nullam facit de Barnaba mentionem, quæ tamen peropportuna erat, ne dicam, neceſſaria: *Abſit*, inquit, *ut tradam hereditatem Patrum*, *hoc eſt*; *hereditatem Dionyſii*, *qui in exilio in cauſſa Fidei defunctus eſt*, *hereditatem Euſtorgii confeſſoris*, *hereditatem Myroclis*, *atque omnium retro fidelium Epiſcoporum*. Eodem accedit, quod vetuſtus Recognitionum auctor Clemens lib. 1. §. 6. prodit, Barnabam, Tiberio imperante, Romam ſe contuliſſe, excedentemque Urbe non in Ciſalpinam Galliam, ſed in Orientem fuiſſe profectum. Ex quibus intelligi licet, quo tempore falſus ille Clemens ſcribebat, nondum ullum de Barnabæ ad Inſubres adventu ſermonem increbuiſſe. Atque hæc in cauſſa ſunt, cur retineam aſſenſum meum. (8)

VI.

(8) Clariſſimus Muratorius Præfatione in Opuſculum *De Situ Civitatis Mediolani*, quod exſtat inter Scriptores Rerum Italicarum tom. I. part. 2. pag. 201. *Doctiſſimus Papebrochius in Prolegomenis ad Acta S. Barnabæ Tom. II. Junii pag.* 430. *de traditione fundatæ a S. Barnaba Mediolanenſis Eccleſiæ loquens ait*, neque in S. Ambroſii Mediolanenſis, neque in S. Gaudentii Brixienſis Operibus ullum ejus inveniri locum, ut forte tota iſta traditio non habeat Auctorem alium, quam Pſeudo-Dorotheum in Synopſi &c. *Igitur ipſi Papebrochio veri videtur ſimilius*, Anatalonem, *qui primus in Catalogo* Mediolanenſium Archiepiſcoporum *occurrit*, Cyprium

VI. *Ubi, & quando ceſſit e vita?*

℟. In Cypro ſuum pro Chriſto ſanguinem fudiſſe, teſtantur Martyrologia ad III. Idus Junii, ibique ſepultum memorant recentioris ævi ſcriptores. Alexander vero Monachus a Judæis Salaminæ lapidibus obrutum refert, quod habent etiam Græcorum Menæa. Corpus ejus certe in Cypro repertum eſt imperante Zenone anno 488. gerens in *pectore ſacrum & divinum Evangelium Matthæi Evangeliſtæ ipſius Barnabæ manibus ſcriptum*. (9) Tempus autem mortis eſt in occulto. Illud liquet, ſuperſtitem fuiſſe, quo tempore Paulus de eo ad Corinthios ſcribebat, anno circiter ſexto, & quinquageſimo Chriſti. Chryſoſtomus tamen credidit, in vivis etiam tum fuiſſe, cum ſuam Paulus ad Coloſſenſes epiſtolam mitteret, anno Chriſti circiter tertio & ſexageſimo. Siquidem exiſtimat, Coloſſenſes *a Barnaba mandata accepiſſe* de Joanne *Marco* ejus conſobrino. (10) 1. ad Cor. IX. 6.

prium fuiſſe, & diſcipulum S. Barnabæ: atque hinc fortaſſe natam Mediolanenſibus famam conſtitutæ a Barnaba Eccleſiæ ſuæ. Conſentit Bacchinius in Diſſertat. De Eccleſiaſticæ Hierarchiæ originibus part. 2. §. 9. & 10. pag. 341. & Bolland. 25. Jul. §. 13. n. 459. pag. 98.

(9) Nicephorus lib. 16. Hiſt. Eccl. cap. 37. pag. 716. tom. 2. Eadem habet in Excerptis ex Eccleſiaſtica Hiſtoria Theodorus Lector initio libri 2. pag. 557. Eadem Cedrenus in Compendio ad an. Zenonis 4. pag. 279.

Victor Tununenſis in Chronico apud Caniſium in antiquis Lectionibus tom. I. pag. 325. *Poſt Conſulatum* II. *Longini* (qui juxta ejus ſupputandi modum annus eſt Chriſti 488. ut ait Pagius ad an. 485. § 2.) *Corpus S. Barnabæ Apoſtoli in Cypro, & Evangelium ſecundum Matthæum ejus manu ſcriptum, ipſo eodem revelante, inventum eſt*.

(10) In Epiſt. ad Coloſſenſes hom. 11. pag. 1394.

VII. *Barnabæ Epiſtola ab Hugone Menardo, Cotelerio, aliiſque edita, eſtne verum hujus Apoſtoli opus?*

℞. Barnabam *unam ad ædificationem Eccleſiæ pertinentem Epiſtolam compoſuiſſe*, tradit S. Hierony-
Pag. 273. mus de Scriptor. Eccl. cap. 6. Locos ex ea deſumtos invenies apud Clementem Alexandrinum
Pag. 433. lib. 2. Strom. & apud Origenem lib. 3. de Prin-
Pag. 725. tom. 1. cipiis cap. 2. & libro 1. contra Celſum §. 63.
Pag. 378. Verum tam Origenem, quam Clementem apocryphis uſos, a viris Criticis animadverſum eſt.
Bar. ad Hieronymum vero ſi legas, illam D. Barnabæ ad-
an. 51. §. judicatam vix credes, cum, ſi legere pergas, ſta-
55. tim inter apocryphas rejectam videas. Quod facit etiam in Commentariis ad Ezechielem cap. 43.
Pag. 472. Apocryphorum autem (ut docet idem Hierony-
Pag. 53. mus Epiſt. 7. ſcribens ad Lætam) ſunt genera duo; alterum, quod falſa dogmata continet; alterum, quod falſa nomina præfert. *Caveat omnia apocrypha*, inquit, *& ſi quando ea non ad dogmatum veritatem, ſed ad ſingulorum reverentiam legere voluerit, ſciat non eorum eſſe, quorum titulis prænotantur, multaque his admixta vitioſa, & grandis eſſe prudentiæ, aurum in luto quærere.* Quo altero modo apocrypha eſt Hieronymo Bar-
* Spuriis. nabæ epiſtola. Similiter in νόθοις * habetur ab Euſebio lib. 3. Hiſt. Eccl. cap. 25. & lib. 6. cap.
* Controverſas. 14. inter ἀντιλεγομένας * refertur. Poſtremo, ne quid dicam de iis, quæ falſa, & Apoſtolis injurioſa complectitur, S. Auguſtinus apocrypha, *quæ ſub nominibus Apoſtolorum Andreæ Joanniſque conſcripta* circumferebantur, hoc argumento explodit, quod *ſi illorum eſſent, recepta eſſent ab Eccleſia, quæ ab illorum temporibus per Epiſcoporum ſucceſſiones certiſſimas uſque ad noſtra & deinceps*

tem-

Digitized by Google

tempora perſeverat. (11) Non eſt igitur Barnabæ epiſtola, quæ ab Eccleſia non recipitur. (12)

(11) Contra Adverſarium Legis, & Prophetarum lib. 1. cap. 20. §. 39.

(12) Qui hanc Auguſtini ratiocinationem non admittunt, neceſſe eſt, ut proferant ſcriptum aliquod vulgo receptum tamquam Apoſtolicum, quod Eccleſia tamquam *canonicum* non probaverit. Alioquin eos, non Auguſtinum, minus recte ratiocinari dicemus. Vide Dupinum in Diſſertatione Præliminari ad Biblia lib. 2. cap. *6*. §. 7. pag. 94. Ceillierium in Hiſtoria generali Auctorum ſacrorum lib. 3. cap. 2. art. 5. pag. 498. Natalem Alexandrum ſæc. I. cap. 12. art. 8. Pagium ad an. 49. §. 4. & Joannis Alberti Fabricii Bibliothecam Græcam lib. 4. cap. 5. pag. 173. & Bibliothecam Eccleſiaſticam in annotat. ad cap. *6*. libri D. Hieronymi *De Viris illuſtribus*, ſeu de Script. Eccl. ubi refellitur Cavius, qui oppugnat rationes Moynii memoratam epiſtolam Barnabæ abjudicantis. Vide etiam Thomæ Ittigii Hiſtoriam Eccleſiaſticam cap. 1. §. 14. pag. 20.

DE S. JOANNE BAPTISTA.

I. *Nunc aliquid audire velim de S. Joanne Baptiſta, æterni Patris Apoſtolo.*

℟. JOANNES BAPTISTA Patre Zacharia Sacerdote, Matre Eliſabeth Virginis Deiparæ cognata, ſex ante Chriſtum menſes, *VIII. Kal. Julias*, *ſicut tradit Eccleſia*, in Urbe Hebron *natus eſt*. (1) Ejus ortum Zachariæ prædi-

(1) Auguſtinus in Pſal. 132. §. 11. Idem ſerm. 287. in Natali Joan. Bapt. cap. 1. *Natales dies carnis nulli Prophetarum, nulli Patriarcharum, nemini Apoſtolorum celebravit Eccleſia: ſolos duos Natales celebrat, hujus, & Chriſti.* Suarez lib. 2. de Religione cap. 8. §. 4. pag. 182. tom. I. ita ſubjicit e veſtigio: *Non eſt veriſimile, fuiſſe tam abſolute locuturum cum excluſione, ſi Nativitas Virginis tunc celebraretur.*

Idem Auguſtinus lib. 4. Operis imperfecti contra Julianum cap. 134. *Jeremias, & Joannes, quamvis ſanctificati in uteris matrum, traxerunt tamen originale peccatum... Erant illi & natura filii iræ ab uteris matrum, & gratia filii miſericordiæ ab uteris matrum; quia nec illa eis adhuc inerat ſanctitas, quæ vinculum ſolveret ſucceſſionis obnoxiæ, quod ſuo tempore ſolvi oportebat, & inerat tamen quæ præconem Chriſti a maternis viſceribus deſignabat.*

S. Ambroſius in Luc. cap. 1. pag. 13. *S. Joannes, antequam naſceretur, matris adhuc in utero poſitus Spiritus accepti gratiam deſignavit... Nondum enim erat illi ſpiritus vitæ, ſed ſpiritus gratiæ.*

Baronius in annotat. ad Martyrologium Romanum VIII. Kal. Julii: *Latini olim tribus Miſſis* Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ *celebritatem agere conſueverunt, ut Ordo Romanus, Albinus Flaccus, & Amalarius teſtantur, redduntque rationem uſus priſtini.*

Ver-

dixerat Angelus Gabriel, ille idem, qui poſt menſes ſex ad Mariam Virginem miſſus annuntiavit, futurum, ut Jeſum pareret. Die ab ortu octavo circumciſus appellatur Joannes. In paterna domo vix educatum in deſerta ſtatim ſeceſſiſſe, invenio apud quoſdam; (2) in deſertis altum atque educatum a matre, quæ evitandæ cauſſa cædis infantium ab Herode indictæ aufugerat, Bar. ad
ab aliis accipio. Ea diebus quadraginta poſt fu- An. Ch.
gam mortua, pueruli curam ab Angelo ſuſce- 1. §. 56.
ptam, tradit Cedrenus in Compendio Hiſtoria- Pag. 149.
rum part. 1. Difficile ad fidem eſt in re tam antiqua, Scriptura præſertim tacente, quidquam aſſeveranter affirmare. (3) Illa pro certo ha- Luc. 1.
benda, Joannem, quicum *manus Domini erat*, æ- 25.66.80.
tate,

| Verba Ordinis Romani ſunt hæc in Bibl. Patr. tom. 13. pag. 701. *In Natali S. Joannis ideo tres Miſſæ celebrantur, id eſt una in vigilia ejuſdem, duæ in die Nativitatis ejus, quia tribus triumphis refulſit inſignis, id eſt officio Præcurſoris, Baptiſtæ miniſterio, & quia Nazaræus ex utero matris permanſit.* Eadem prorſus eſt ſententia Albini Flacci, ſeu Alcuini, eademque Amalarii, ut legere licet in Hugonis Menardi obſervationibus ad Librum Sacramentorum S. Gregorii tom. 3. pag. 404. ac tom. 14. Bibl. Patr. pag. 999.

S. Gregorius Magnus lib. 3. in Job. cap. 7. pag. 77. Joannes *prophetiæ ſpiritu intra matris uterum impletus, atque, ut ita dixerim, priuſquam naſceretur, renatus.*

(2) Maldonatus in Matth. cap. III. 1. *Omnes docent, Joannem totam a prima pueritia uſque ad triceſimum annum ætatem in remota ſolitudine tranſegiſſe, Origenes hom. 11. & 15. in Lucam, Euſebius lib. 9. de Demonſtrat. cap. 5. Chryſoſtomus hom. 10. & 39. in Matth. & hom. 15. in Joan. & in hom. De nativitate Joan. Bapt. Cyrillus lib. 2. theſaur. cap. 4. Hieronymus contra Lucifer. & in Epiſt. ad Ruſticum Monachum, Prudentius in hymno jejunantium.*

Bolland. die 24. Junii pag. 689. tom. 4. *Vix ante ſeptimum, vel octavum, aut etiam decimum ætatis annum paternos lares deſeruiſſe illum, dixerim.*

(3) S. Ambroſius in Luc. lib. 2. pag. 24. *In Evangelio nihil ſuper eo legimus, niſi ortum ejus, & oraculum, exultationem in utero, vocem in deſerto.*

Matth. III. 4. & XI. 18. tate, & virtutum laude creviſſe; non modo vinum, aut ſiceram, & alia generis ejuſdem non bibiſſe, ut de eo Angelus prædixerat, ſed ne panem quidem manducaſſe, locuſtis duntaxat, ac melle ſilveſtri veſci ſolitum, & quidem tam parce, ut Chriſtus eum non manducaſſe, nec bibiſſe dixerit. (4) Par erat aſperitas veſtium. Utebatur enim hirto tegmine ex pilis camelorum contexto, quod zona pellicea circa lumbos adſtringebat: ita ut alterum Eliam eſſe dicerent, *atque in illius Beati recordationem per illius virtutem redirent, imo multo etiam majore admiratione caperentur. Siquidem ille in Urbibus ac domibus paſcebatur: hic vero ab ipſis incunabulis in eremo ſemper inhabitavit.* (5) Addit his Joannes Moſchus, an-

(4) Chryſoſtomus in Eſajam cap. V. 11. pag. 623. tom. 3. *Nomine ſiceræ hic indicat ſuccum ex palmis expreſſum*. Theodoretus in eumdem Eſaiæ locum pag. 23. tom. 2. *Proprie ſicera dicitur potus, qui ex palmis conficitur.*

Euthymius in Evangelium ſecundum Lucam tom. 19. Bibl. Patr. extrema pag. 615. *Sicera vocabatur quidquid in modum vini inebriare poterat: maxime vero potio a palmarum fructu confecta.*

S. Hieronymus epiſt. 2. pag. 12. *Sicera Hebræo ſermone omnis potio nuncupatur, quæ inebriare poteſt.* De locuſtis, & melle dicam inferius.

(5) Chryſoſtomus hom. 10. in Matthæum pag. 94. & pag. 95. *Et cur, inquis, etiam zona uſus refertur? mos iſte apud antiquos vigebat, priuſquam in mollem iſtum ac fluidum habitum laberentur. Sic itaque & Petrus cinctus invenitur, & Paulus.*

Bene ille, quiſquis fuit, auctor Operis imperfecti hom. 3. in Matthæum pag. 782. *Non de lana cameli habuit veſtimentum, ne ipſa mollities veſtimenti delicata faceret membra: ſed de aſperioribus ſetis cameli, ut ipſa aſperitas ad virtutem patientiæ animum exerceret: ideo non dixit de lana cameli, ſed de pilis cameli*. Et paullo poſt. *Ex eo, quod quaſi pro novo aliquid ſignificaret in Joanne dicens*: Et zona pellicea circa lumbos ejus; *oſtendit, quia conſuetudo erat apud Judæos, ut* zonis

antiquus ceteroquin ſcriptor, tectum illi præbuiſſe ſpeluncam loci cujuſdam, cui nomen *Sapſas*, trans Jordanem ad mille paſſus, in eaque ſæpius a Chriſto viſitatum. (6) Annis amplius triginta tali modo in ſolitudine exactis, cum annum quintum decimum Tiberius Imperator regnaret, Domini juſſu munere ſuo fungi cœpit. Itaque veniens in regionem, quæ circumjacet Jordani, atque eſt minus frequens, (7) Meſſiæ adventum, & *regnum Cælorum* immenſæ, quæ conveniebat, multitudini *primus prædicavit*, & *primus pœnitentiam populis nun-* Matth. III. 6. 7.

zonis laneis uterentur. Ideo iſte quaſi aliquid duri facere volens, zona pellicea cingebat ſe.

Hieronymus epiſt. 8. ad Demetriadem pag. 61. *Stupebat ad converſationem Eliæ, & Joannis Baptiſtæ, quorum uterque zona pellicea adſtrinxit, ac mortificavit lumbos ſuos.*

Paulinus carmine 6. de S. Joanne Baptiſta, verſ. 229.

Veſtis erat curvi ſetis conſerta cameli,
Contra luxuriem molles duraret ut artus,
Arceretque graves compuncto corpore ſomnos.

Bollandiani die 24. Junii pag. 692. *Qui Camelos unquam vidit, novit, quanto rudiores ſint horum pili circa collum abundantes, quam pili caprarum.*

Hoc vitæ genere viſus eſt jeciſſe vitæ monaſticæ fundamenta. D. Chryſoſtomus apud Baronium ad an. 31. §. 15. *Sicut Sacerdotum principes ſunt Apoſtoli; ita & Monachorum princeps Joannes Baptiſta.* Et Hieronymus epiſt. 22. ad Euſtochium cap. 15. pag. 150. *Hujus vitæ auctor Paulus, illuſtrator Antonius, &, ut ad ſuperiora conſcendam, princeps Joannes Baptiſta fuit.* Cyrillus Catech. 3. §. 6. Joannem dicit *Aſceticæ vitæ in ſe ipſo monſtrantem exemplar.* Hinc miror, nonnullos Eliam potius, quam Joannem Baptiſtam Patrem ſuum appellare.

(6) In Prato Spirituali extremo cap. I. apud Roſvveydum in Vitis Patrum lib. 10. pag. 857.

(7) Joannis deſertum duplex, alterum *habitationis*, alterum *prædicationis*. Lucas cap. III. 3. *Factum eſt verbum Domini ſuper Joannem in deſerto, & venit in omnem regionem Jordanis;* quæ regio a Matthæo cap. III. 1. *deſertum Judææ*, a D. Marco cap. I. 4. *deſertum* appellatur, quod ſcilicet minus frequens eſſet: ut negari non poſſit, quin ex deſerto in deſertum venerit.

Digitized by Google

nuntiavit, (8) eoſque ad veram pietatem inſtituit. *Confitentes peccata ſua* baptizabat mergens in Jordane, atque inſuper monens, ut in eum crederent, qui poſt ſe *venturus eſſet*. Phariſæos au-
Act. XIX. 4. tem, & Sadducæos tam aſpere atque ſevere excipiebat, ut eos *progenies viperarum* appellaret, ad eorum ſuperbiam retundendam. Chriſtum ipſum, tamquam unum e multis Baptiſmum poſcentem, divino tamen inſtinctu repente cognitum, divino
Joan. I. 19. 24. 26. parens imperio baptizavit. Poſtea venit in Bethaniam, ſeu potius Bethabaram, atque ibi in baptiſmi adminiſtrationem incubuit. (9) Tum Judæi permoti ejus fama ſanctitatis, miſerunt Sacerdotes, & Levitas, qui ab eo quærerent, num Chriſtus, num Elias, num Propheta eſſet. Cum hæc negaſſet, urgentibus, ut quis eſſet tandem ſignificaret, reſpondit, ſe vocem eſſe *clamantis in deſerto*: *Dirigite viam Domini*: eum vero, de quo tam anxie, & ſolicite ſciſcitabantur, inter ipſos
Jo. III. 23. verſari, nec ab ipſis agnoſci. Ex Bethabara profectus eſt in Ænnon juxta Salim, & Jordanem, quo in loco Chriſtus pariter baptizabat: ad quem miſſos a Joanne eos, qui veniebant ad ſe, exiſtimat Auguſtinus Tract. 13. in Joan. §. 8. Miſſos autem crediderim, ut iterum baptizarentur. Joan-
Pag. 145. nes enim, teſte Chryſoſtomo in Joan. hom. 28. non ante baptizare deſiit, quam in vincula Macheruntem duceretur juſſu Herodis Antipæ, quem objurgaverat, quod Herodiadem (10) uxorem fra-

(8) S. Hieronymus in Matthæum cap. 3. pag. 3. & cap. 11. pag. 19.

(9) S. Chryſoſtomus in Joannem hom. 16. pag. 86. Hæc in Bethania facta ſunt. *Quædam autem exemplaria veriora videntur, in quibus* Bethabara *ſcriptum eſt*. Bethania *enim non trans Jordanem, neque in deſerto erat, ſed non longe ab Hieroſolymis*.

(10) Chriſtophorus Cellarius part. 2. Diſſertat. Academi-

fratris ſui Philippi adhuc viventis haberet in matrimonio. (11) Carcere detentum non deſeruere diſcipuli. Herodes ipſe, qui in vinculis habebat, libenter ipſum audiebat, & multa de conſilio ejus faciebat: qui tamen ut ſatisfaceret temerario jurijurando, quo Salomæ puellæ ſaltatrici ſe obſtrinxerat, per ſpeciem pietatis impius factus, eum annos natum duos & triginta juſſit obtruncari. (12) Caput ad Salomen, ab hac ad matrem He- Marc. VI. 20.

micarum Diſſertat. 1. De Joannis Baptiſtæ carcere & ſupplicio §. 10. pag. 386. *Fuit Herodias, ut idem Joſephus* lib. 18. Antiquit. cap. 6. *tradit, Ariſtobuli a patre interfecti filia, magni Herodis neptis, Agrippæ majoris ſoror, atque ita fratre utriuſque & Philippi & Antipæ genita. Confudit ergo Hieronymus in Matth.* 14. *hiſtorias, cum filiam Regis Aretæ dixit, quam pater exortis quibuſdam contra generum ſimultatibus, abſtulerit, & Herodi fratri, inimico illius nuptiis copulaverit. Ait quidem* veterem *ita* Hiſtoriam narrare, *ſed major nobis Joſephi auctoritas eſt, qui diſtincte & explicite exponit, Aretæ filiam fuiſſe Antipæ uxorem.*

(11) Philippo vivo Herodem ejus uxorem ſibi adjunxiſſe, narrat Joſephus lib. 18. Antiquit. cap. 5. cui aſtipulatur Hieronymus in Matthæum cap. 14. pag. 27. At eo mortuo, vult Tertullianus lib. 4. adverſus Marcionem cap. 34. Sanctus vero Auguſtinus de Fide, & operibus cap. 18. rem in medio relinquit. Utcunque ſit, jure Herodes ab Joanne reprehenſus eſt. Philippus enim, ſi mortuus fuerat, reliquerat ex Herodiade filiam Salomen ſaltatricem; & Lex, quæ eſt in Deuteronomio cap. XXV. 5. uxorem fratris mortui fratri ſuperſtiti non aliter permittebat, *quam ſi frater illiberis deceſſiſſet;* ut ait Tertullianus loc. cit. *Quoniam igitur Herodes uxorem fratris, quæ prolem habebat, duxit, hac de cauſſa Joannes criminatur:* ut dicit Chryſoſtomus hom. 49. in Matth. pag. 435.

(12) Aliam necis Joanni illatæ cauſſam affert Joſephus lib. 18. Antiquit. cap. 5. §. 2. *Cum multi ad eum undique confluerent (hujuſmodi enim ſermonibus mirum in modum elati erant) Herodes veritus, ne tanta hominis auctoritas ſubditos ad defectionem impelleret (videbantur enim omnia de conſilio ejus facturi eſſe) ſatius eſſe duxit, priuſquam novi aliquid ex illo oriretur, illum e medio tollere, quam ut mutatione rerum facta, ipſe in diſcrimen adductus pœnitentiam agéret.* Cauſſa hæc impro-

Herodiadem delatum eſt, cujus *linguam veriloquam* impia femina *diſcriminali acu confodit*. (13) Mortui corpus in oppido Macherunte ab ejus diſcipulis ſepultum eſt, eodem ſcilicet loco, ubi vitam finierat. *Herodes adeo Joannem mortuum perhorruit, ut a nimia formidine vel de reſurrectione philoſopharetur*, (14) & auditis miraculis, quæ perpetrabantur a Chriſto, putaverit hunc eſſe Joannem redivivum. Tantam Joannes, dum viveret, ſui opinionem, tantumque timorem Herodi injecerat. Neque id mirum, cum ipſius Chriſti teſtimonio fuerit omnium hominum maximus. (15)

II.

probatur a viris magnis Saliano ad an. Mundi 4083. §. 5. & Baronio ad an. Chriſti 31. §. 46. tum quod diverſa ſit ab ea, quam refert Evangeliſta; tum quod ſolicitiorem curam poſtea Herodes adhibuiſſet, ut Chriſtum ipſum in carcerem detruderet, ad quem longe frequentior ex provinciis etiam remotioribus concurſus fiebat.

Nazianzenus orat. 20. pag. 369. *Ad inferos per Herodis furorem tranſmiſſus eſt, ut illic quoque* Chriſtum *mox venturum prædicaret*. Chryſoſtomus in Matth. hom. 37. pag. 354. id non negat, ſed eos reprehendit, qui arbitrati ſunt, eo miſſum, ut pœnitentiam prædicaret. *In inferno enim, Pſalmiſta dicit, quis confitebitur tibi?* Similis huic eſt error Clementis Alexandrini, qui lib. 6. Strom. pag. 635. ait, *Apoſtolos conſequenter Domino, iis quoque, qui erant apud inferos, annunciaſſe Evangelium*. Vide Cotelerium in S. Hermæ Paſtorem lib. 3. ſimilitudine 9. §. 16. Bellarminum lib. 4. De Chriſto ca. 13.

S. Joannis Baptiſtæ caput oſtenditur Romæ in Eccleſia S. Silveſtri, quæ propterea dicta eſt *S. Silveſter ad caput*, ut ex Martino Polono narrat Baronius in Martyrolog. Rom. ad diem 31. Decembris.

(13) Hieronymus adverſus Rufinum lib. 3. cap. 11. pag. 538. tom. 1. ubi habet, idem *feciſſe Fulviam in Ciceronem*.

(14) Chryſoſtomus hom. 49. in Matthæum pag. 433.

(15) S. Chryſoſtomus in Matth. hom. 38. pag. 359. *Quæ ſententia quamvis per ſe ipſam ſufficiat, tamen ſi velis a rebus ipſis veritatem inſpicere, veniat in mentem tibi menſa illius, educatioque, & mentis altitudo: ita enim in terris, quaſi in cælo, verſabatur. Naturæ namque omni neceſſitate ſupera-*

II. *Joannis Pater Zacharias fuitne ſummus Sacerdos?*

℞. Id olim creditum a nonnullis exiſtimantibus, Zachariam thuris adolendi cauſſa intima adiiſſe Bar. in Apparatu §. 69.

perata, mirabile quoddam peregit iter: Semper in hymnis, ſemper in orationibus fuit. Nulli hominum, antequam ad baptizandum accederet, Deo autem ſoli ſua ſemper offerebat colloquia: neminem vidit umquam conſervorum, nec ab aliquo horum viſus fuit, non lacte nutritus, non lecto ſuſceptus, non tecto, non foro, non alia re humana uſus erat: tamen mitis ſimul, & acer, quorum alterum ex converſatione ſua cum diſcipulis, alterum ex reſponſione ad Judæos, atque ad Regem libera facile perdiſces.

S. Auguſtinus ſerm. 66. §. 2. *Valde inter homines Joannes eſt magnus, quo ſolus inter homines major eſt Chriſtus.* Et ſerm. 292. §. 2. *Si in natis mulierum, hoc eſt in hominibus nemo exſurrexit major Joanne Baptiſta, quiſquis Joanne plus eſt, non tantum homo, ſed Deus eſt.* Eadem alibi, eadem etiam alii ex Sanctis Patribus, quæ, cum videantur *per quamdam exaggerationem dicta, pie interpretanda ſunt, & vel ad ſenſum verborum Chriſti accommodanda, vel ſaltem dicendum, B. Virginem ita eſſe cum Chriſto conjunctam, ut cum illo excipi intelligatur.* Et paucis interjectis: *Deinde ex vi verborum Salvatoris non conſtat, Joannem eſſe ſanctiorem omnibus Sanctis Novi Teſtamenti, præſertim Apoſtolis, non quod hoc affirmare dignum aliqua cenſura ſit, ſed quod ſit incertum, & Chriſti teſtimonio probari non poſſit. Chriſtus enim de præterito tempore uſque ad illud, in quo ea verba protulit, locutus eſt dicens:* Inter natos mulierum non ſurrexit major. *Unde non ſequitur, majorem umquam poſtea fuiſſe ſurrecturum neminem.* Suarez in 3. part. D. Thomæ tom. 2. quæſt. 38. diſputat. 24. ſect. 3.

S. Ambroſius in Luc. lib. 5. pag. 96. *Joannem autem Prophetam aſſero, & hunc omnibus dico eſſe majorem, ſed inter mulieris, non Virginis natos.*

S. quoque Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 3. §. 6. obſervat, dici majorem *non inter natos virginum, ſed mulierum.* Et Auctor ſermonis 197. §. 1. in Appendice apud Auguſtinum: *Dicit fortaſſe aliquis: Si inter natos mulierum Joannes major eſt: major eſt Salvatore. Abſit.* Joannes *enim natus mulieris, Chriſtus autem virginis natus eſt.*

Digitized by Google

iſſe Templi adyta, *Sancta Sanctorum*, quæ ſemel in anno ipſi tantum ſummo Pontifici ingredi fas erat. Verum non unum fuit in Templo thuribulum aureum, quod Paulus ponit in ſecundo Tabernaculo, quod dicitur *Sancta Sanctorum*, ſed præterea fuit *Altare thymiamatis* dictum a D. Luca *Altare incenſi* in primo Tabernaculo collocatum, cui ſingulis diebus bis thura imponebantur, mane ſcilicet, & veſpere, cum accenderentur lucernæ. Atque in hoc ſorte ductus unus e multis Zacharias thus adolebat, cum ei Angelus Joannis ortum prædixit. Tantum igitur abeſt, ut ſacra hæc Zachariæ functio probet, illum fuiſſe ſummum Sacerdotem, ut etiam contrarium evincat; cum ſummus Sacerdos, qui unus eſt, ſorte duci non potuerit. Itaque D. Lucas eum nihil amplius, quam *Sacerdotem* appellat, & Joſephus lib. 20. Antiquitat. cap. 10. ſummos Pontifices, qui id temporis vixere, exacte colligens, nullam facit de Zacharia mentionem. Hinc Petavius lib. 16. Theologicorum Dogmatum cap. 6. §. 15. ait, veterum ſententiam *hodie tueri ſine riſu, ac ludibrio omnium* neminem poſſe.

Ad Hebr. IX. 34.

Cap. I. 5. 11.

Exodi XXX. 7. 8.

III. *Novitne Joannes manens in utero Chriſtum manentem in utero?*

℟. Joannem in utero Eliſabeth, cum a Virgine ex Spiritu Sancto gravida ſalutata eſt, exiliiſſe gaudio, narrat Lucas in Evangelio. Num vero Chriſtum tunc præſentem in utero Mariæ Virginis matris agnoverit, dubitat Auguſtinus epiſt. 187. cap. 7. At ſerm. 293. §. 12. ait, ab Joanne *in utero Dominum ſalutatum*, ex eaque die eumdem Joanni notum fuiſſe, confirmat lib. 2. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 15. Conſentit D. Hie-

Cap. I. 44.

Hieronymus epiſt. 7. ad Lætam. (16) Idque alii ex Sanctis Patribus aſſeverant. (17) Rem definit Eccleſia, quæ de S. Joanne Baptiſta ex Paulo Diacono ita canit:

Ventris abſtruſo recubans cubili
Senſeras Regem thalamo manentem.

IV. *Quo tempore ipſum etiam de facie novit?*

℟. Certum reſponſum non facile occurrit. Nam Joannes ipſe modo ait, ſe noviſſe Chriſtum, antequam ipſi Baptiſmum conferret, modo poſtea. Et antea quidem noviſſe, tum ſignificavit, cum Chriſto venienti ad ſe, ut baptizaretur, dixit: *Ego a te debeo baptizari:* ut eſt apud Matthæum cap. III. 14. *Hoc enim*, ut ait Chryſoſtomus hom. 16. in Evangelium Joannis, *ſignum erat certiſſimæ co-* Pag. 891

T

(16) Ecce verba Hieronymi pag. 50. tom. 1. *Joannes Baptiſta ad introitum Mariæ exultavit & luſit. Audiebat enim verba Domini per os Virginis; & de utero matris in occurſum ei geſtiebat erumpere.*

(17) S. Irenæus lib. 3. cap. 18. *Joannes cum adhuc in ventre matris ſuæ eſſet, & ille in vulva Mariæ, Dominum cognoſcens, exultans ſaltabat.*

Origenes in Luc. hom. 7. pag. 216. tom. 2. *Sancta erat anima B. Joannis, & adhuc in matris utero clauſa, venturaque in mundum, quaſi per experientiæ ſenſum ſciebat, quæ Iſrael ignorabat. Unde exilivit, & non ſimpliciter exilivit, ſed in gaudio. Senſerat enim veniſſe Dominum ſuum, ut ſanctificaret ſervum ſuum, antequam de Matris utero procederet.*

S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 3. §. 6. *Solus Joannes in utero concluſus exilivit in gaudio, & cum corporeis oculis non videret, Dominum ſuum agnovit ſpiritu.*

S. Ambroſius de Iſaac & anima c. 6. pag. 285. *Præſentia Mariæ, cum utero gravis eſſet, erudivit Joannem in utero conſtitutum, adeo ut exiliret in utero, & exultaret Domini præſentiam recognoſcens.*

S. Bernardus epiſt. 174. §. 3. *Quod de Joanne Baptiſta non ſecus ſentio, qui ex utero Dominum in utero ſenſit.*

cognitionis; non noviſſe vero, niſi poſtea, tum oſtendit, cum dixit apud Joannem cap. I. 33. *Et ego neſciebam eum, ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat in Spiritu Sancto. Et ego vidi, & teſtimonium perhibui, quia hic eſt Filius Dei*. Sed jam Chryſoſtomo præeunte Joannis ſententias concilio, & ita reſpondeo: Chriſti vultum, & lineamenta Joanni nota fuiſſe paullo ante baptiſmum interna revelatione, & ipſius tantum propria; poſt Baptiſmum vero externa, & omnium communi. *Itaque, cum Joannes inquit*, Neſciebam eum; *ſuperiora tempora reſpicit, non quæ circa baptiſmum fuerunt*, ut loquitur laudatus Chryſoſtomus. (18)

V. *Novitne, Chriſtum pro hominibus mortem Crucis ſubiturum?*

℟. Sunt, qui negent; ſed eos refellit S. Joannes Chryſoſtomus hom. 37. in Matthæum. *Non ignorabat Joannes, qui hoc ante alios maxime prædicavit*. Ecce, *namque inquit*, Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. *Agnum quippe vocavit, qui in Crucis patibulo ſuſpendendum ſciebat. Cum etiam dixerit*, qui tollit peccata mundi, *id ipſum ſignificavit. Non enim alia, quam per Crucem, via peccatum*

Pag. 353.

Joan. I. 29.

(18) S. Auguſtinus lib. 2. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 15. §. 32. hanc ipſam difficultatem movet, ſed aliter ſolvit. *Ex quo apparet, quamvis eum jam noſſet (nam etiam in utero matris exultavit, cum ad Eliſabeth Maria veniſſet) aliquid tamen in eo, quod nondum noverat, columbæ deſcenſione didiciſſe, quod ipſe ſcilicet baptizaret in Spiritu Sancto propria quadam & divina poteſtate, ut nullus homo, qui accepiſſet a Deo Baptiſmum, etiamſi aliquem baptizaret, poſſet dicere, ſuum eſſe, quod traderet, vel a ſe dari Spiritum Sanctum*. Idem Auguſtinus in Joan. tract. 5. & 6. eumdem locum explanat uberius.

catum mundi abſtulit, *ut Paulus etiam declarat dicens:* Quod adverſus nos erat chirographum, de medio abſtulit, Cruci ipſum affigens. Deinde Joannes, ut idem Chryſoſtomus pergit arguere, ex teſtimonio ipſius Chriſti, fuit maximus omnium Prophetarum. Prophetæ autem paſſionem Chriſti multos ante annos præſciverant, nec ejus paſſionem tantum, ſed etiam crucifigendos cum eo, veſtimentorum diſtributionem; veſtis ſortem, & alia id genus noverant optime. novit igitur etiam Joannes, niſi dicere velimus, Prophetam maximum etiam prædicta ab aliis ignoraſſe.

Ad Coloſ. II. 14.

Luc. VII. 26. 28.

VI. *Quid ſunt locuſtæ*, *quid mel ſilveſtre*, *quibus veſcebatur?*

℟. *Locuſtas quidam herbarum eſſe virgulta dixerunt*, *quidam autem herbam dictam locuſtam*; *alii vero ipſum inſecti genus*. (19) Horum ſententia propior vero eſt. Nam Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædagogi cap. 1. ſcribit, *Matthæum Apoſtolum ſeminibus*, *baccis*, *& oleribus* tantum uti ſolitum; *Joannem autem*, qui *locuſtas*, *& mel agreſte comedebat*, *continentiam ulterius extendiſſe*. Non extendiſſet autem, ſi locuſtæ herbarum extremitates, atque adeo olera fuiſſent. Itaque Hieronymus lib. 2. adver. Jovin. cap. 6. *Orientales*, *& Libyæ populos*, ait, *quia per deſertum*, *& calidam eremi vaſtitatem locuſtarum nubes reperiuntur*, *locuſtis veſci*, *moris eſt*: *verum eſſe*, *Joannes quoque Baptiſta probat*. (20) Auguſtinus quoque lib. 10. Confeſſ. cap. 31.

Bar. ad an. 31. §. 13. & 14. Pag. 176.

Pag. 364.

(19) Euthymius in Matthæum, Bibl. Patr. tom. 19. pag. 495.

(20) Idem Sanctus Hieronymus epiſt. 23. ad Marcellam pag. 159. *Cibi diſplicent viliores? Nihil vilius eſt locuſtis*. Porro locuſta, quia ſalit, inter eſcas Judæis permiſſas ponitur Levit. cap. XI. 22.

Pli-

31. §. 46. *Scio, Joannem mirabili abſtinentia præditum animalibus, hoc eſt locuſtis in eſcam cedentibus non fuiſſe pollutum*. Eodem modo, ut ait Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 123. *non herba quædam eſt mel ſilveſtre, verum mel montanum; quod ab agreſtibus apibus conficitur, ſummeque amarum eſt, & guſtui omni infeſtum atque inimicum*. Minus enim eos probari video, qui arbitrantur, mel ſilveſtre eſſe arborum folia lactei coloris, & melliti ſaporis, quæ, cum fragilia ſint, manibus confricata, ac trita comeduntur. Sed utcumque ſit, ideo Scriptura Joannem locuſtis veſci ſolitum dixit, ut ejus pœnitentiam, miramque abſtinentiam commendaret.

VII. *Quo modo baptizavit?*

℞. Per immerſionem, non per infuſionem. Nam Baptiſma per infuſionem primis Chriſti ſæculis in more non fuit, nec cœpit niſi ſæculo tertiodecimo ineunte uſurpari: quandoquidem D. Thomas, qui obiit anno 1274. ait, *uſum baptizandi per modum immerſionis* fuiſſe *communiorem* etiam

Plinius tradit lib. 6. cap. 30. Æthiopum partem, lib. 7. cap. 2. Indos, lib. 11. cap. 29. Parthos locuſtis ali. De Afris idem ſcribit Dioſcorides lib. 2. cap. 46.

Rabanus apud S. Thomam in Catena aurea in Matth. cap. 3. pag. 12. *Tenui victu contentus, & ex minutis volatilibus, & melle invento in truncis arborum. In dictis autem Arnulphi Galliarum Epiſcopi reperimus minimum genus locuſtarum fuiſſe in deſerto Judææ, quæ, corpuſculis in modum digiti manus exilibus, & brevibus in herbis facile capiuntur, coctæque in oleo pauperem præbent guſtum. Similiter narrat in eodem deſerto eſſe arbores habentes lata folia, & rotunda, lactei coloris, & melliti ſaporis, quæ natura fragilia manibus fricantur & eduntur. Et hoc eſt, quod mel ſilveſtre dicitur*. Plura de his Samuel Bochartus Operum part. 2. lib. 4. cap. 7. pag. 487. ubi probat, *Joannem Baptiſtam veras locuſtas habuiſſe pro cibo*.

iam ætate ſua. (21) Unde Pictorum errorem convincas, qui Joannem in Salvatoris caput aquam concha infundentem exhibent.

VIII. *Qua verborum forma?*

℟. Locum iſtum totum, ut a doctiſſimis quæſitum, diſputatumque eſt, breviter explicabo. Joannem baptizaſſe *in nomine venturi*, docent Magiſter ſententiarum lib. 4. diſt. 2. D. Thomas 3. part. quæſt. 38. art. 6. S. Bonaventura explanans ſententiam Magiſtri, & alii. His videntur præiviſſe Hieronymus, & Ambroſius. Hic enim lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 3. *Illi*, ait, *qui negaverunt, ſe ſcire Spiritum Sanctum, quamvis baptizatos ſe dicerent in Joannis baptiſmo, baptizati ſunt poſtea, quia Joannes in remiſſionem peccatorum, in advenientis JESU, non in ſuo baptizavit nomine. Et ideo Spiritum neſciebant, quia nec baptiſmum in Chriſti nomine, ſicut Joannes baptizare ſolebat, acceperant*. Hieronymi verba ſunt hæc e commentario in Joelem cap. 2 *In Actibus Apoſtolorum qui baptizati erant baptiſmate Joannis in eum, qui venturus erat, hoc eſt in nomine Domini JESU, quia reſponderant Paulo interroganti, ſed ne ſi ſit quidem Spiritus Sanctus, novimus, iterum baptizantur, imo verum baptiſma accipiunt*. Contra vero alii, atque in his Suarez tom. 2. in 3. part. D. Thomæ diſputat. 25. ſect. 1. Bellarminus de Baptiſmo lib. 1. cap. 20. & Eſtius in 4. Sent. Diſtinct. 2. §. 6. contendunt, Joannem in ſuo baptiſmo

Pag. 215. Tom. 4.

Pag. 86. tom. 5.

 nul-

(21) Part. 3. quæſt. 66. art. 7. *Quamvis tutius ſit baptizare per modum immerſionis, quia hoc habet communior uſus.* Et art. 8. *Communiter obſervatur in Baptiſmo trina immerſio, & ideo graviter peccaret aliter baptizans, quaſi ritum Eccleſiæ non obſervans.* Vide Gaſparem Jueninum in Commentario de Sacramentis diſſertat. 2. de Baptiſmo cap. 2. art. 2. §. 1.

nulla verborum forma uſum fuiſſe. Primum quia nullam de ea mentionem facit Evangelium: tum
Joan. I. 19. quia Phariſæi miſerunt ad Joannem, qui interrogarent, an ipſe eſſet Chriſtus: quod noviſſent, ſi baptizaſſet in nomine Chriſti venturi. Deinde quia in Actis juxta Græcum textum dicitur Jo-
Cap. XIX. 4. annes baptizaſſe *populum dicens, in eum, qui venturus eſſet poſt ipſum, ut crederent, hoc eſt, in Jeſum*. Quibus verbis, quemadmodum etiam illis D. Ambroſii, & Hieronymi hanc volunt ſubjectam eſſe ſententiam, Joannem ita baptizaſſe, ut tamen eos, quos baptizabat, non in ſe, qui alioquin Chriſtus videri poterat, ſed in venturum poſt ſe, hoc eſt in JESUM credere juberet; ac proinde tam in Actis, quam apud memoratos Patres ſermonem eſſe non de forma baptiſmi, ſed de doctrina adjuncta baptiſmo. Ex quibus, aliiſque id genus rationibus colligunt, totam rationem baptiſmi a Joanne adminiſtrati poſitam fuiſſe in externa aquæ ablutione.

IX. *Iſte Baptiſmus dimiſit ne peccata?*

℟. *Joannis baptiſma*, ut ait S. Hieronymus in
Pag. 423. & 424. Dialogo adverſus Luciferianos cap. 3. *non tam peccata dimiſit, quam pœnitentiæ baptiſma fuit in peccatorum remiſſionem, id eſt in futuram remiſſionem, quæ eſſet poſtea per ſanctificationem Chriſti ſub-*
Marc. I. 4. 5. *ſecutura. Scriptum eſt enim*: Fuit Joannes in deſerto baptizans & prædicans Evangelium pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. *Et poſt modicum*: Et baptizabantur ab eo in Jordane confitentes peccata ſua. (22) *Ut enim ipſe ante præcurſor Domini;*

(22) S. Auguſtinus De Baptiſmo contra Donatiſtas lib. 5. cap. 9. §. 11. *Nulli Prophetarum, nulli prorſus hominum in Scripturis divinis legimus conceſſum eſſe, baptizare in aqua pœni-*

ni: ſic & baptiſma ejus prævium Dominici baptiſmatis fuit. Qui de terra eſt, *ajebat*, terrena loquitur, qui de ſupernis venit, ſuper omnes eſt. *Et iterum*: Ego baptizo vos in aqua, ille baptizabit in Spiritu. *Sanctus autem Joannes, ut confeſſus eſt ipſe, non baptizavit in Spiritu, conſequenter nec peccata dimiſit, quia nulli hominum ſine Spiritu Sancto peccata dimittuntur*. Hactenus Hieronymus. Audi etiam D. Thomam 3. part. quæſt. 38. art. 3. *Tota*, inquit, *doctrina & operatio Joannis præparatoria erat ad Chriſtum, ſicut miniſtri & inferioris artificis eſt præparare materiam ad formam, quam inducit principalis artifex. Gratia autem conferenda erat hominibus per Chriſtum ſecundum Illud Joan. I.* Gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt. *Et ideo baptiſmus Joannis gratiam non conferebat, ſed ſolum ad gratiam præparabat tripliciter: Uno quidem modo per doctrinam Joannis inducentem homines ad fidem Chriſti: Alio modo aſſueſaciendo homines ad ritum baptiſmi Chriſti: Tertio modo per pœnitentiam, præparando homines ad ſuſcipiendum effectum baptiſmi Chriſti*.

Jo. III. 31.
Luc. III. 16.

X. *Ipſe a quo baptizatus eſt?*

℞. Chriſtum poſt ſuſceptum a Joanne baptiſma, Joannem ipſum baptizaſſe, aperte tradit Nazianzenus Orat. 39. Ita Auguſtinus verba illa Joannis ad Chriſtum: *Ego a te debeo baptizari*, exponit, *opus eſt mihi, neceſſarium eſt mihi*. *Et hoc illi*

Pag. 633.
Serm. 293. §.12.

nitentiæ in remiſſionem peccatorum, quod Joanni conceſſum eſt.
Et cap. 10. §. 12. *Quæro itaque, ſi baptiſmo Joannis peccata dimittebantur, quid amplius præſtare potuit baptiſmus Chriſti eis, quos Apoſtolus Paulus poſt baptiſmum Joannis Chriſti baptiſmo voluit baptizari?.. Tamen ne quiſque contendat, etiam in Baptiſmo Joannis dimiſſa eſſe peccata, ſed aliquam ampliorem ſanctificationem eis, quos juſſit Paulus denuo baptizari, per baptiſmum Chriſti eſſe collatam, non ago pugnaciter.*

illi ibi præſtitum eſt : Quando enim Dominus in aquam, non ille præter aquam. Chryſoſtomus tamen in Matth. hom. 12. Hieronymus in cap. 3. ejuſdem Matthæi, & alii dicunt, Joannem baptizatum a Chriſto non aqua, ſed Spiritu, gratia videlicet in eum effuſa, dum Chriſtum baptizaret. Quare Abulenſis in cap. 3. Matth. quæſt. 78. Joannem a Chriſto baptizatum fuiſſe negat, & quidem ob eam cauſſam, quia Joannis diſcipuli ægre ferebant, palamque apud eum conquerebantur, quod Chriſtus baptizaret, ut eſt in Evangelio Joannis cap. III. 26. Non enim id moleſte tuliſſent, ſi magiſtrum ſuum a Chriſto baptizatum ſciviſſent.

Matth. XI. 11. Luc. VII. 26.

XI. *Cur dictus eſt* major inter natos mulierum, & plus quam Propheta?

℞. *Quia*, ut docet Auguſtinus lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 37. §. 87. *omnes ſuperiorum temporum juſti & Prophetæ cupiebant videre completum quod revelante Spiritu futurum eſſe cernebant: unde & ipſe Dominus dicit*: Quoniam multi juſti & Prophetæ cupierunt videre, quæ videtis, & non viderunt, & audire, quæ auditis, & non audierunt: *propterea Joannes amplius, quam Propheta dictus eſt, &* in natis mulierum non habuiſſe majorem; *quia prioribus juſtis prænuntiare tantum Chriſtum conceſſum eſt, huic autem & prænuntiare abſentem, & videre præſentem, ut huic inveniatur patuiſſe, quod illi concupierunt.* (23)

Matth. XIII. 17.

XII.

(23) Idem Auguſtinus ſerm. 288. §. 2. *Hinc magnitudo Joannis maxime commendatur, quia cum poſſet putari Chriſtus, maluit Chriſto teſtimonium perhibere, illum commendare; ſe humiliare, quam pro ipſo accipi, & a ſe decipi. Merito dictus eſt* amplius quam Propheta.

XII. *Joannis diſcipuli quinam fuerunt?*

℞. De Joannis Baptiſtæ diſcipulis ſæpe mentionem faciunt Evangeliſtæ, ſed unum duntaxat Andream nominat Joannes, & de alio diſcipulo Andreæ ſocio, quem ibi memorat, omnino ſilet. Cap. I. 40.
Hunc fuiſſe Apoſtolum Philippum, conjicit Epiphanius Hær. 51. §. 14. & ait non fuiſſe nominatum, *quod popularis Andreæ eſſet, & contubernalis, & eamdem artem, atque opificium exerceret.* Idem tamen Epiphanius non repugnat, quin ſentiamus, diſcipulum illum fuiſſe ipſum Joannem Evangeliſtam, aut Jacobum filium Zebedæi. In Joannem Evangeliſtam inclinat etiam ſententia Chryſoſtomi. Nam hom. 17. in eumdem Joannem dicit, ideo illum reticuiſſe nomen ſuum, pag. 95.
quia *nulla utilitas ejus nominis cognoſcendi: Andreæ autem meminiſſe vel hanc ob cauſſam, ut cum audieris, quod Simon audiens cum Andrea:* Venite Matth.
poſt me, & faciam vos piſcatores hominum, *ad* IV. 19.
tam admirabilem hanc promiſſionem non dubitarit, intelligas, fratrem fidei jeciſſe fundamenta. Habuerunt eamdem opinionem Theophylactus, Euthymius, & alii. (24) Non deſunt tamen recentiores, qui putent, alterum ex illis diſcipulis fuiſſe Apoſtolum Bartholomæum.

XIII. *Quo die interfectus traditur?*

℞. Varia eſt memoria hujus rei. Non pauci circa Paſcha anno ætatis Chriſti 33. obtruncatum exiſtimant: quidam ſub exitum anni 32. ejuſdem Chriſti Domini: alii ſecuti auctoritatem Chronici Alexandrini, ſupremum Joannis diem fa-

(24) Theophylactus in Joan. cap. 1. pag. 579. Euthymius in eumdem Joan. pag. 668. tom. 19. Bibl. Patr.

faciunt vigeſimum nonum menſis Auguſti, quo die *Decollationem* ejus Eccleſia celebrat: inter quos me ipſe in re dubia poni malo.

XIV. *Quo in loco ſepultus eſt?*

℞. Parum inter auctores conſtat. Alii in oppido Macherunte, ubi teſte Joſepho l. 18. Antiquit. cap. 5. morti datus eſt: Alii Hebrone in paterno ſepulcho: Alii demum Sebaſte, quæ eſt Samaria. Hoc poſtremum, quod ſcribit etiam Baronius ad an. 33. §. 4. vix auſim affirmare propter diſſidium, quod Judæos inter & Samaritanos intercedebat. Illuc potius translatum arbitror. Patet enim ex Rufino lib. 11. cap. 28. Theodoreto lib. 3. cap. 7. & Gregorio Magno lib. 11. epiſt. 45. Philoſtorgio lib. 7. cap. 4. ejus ibi ſepulchrum ſub Juliano Apoſtata ab Ethnicis apertum, & oſſa combuſta. (25) Caput non eſt una cum corpore ſepultum. Nam ſi fides habenda Nicephoro lib. I. extremo cap. 19. Herodias *Joannis reprehenſionem quodammodo etiam poſt capitis reſectionem verita, conjungereque id rurſus corpori timens, apud ſe remotis arbitris in abſtruſiore Regiæ loco ſepeliendum duxit.*

XV. *Fuitne Martyr?*

Cap. 19. Pag. 804. tom. 5. ℞. Hac de re Chryſoſtomo ſcribenti *ad eos, qui ſcandalizati ſunt*, ita perſuaſum fuit, ut illum non modo *Martyrem*, ſed etiam *Martyrum primum* appellare non dubitaverit. Idem hom. 1. ad populum Antiochenum: *Conſervum*, inquit,

Pag. 21. tom. 1.

(25) De Joannis Baptiſtæ tumulo Sebaſte meminit etiam Hieronymus epiſt. 17. & 27. at reliquias combuſtas, non ſcribit. Vide Cellarii diſſertationem *De Joannis Baptiſtæ carcere & ſupplicio*, §. 15. pag. 391.

quit, *vel æqualem corrige, & ſi mori opus ſit, caſtigare fratrem ne torpeas, martyrium tibi hoc eſt: quoniam & Joannnes Martyr fuit*. Sane quamvis morte affectus non ſit *pro illo nomine, quo Chriſtiani ſumus*, ut ait Auguſtinus extrema Enarrat. in Pſal. 140. tamen interfectus eſt *pro lege veritatis, pro æquitate, pro juſtitia; ideo ſanctus, & ideo Martyr*. Quamquam pro Chriſti confeſſione videtur occiſus, cum ſanguinem fuderit *pro veritate*, atque ideo pro Chriſto, qui *veritas* eſt: ut recte animadvertit Gregorius Magnus lib. 11. Epiſt. 68. interrogatione 6. (26)

XVI. *Num quid inſuper de Joanne Baptiſta narrandum reſtat?*

℟. Duo hæc videlicet. Primum eſt, eum teſte Evangeliſta Joanne *ſignum feciſſe nullum*; & *idcirco*, Joanne Chryſoſtomo interprete, nullum feciſſe, *ut ex hoc quoque multitudinem traderet Chriſto, quæ ad eum multitudine ſignorum conflueret. Si enim tot rebus rite peractis, & ante carcerem Joannis, & poſt carcerem, diſcipuli ejus tam pertinaci adverſus Chriſtum æmulatione fervebant, ut plerique non ipſum, ſed Joannem Chriſtum eſſe ſuſpicarentur; ſi horum nihil fuiſſet, quid tandem accidiſſet?* (27) Alterum eſt a Tertulliano lib. 4. ad-

Cap. X. 41.

In Matth. hom. 14. Pag. 128.

(26) D. Thomas 2. 2. quæſt. 124. art. 5. ubi probat, actum virtutis ſufficere ad rationem martyrii. *Unde & Beati Joannis Baptiſtæ martyrium in Eccleſia celebratur, qui non pro neganda fide, ſed pro reprehenſione adulterii mortem ſuſtinuit*. Vide Suarez in 3. Part. D. Thomæ tom. 2. diſputat. 24. ſect. 6. & Lambertinum De Serv. Dei Baetif. & Beat. Canoniz. lib. 3. cap. 19. §. 4.

(27) S. Thomas 3. part. quæſt. 38. art. 2. ad 2. *Tota doctrina & operatio Joannis ordinabatur ad Chriſtum, qui multitudine ſignorum & ſuam & Joannis doctrinam confirmavit, Si*

Digitized by Google

adverſus Marcionem cap. 33. *limitem quemdam agnoſci Joannem conſtitutum inter vetera , & nova , ad quem deſineret Judaiſmus , & a quo inciperet Chriſtianiſmus* . Quo reſpexit etiam S. Paulinus
Carm. 24. his verſibus:

Hic eſt Præcurſor Domini , & Baptiſta Joannes ,
Idem Evangelii ſacra janua , metaque Legis . (28)

Si autem Joannes ſigna feciſſet , homines ex æquo Joanni & Chriſto attendiſſent . Et ideo ut homines principaliter Chriſto intenderent , non eſt datum Joanni , ut faceret ſignum . Judæis tamen quærentibus , quare baptizaret , confirmavit ſuum officium auctoritate Scripturæ dicens : Ego vox clamantis in deſerto &c. *ut dicitur Joan.* 1. *Ipſa etiam auſteritas vitæ , ejus officium commendabat , quia , ut Chryſoſtomus dicit* hom. 10. *ſuper Matth.* mirabile erat , in humano corpore tantam patientiam videre .

(28) S. Juſtinus in Dialog. cum Tryphone pag. 268. *Poſt* Joannem *nullus alius apud* Judæos *Propheta apparuit* .

S. Thomas 3. part. quæſt. 38. art. 1. ad 2. *Joannes fuit terminus Legis , & initium Evangelii* .

DE

DE
DUOBUS ET SEPTUAGINTA
DISCIPULIS.

I. *Quare agis hoc loco de duobus & ſeptuaginta Diſcipulis?*

℟. QUia Apoſtoli etiam ipſi ſunt, & dicuntur. Nam, ut ait Lucas, *deſignavit Dominus & alios ſeptuaginta duos, & miſit illos binos ante faciem ſuam*. Miſſi igitur ſunt a Chriſto, ut prædicarent, & miracula perpetrarent. Quid autem eſt Apoſtolum eſſe, ſi hoc non eſt? Confirmat ſententiam hanc ex D. Paulo Hieronymus in cap. I. Epiſt. ad Galatas: *Quod autem*, inquit, *exceptis duodecim, quidam vocentur Apoſtoli, illud in cauſſa eſt, omnes, qui Dominum viderant, & eum poſtea prædicabant, ſuiſſe Apoſtolos appellatos, ut ad Corinthios ſcribitur*. (1) Locus autem ita habet: *Viſus eſt Cephæ, & poſt hoc undecim. Deinde viſus eſt plus quam quingentis fratribus ſimul: deinde viſus eſt Jacobo; deinde Apoſto-*

Cap. X. 1. Pag. 125. 1. ad Cor. XV. 5.

(1) Idem paullo poſt ita ſubjungit: *Paulatim vero tempore procedente, & alii ab his, quos Dominus elegerat, ordinati ſunt Apoſtoli: ſicut ille ad Philippenſes* (cap. II. 25.) *ſermo declarat, dicens*: Neceſſarium autem exiſtimavi Epaphroditum fratrem, cooperatorem, & commilitonem meum, veſtrum autem Apoſtolum, miniſtrum neceſſitatis meæ mittere ad vos. *Et ad Corinthios* (Epiſtola II. cap. VIII. 23.) *de talibus ſcribitur*: Sive Apoſtoli Eccleſiarum in gloria Dei. *Silas quoque & Judas ab Apoſtolis Apoſtoli nominati ſunt*. Eodem modo Andronicus, & Junias in epiſtola ad Romanos cap. XVI. 7. *nobiles in Apoſtolis* fuiſſe dicuntur. Vide Baronium ad an. 58. §. 9.

Digitized by Google

ſtolis omnibus. Sane patet aliquid intereſſe diſcriminis inter duas locutiones has: *Viſus eſt Cephæ, & poſt hoc undecim, & viſus eſt Apoſtolis omnibus*. Poſtrema hæc verba illos etiam Apoſtolos complectuntur, qui in duodecim Apoſtolorum numero non habentur. Quod ſi aliorum etiam Patrum teſtimonia requiris, ſeptuaginta Diſcipulos Apoſtolos vocat Tertullianus adverſus Marcionem lib. 4. cap. 24. Euſebius lib. 1. Hiſt. Eccl. cap. 12. Chryſoſtomus, Theodoretus, ac Teophylactus, ut hæc omnium antiquorum fuiſſe videatur communis vox atque ſententia. (2)

II. *Fueruntne revera ſeptuaginta duo, an duntaxat ſeptuaginta?*

Bar. ad an. 33. §. 38.

℟. Cum Græcus D. Lucæ textus ſeptuaginta tantum fuiſſe Chriſti diſcipulos habeat, Latinus vero ſeptuaginta duos; idcirco utra lectio vera ſit, diſceptatur. Me eorum ſententiæ adſcribito, qui Chriſti diſcipulos duos & ſeptuaginta faciunt, ſecuti Epiphanium, Auguſtinum, Hieronymum, alioſque. Vetuſtiſſimi enim Patrum Irenæus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Euſebius, & ſi qui ſunt alii, qui ſeptuagenario eos numero concludant, ii more quodam loquendi numerum integrum referunt, eo plane modo, quo ſeptuaginta dicuntur *Interpretes, qui Sacram Scripturam ex Hebræo in Græcum idioma rogatu Ptolomæi Philadelphi Regis Ægypti converterunt, quamvis ſeptuaginta duos fuiſſe conſtet*. (3) Quare D. Hie-

(2) Chryſoſtomus in Epiſtolam. 1. ad Corinthios hom. 38. pag. 667. Theodoretus in eamdem epiſtolam cap. XII. 28. pag. 183. tom. 3. Theophylactus in eamdem ſimiliter epiſtolam cap. XV. 7. pag. 294.

(3) Bollandiani die 15. Julii pag. 17. ubi addunt, hinc factum, ut *Origenes modo 70. modo 72. Chriſti diſcipulos enume-*

Hieronymus ſcribens ad Fabiolam, cum Diſcipulos Chriſti comparaſſet ſeptuaginta palmis, quæ eo tantum numero, juxta Scripturæ teſtimonium, erant in Elim, poſtea re examinatius perpenſa, numerum ſeptuaginta duorum in Lucæ Evangelio aut reliquit, aut repoſuit, atque ita emendatum una cum aliis tribus ad Damaſum Summum Pontificem miſit. (4) Itaque Cotelerius in annotat. ad cap. 40. lib. 1. Recognitionum S. Clementis docet, *numerum 72. per numerum 70. exprimi poſſe, non autem 70. per 72.*

Exod. XV. 27.

Pag. 502.

III. *Quinam ſunt duo iſti & ſeptuaginta Diſcipuli?*

℟. Euſebius diligentiſſimus inveſtigator antiquitatis lib. 1. Hiſt. Eccl. cap. 12. fatetur, *eorum ſeriem nullibi præſcriptam reperiri:* (5) recenſet tamen

Bar. ad an. 33. §. 41.

meraret, ut legere licet apud Cotelerium in annotat. ad cap. 40. lib. 1. Recognitionum S. Clementis pag. 502. num. 2. David Blondell. in Diſſertat. de LXX. diſcipulis cap. 1. apud Joan. Albertum Fabricium De Vita, & Morte Moſis pag. 488. Inter Sanctos, qui Idibus Julii coluntur, de duobus & ſeptuaginta diſcipulis meminit Petrus de Natalibus lib. *6*. cap. 100. idque faciunt etiam Hagiologi recentiores aliqui. Græci in Menologiis, Latinique Martylogj die 4. Januarii eorum memoriam celebrant, ut eſt apud cit. Bollandianos.

(4) Epiſt. 127. ad Fabiolam Manſione *6*. pag. 711. & Epiſt. 123. ſeu Præfatione in quatuor Evangelia ad Damaſum pag. *697*.

(5) Hinc ſatis refelluntur, qui auſi ſunt ſeptuaginta duorum Diſcipulorum Domini catalogum contexere, & certa nomina prodere, Hippolytus, Dorotheus, Chronicon Alexandrinum, ſeu Paſchale. Hippolytus in Appendice ad ejus opera edita a Joanne Alberto Fabricio pag. 41. Dorotheus tom. 3. Bibl. Patr. pag. 427. & ad calcem Chronici Paſchalis pag. 342. editionis Venetæ, & ipſum Chronicon Paſchale pag. 171. & 179. Vide Diſputationem noſtram I. ex iis, quas ſcripſimus ad Vitas Pontificum Romanorum & annotationem 16. ad S. Thomam.

men aliquos, hominum fortaſſe ſermone etiam tum celebratos, Barnabam videlicet, Soſthenem, Matthiam, Joſephum Barſabam, Thaddæum, & Jacobum. Barnabam dicit eum fuiſſe, *cujus cum in Actibus Apoſtolorum crebra ſit mentio, tum in Pauli ad Galatas epiſtola:* Soſthenem *eum qui una cum Paulo litteras ad Corinthios ſcripſit:* (6) Cepham ex Clementis *libro quinto hypotypoſeon illum Petro Apoſtolo cognominem, cui Antiochiam ingreſſo Paulus ſe palam reſtitiſſe dicit, quoniam reprehen-*
Ad Gal. cap. II. 11. *ſione dignus erat:* (7) Matthiam, *qui Judæ proditoris loco in numerum Apoſtolorum adſcriptus eſt:* Joſephum Barſabam *illum, qui cum Matthia pari ſuffragio fuit honoratus:* Thaddæum, ego crediderim, fratrem S. Thomæ: (8) Jacobum vero idem Euſebius ibidem & *unum ex ſeptuaginta Diſcipulorum numero, ac præterea ex fratribus Domini* habitum fuiſſe teſtatur. *Papias Joannis auditor, & ſodalis Polycarpi ſcriptor antiquus* apud eumdem Euſebium lib. 3. cap. 39. Chriſti Diſcipulos appellat Ariſtionem, & Joannem alium ab Evangeliſta, eoſque Presbyteros cognominat. Origegenes, ſeu alius Auctor Dialogorum contra Mar-
Pag. 50. & 428. cionitas addit Marcum, & Lucam: (9) quod facit etiam Epiphanius hær. 20. §. 4. & hær. 51. §. 6. adjungens his ſeptem Diaconos. Multo tamen certius duobus & ſeptuaginta Diſcipulis annumerantur Andronicus, & Junias, quos *cognatos*,

(6) Epiſtola ad Corinthios I. cap. I. 1. 2. *Paulus vocatus Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei, & Soſthenes frater Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi.*

(7) Lege modo memoratam Diſputationem noſtram I. ubi ex S. Hieronymo eos confutavimus, qui volunt, a D. Paulo non fuiſſe reprehenſum Petrum, ſed *alium de Septuaginta Diſcipulis iſto vocabulo nuncupatum.*

(8) Vide ſupra in vita S. Thomæ, Interogation. 10.

(9) Dialogo primo pag. 816. tom. 2. editionis Baſileenſis an. 1571.

tos, *& concaptivos* vocat D. Paulus, (10) Ananias, qui D. Paulum baptizavit, Simon ſeu Simeon cognomento *Niger*, Lucius Cyrenenſis, & Manahen *Prophetæ*, *& Doctores*, qui manus eidem D. Paulo impoſuerunt: præterea Judas cognomine *Barſabas*, & Silas Prophetæ, ac principem *in fratribus* locum obtinentes, & Mnaſon antiquus diſcipulus appellatus. (11)

Act. IX. 10. Act. XIII. 1. Act XV. 22. 32. Act. XXI. 16.

V IV.

(10) In Epiſtola ad Romanos cap. XVI. 7. ubi ſtatim ſubjicit hæc: *Qui ſunt nobiles in Apoſtolis*, ideſt *nobiles inter prædicatores*, ut explicat D. Thomas in hunc locum, *qui & ante me fuerunt in Chriſto*, ſcilicet *prius fuerunt converſi, quam ipſe Apoſtolus*, ut ait idem S. Thomas. Novi interpretes *Juniam* æque, atque Andronicum viri nomen eſſe, exiſtimant; S. Chryſoſtomus hom. 31. in citatam Pauli epiſtolam pag. 317. ac Theophylactus in eamdem Epiſtolam pag. 155. nomen fœminæ. His conſentit Menologium Græcorum editum per Cardinalem Sirletum die 17. Maji apud Caniſium tom. 3. Lectionum Antiquarum part. 1. pag. 431. & Menologium Baſilii Imperatoris apud Bollandum ad memoratum diem pag. 4. tom. 4.

Juliam pro *Junia* habet textus apud Origenem in hunc locum pag. 629. citati tom. 2.

(11) Bollandus die IV. Januarii pag. 162. *Sanctorum* LXXII. *Chriſti Diſcipulorum agunt Græci hoc die commemorationem*.

Galeſinius in Martyrologio Romano 4. Jan. *In Græcia commemoratio Sanctorum ſeptuaginta duorum Diſcipulorum Domini*.

Sauſſajus in Martyrologio Gallicano ad eumdem diem, pag. 9. tom. 1. *Commemoratio Sanctorum ſeptuaginta duorum Diſcipulorum Domini, quorum plerique Gallias cæleſti Evangelicæ veritatis lumine irradiantes, Eccleſiarum multarum inſignium illic fundamenta, adhuc ſolida, poſuerunt*. Utrum Sauſſajo ſit adjungenda fides, dubitant Bollandiani Idibus Julii pag. 17. tom. 4. *Hæc de Eccleſiarum Gallicanarum fundamentis ſatis confidenter & magnifice aſſeruntur: utinam tam vere ac ſolide probarentur*.

Digitized by Google

IV. *Quinam ſunt, de quibus dicere maxime præſtat?*

℟. Evangeliſtæ Marcus, & Lucas, quos præter Apoſtolos Matthæum, & Joannem Spiritus Sanctus ad Evangelium conſcribendum elegit, tum *ne putaretur*, ut ait Auguſtinus, *gratiam evangelizandi uſque ad Apoſtolos perveniſſe, & in illis fontem gratiæ defeciſſe;* tum etiam *ne putaretur*, quemadmodum docet idem Auguſtinus alio loco, *quod attinet ad percipiendum, & prædicandum Evangelium, intereſſe aliquid, utrum illi annuntient, qui eumdem Dominum hic in carne apparentem Diſcipulatu famulante ſecuti ſunt, an ii, qui ex illis fideliter comperta crediderant*. (12) Porro Matthæus & Joannes res a Chriſto geſtas, ut viderant, Marcus autem & Lucas, ut ab oculatis teſtibus acceperant, litteris conſignarunt. Præſtat igitur de his primum, deinde de ſeptem Diaconis, qui pariter in numero Apoſtolorum habentur a quibuſdam, verba facere.

(12) Aug. Serm. 239. cap. 1. §. 1. & de conſenſu Evangeliſtarum lib. I. cap. I. §. 2.

DE

DE
S. MARCO
EVANGELISTA.

I. *Quid habes de S. Marco?*

℟. Multa ex variis Scriptoribus depromta, quæ ut conferantur in pauca, ſic habeto. Marcus Judæus fuit, natione Cyrenenſis in Libya, ſeu Pentapoli. *Sacerdotali ortum proſapia*, vult Beda in Præfatione ad ejus Evangelium. Nicephorus lib. 2. Hiſt. Eccl. cap. 43. *Petri ſororis filium* facit, diſcipulum & interpretem plures ex antiquis Patribus, ejuſdemque filium *ſpiritualem*, qui ab ipſomet Petro ad calcem prioris epiſtolæ commemoratur. (1) Hic ab eodem D. Petro Romam cogitante itineris comes aſcitus eſt; qua in Urbe *rogatus a fratribus*, *juxta quod Petrum referentem audierat*, (2) *breve ſcripſit Evangelium*, (3) *imitatus* eumdem Petrum *magiſtrum* ſuum Pag. 91. tom. 5.

V 2 *ver-*

(1) *Marcus hic, ut videtur, Petri opera converſus*, *I. Petri* V. 13. *nam tales peculiariter* filios ſuos *Apoſtoli vocabant*; I. *Corinth.* IV. 15. *Galat.* IV. 19. *Philem.* 10. Grotius in Marc. cap. 1. Tom. 6. Crit. Sacrorum pag. 13.

Hieronymus in Eſaiam cap. 65. pag. 221. *Quales & in novo Inſtrumento Apoſtoli genuerunt, Paulus Timotheum, Lucam, & Titum, multoſque alios, Petrus Marcum Evangeliſtam, & ceteri ceteros.*

(2) *Qui pro audientium utilitate, non vero ut ſermonum Domini hiſtoriam contexeret, Evangelium prædicabat.* Papias apud Euſebium lib. 3. Hiſt. Eccl. extremo cap. 39.

(3) S. Hieronymus de Scriptoribus Eccleſiaſticis c. 8. pag. 272. Euſebius Demonſtrat. Evangel. l. 3. pag. 120. *Petri familiaris ac diſcipulus Marcus in commentarium retuliſſe ejuſ-*

verborum paucitate gaudentem, uti *Lucas Paulum fluminum copiam ubertate loquendi ſuperantem*. (4) Quod cum Apoſtolus Petrus cognoviſſet, diſcipulum laudavit, ejuſque opus *probavit*, & *Eccleſiæ legendum ſua auctoritate dedit*. (5) Quo factum eſt, ut aliqui, quemadmodum Baronius narrat, Petro ipſi Marci Evangelium adjudicarent. (6) Idem Marcus Aquilejenſem Eccleſiam primo fundavit, eique, Romam accitu Petri diſceſſurus, S. Hermagoram Civem Aquilejenſem præpoſuit. Maritimum iter ingreſſus recta navigat in Paludes, ubi nunc Rivaltina, ſeu Veneta Civitas conſtructa dignoſcitur, cui etiam tum Rivoaltus nomen erat: quo cum perveniſſet, & naviculam urgente vento ſubduxiſſet, rapitur extra ſe, atque ita ſenſibus alienatus videt Angelum dicentem ſibi: *Pax tibi Marce, Hic requieſcet corpus tuum*. Timenti vero, ne naufragium pateretur, adjecit Angelus. *Ne timeas, Evangeliſta Dei, quia adhuc tibi grandis via reſtat, multaque te pro Chri-*

Ad an. 45. §. 30.

ejuſdem de rebus geſtis Jeſu narrationes memoratur. Et pag. 122. *Omnia, quæ apud Marcum leguntur, narrationum ſermonumque Petri dicuntur eſſe commentaria*.

Tertullianus lib. 4. adverſus Marcionem cap. 5. *Licet & Marcus quod edidit, Petri affirmetur, cujus interpres Marcus. Nam & Lucæ Digeſtum* (Evangelium) *Paulo aſcribere ſolent. Capit magiſtrorum videri, quæ diſcipuli promulgarint*.

Ambroſius in Luc. cap. 23. pag. 215. *Hoc etiam Marcus, qui ſecutus eſt Petrum, & ex ipſo potuit verius cognoſcere*.

(4) S. Chryſoſtomus hom. 4. in Matthæum pag. 30.

(5) S. Hieronymus loco citato.

(6) Idem Baronius ad an. 45. §. 31. *Quod vero Auguſtinus* (de conſenſu Evangeliſtarum lib. 1. cap. 2.) *de Marco dicat, fuiſſe breviatorem Matthæi, non ita accipiendum eſt, ut Evangelium a Matthæo editum Marcus redegerit in compendium; ſed quod multa, quæ a Matthæo eſſent fuſius enarrata, Marcus ſecundum quod a Petro accepiſſet, breviori narratione contracta deſcripſerit: cum aliqui ea, quæ a Petro prolixiori ſermone, ut ſuam negationem, prolata audiſſet, liberius, quam Matthæus, ſcriptis mandarit*.

Chriſti nomine pati. Poſt vero paſſionem tuam circumvicinarum regionum devoti, & fideles populi, Infidelium crebras perſecutiones declinare volentes, hic magnificam Urbem fabricabunt, & corpus tuum denique habere merebuntur: quod ſumma veneratione colent, tuiſque meritis & precibus plurima beneficia conſecuturi ſunt. Ad hæc Marcus expergefactus gratias Deo agens, *Domine*, inquit, *fiat voluntas tua.* Inde *proſpero curſu Romam accedens, Petro Apoſtolo, quæ geſſerat, enarravit.* (7) Sed cum poſtea Judæi edicto Claudii Imperatoris Roma pellerentur, Marcus quoque una cum Petro migrare inde coactus eſt. Hac occaſione, Petri imperata faciens in Ægyptum ſe contulit, ut ſcriptum ab ſe Evangelium prædicaret, atque id populis *traderet, quod ab ordinatore* Petro *ſuſceperat.* (8) Ac primum quidem Cyrenem, unde oriundus dicitur, veniens, plurimos per Baptiſmum Chriſto initiavit. Tranſtulit ſe inde Alexandriam, ubi tam multi ejus opera divinam Chriſti legem amplexi ſunt, ut eorum numero & virtutibus permota Civitas in ipſum tamquam numinum everſorem conjuraverit. Itaque vim declinandam ratus, Aniano, quem ad omnem pietatis rationem inſtituerat, Epiſcopo creato, receſſit, & Cyrenem remigravit. Biennio tranſacto Alexandriam reverſus, gaudio ingenti a Fidelibus exceptus eſt, gaudens ipſe quoque Chriſtianorum numerum quotidie plus augeri, eoſque tanta inter ſe caritate conjunctos vivere, ut quemadmodum Hieroſolymis, ita Alexandriæ omnia haberent communia. Poſt hæc, ſi Chronico Orientali libet credere, Ro-

(7) Andreas Dandulus in Chronico lib. 4. cap. 1. apud Muratorium tom. 12. Rer. Italic. pag. 13. 14. & 15. Vide Monumenta Eccleſiæ Aquilejenſis illuſtrata a Joan. Fran. Bernardo Maria de Rubeis cap. 1.

(8) S. Leo ep. 11. alias 81. pag. 220.

Romam repetiit, & Petri ac Pauli martyrio præſens adfuit. Cum Roma decedens Alexandriam rediiſſet, Ethnicos jam exacerbatos, quod eorum idola Chriſtiani deriderent, inſtaurata impenſius Evangelii prædicatione ita accendit, ut extremum vitæ diſcrimen ſubiret. Exinde divina ope adjutus aliquando latuit. Tandem dum rem divinam faceret, comprehenditur, & collum fune innexus, diem integrum per urbem trahitur. Veſpere in carcerem detruſus, eadem nocte bis per viſum ab Angelo primum, deinde a Chriſto recreatur. Alter enim, nomen ejus ſcriptum eſſe in libro Vitæ nunciavit; alter vero pacem eidem dedit. Mane diei inſequentis VIII. Kal. Majas eductus e cuſtodia iterum per urbis vias raptatus eſt, donec anima in Cælum abiens corpus reliquit. (9) Reliquit *autem octavo Neronis anno, &* *ſe-*

(9) Chronicon Orientale Petri Rahebi Ægyptii Latine redditum ab Abrahamo Ecchellenſi pag. 73. & 74. edit. Venet. an. 1719. & Bollandus die 25. Aprilis pag. 348. §. 8. pariter editionis Venetæ.

Pallium D. Marci ſexto Chriſti ſæculo Alexandriæ ſervabatur. Nam Liberatus ſcriptor ejus ætatis cap. 20. Breviarii apud Labbeum tom. 5. Conc. pag. 773. *Conſuetudo eſt Alexandriæ, illum, qui defuncto ſuccedit, excubias ſuper defuncti corpus agere, manumque dexteram ejus capiti ſuo imponere, & ſepulto manibus ſuis, accipere collo ſuo beati Marci pallium, & tunc legitime ſedere.*

De Epiſcopali autem cathedra S. Marci, quæ pariter Alexandriæ religioſiſſime colebatur, mentionem faciunt Acta S. Petri Alexandrini apud Valeſium in annotat. ad Euſebium lib. 7. cap. 32. pag. 144. Bollandianos die XXV. Aprilis pag. 349. & apud Baronium ad an. 310. §. 12. in quibus legitur idem S. Petrus non in ea, ſed in ſcabello ad pedes ejus conſidere ſolitus, quod *videret quamdam in eo throno divinam ſedere virtutem, fulgore luminis admodum radiantem.*

Ceterum, ait Valeſius, *non ſolius Jacobi, & Marci, ſed & omnium fere Apoſtolorum cathedræ in iis, quas fundaverant,*

ſepultus Alexandriæ, *ſuccedente ſibi Aniano*, ut ait S. Hieronymus de Scriptor. Eccl. cap. 8. (10) Pag. 272.

II. *Rectene ad numerum duorum & ſeptuaginta Diſcipulorum ab Epiphanio adſcribitur?*

℞. Ego vero, ut ingenue fatear, Epiphanii teſtimonium ſuperius attuli, magis quia D. Marcum dignum exiſtimavi, qui Apoſtolicæ Hiſtoriæ includeretur, ut vir Apoſtolicus, quam quod eadem; ac Epiphanius ſentirem. Neque enim Petrus eum filium ſuum, hoc eſt, ab ſe Chriſto genitum, ut ſcribit Hieronymus in Eſaiam c. 65. Pag. 221. appellaſſet, ſi ex duobus & ſeptuaginta Diſcipulis a Chriſto electis fuiſſet. Eorum proinde numero eximit vetuſtiſſimus auctor Papias apud Euſebium lib. 3. Hiſt. Eccl. c. 39. *Neque enim*, inquit, *ipſe Dominum audiebat*, *aut ſectatus fuerat*. Conſentiunt Auguſtinus, & Theodoretus, hic in Præfatione *Religioſæ Hiſtoriæ*, ille lib. 1. De conſen-

V 4 ſen.

rant, *Eccleſiis religioſiſſime ſervatæ ſunt*, *ut docet Tertullianus in libro de Præſcript. Hæretic. cap.* 36. Percurre, *inquit*, Eccleſias Apoſtolicas, apud quas ipſæ adhuc cathedræ Apoſtolorum ſuis locis præſident, apud quas ipſæ authenticæ litteræ eorum recitantur. *Scio*, *Rigaltium cathedras illic interpretari principales Eccleſias ab ipſis Apoſtolis conſtitutas*. *Verum ille Tertulliani locus hanc interpretationem non admittit*. *Eſſet enim* ταυτολογία, *cum antea dixerit Tertullianus*: Percurre Apoſtolicas Eccleſias. *Idem igitur eſſet*, *ac ſi diceret*, percurre Eccleſias Apoſtolicas, apud quas Eccleſiæ Apoſtolorum ſuis locis præſident. *Quare de ipſis Apoſtolorum ſedibus neceſſario intelligendus eſt hic Tertulliani locus*.

(10) Idem Hieronymus epiſt. 146. al. 85. pag. 624. *Alexandriæ a Marco Evangeliſta uſque ad* Heraclam & Dionyſium *Epiſcopos*, *Presbyteri ſemper unum ex ſe electum in excelſiori gradu collocatum Epiſcopum nominabant*: *quomodo ſi exercitus Imperatorem faciat*; *aut Diaconi eligant de ſe*, *quem induſtrium noverint*, & *Archidiaconum vocent*. Vide Ludovicum Du Meſnil. lib. 2. Doctrinæ & Diſciplinæ Eccleſiæ §. 89. pag. 92.

ſen. Evangeliſt. cap. 1. §. 2. & lib. 17. contra Fauſtum cap. 3. (11) Ivit in eamdem ſententiam etiam Gregorius ille Magnus in Præfat. lib. 1. Dialogorum. *Mihi*, inquit, *luce clarius conſtat, quia Marcus, & Lucas Evangelium, quod ſcripſerunt, non viſu, ſed auditu didicerunt.* (12)

III. *Eſtne idem, ac* Joannes Marcus?

Bar. ad an. 44. §. 42. & 45. ℟. Non eſt profectò. Primum quia Marcus Evangeliſta numquam appellatus eſt Joannes: deinde quia Marcus *Petri diſcipulus* erat, *Joannes Marcus* Barnabæ, teſte D. Hieronymo de Scriptor. Pag. 271. & 272. Eccl. cap. 6. & 8. poſtremo, quia ille Alexandriæ degebat, cum hic Romæ una cum D. Paulo diverſaretur. (13)

IV.

(11) Ex his ſi quis colligat, ad Apoſtolicam hiſtoriam Marci acta non pertinere, ille ſciat, eum Apoſtolicis, hoc eſt, Apoſtolorum diſcipulis accenſeri a Tertulliano lib. 4. contra Marcionem cap. 2. *Nobis*, inquit, *fidem ex Apoſtolis Joannes & Matthæus inſinuant: ex Apoſtolicis Lucas & Marcus inſtaurant*: & viros Apoſtolicos a veteribus Apoſtolorum nomine appellari ſolitos, ut exemplis pluribus docet Federicus Spanhemius lib. 3. Tom. 2. Miſc. ſacr. diſſertat. de Apoſtolatu. Vide infra ad S. Philippum.

(12) S. Athanaſius in Synopſi Scripturæ Sacræ pag. 155. tom. 2. utrumque vocat Apoſtolum.

(13) Cotelerius in Conſtitut. Apoſt. lib. 2. cap. 57. pag. 265. §. 11. *Nonnulli tres Marcos abſque neceſſitate ponunt, Marcum Evangeliſtam apud Petrum* (epiſt. I. cap. V. 13.) *Marcum conſobrinum Barnabæ apud Paulum* (ad Coloſ. cap. IV. 10.) *& Marcum, ſeu Joannem, filium Mariæ in Actis* (Cap. XII. 12. 25. XV. 37. 39.) *Quæ eſt opinatio Scriptorum* ὑποβολιμαίων (ſubdititiorum) *Hippolyti ac Dorothei. Itaque ab aliis Evangelium Marci tribuitur Marco conſobrino Barnabæ, Pauli adjutori; ab aliis Joanni Marco, filio Mariæ, propter quem diſſenſerunt Paulus, & Barnabas; a ceteris melius Marco filio, auditori, ac interpreti Petri, primo Alexandriæ Epiſcopo. Et verius loquuntur, qui dicunt, Marci Evangelium compoſitum fuiſſe ex ſermonibus Petri, quam qui a-*

junt,

IV. *Quo in loco ſcripſit Evangelium?*

℞. Scripſiſſe Romæ tradunt veterum plerique. Irenæus lib. 3. adver. Hæreſes cap. I. Origenes apud Euſebium lib. 6. Hiſt. Eccl. cap. 25. Euſebius ipſe lib. 2. cap. 15. Hieronymus de Scriptor. Eccleſ. cap. 8. At ſcripſiſſe *in Ægypto rogantibus Diſcipulis*, affirmat Chryſoſtomus hom. I. in Matthæum, pag. 4. (14) Bar. ad an. 45. §. 29.

V. *Quo anno, & quo ſermone?*

℞. Vivo Petro ſcripſiſſe, teſtes ſunt ex veteribus haud pauci. (15) Petro & Paulo in Cælum jam Bar. ad an. 45. §. 29.

jam, Marcum ſuggerente, dictante, ac inſtruente Paulo ſcripſiſſe.

(14) Eſt qui Chryſoſtomum cum aliis Patribus ita conciliet, ut hi quidem locuti fuerint de Evangelio tradito Romanis a D. Marco, tamquam interprete D. Petri: Chryſoſtomus vero locutus fuerit de Evangelio tradito Ægyptiis tamquam Apoſtolo & Epiſcopo.

Rufinus lib. 3. Hiſt. Eccl. cap. 4. *Marcus, quæ ex ore Petri fuerant prædicata, conſcripſit.*

Euſebius lib. 3. Demonſtrat. Evangelicæ cap. 5. pag. 120. *Petrus ex nimia quadam reverentia ne dignum quidem ſe ſcriptione Evangelii exiſtimavit. Sed ejus familiaris ac diſcipulus, Marcus in commentarium retuliſſe ejuſdem de rebus geſtis Jeſu narrationes memoratur.* Et pag. 121. *Cum hæc*, quæ ſunt apud Matthæum cap. XVI. 16. 17. 18. 19. *dicta ſint Petro ab Jeſu*, *Marcus* cap. VIII. 29. 30. *nihil horum commemorans, propterea quod ne Petrus quidem, ut veriſimile eſt, talia in ſuis narrationibus enuntiavit, audi quid dicat poſt Jeſu interrogationem*: reſpondens *inquit*, Petrus dicit: Tu es Chriſtus, & comminatus eſt eis, ut nemini dicerent de ipſo. *Hæc ſane Petrus merito tacenda judicavit, quare etiam Marcus ea præteriit.* Et pag. 122. *Omnia, quæ apud Marcum leguntur, narrationum ſermonumque Petri dicuntur eſſe commentaria.*

(15) Auguſtinus de conſenſu Evangeliſtarum lib. 4. extremo

jam receptis ſcripſiſſe, unus tradit Irenæus lib. 3. adverſ. Hæreſes cap. I. (16) Ego primis magis aſſentiens, anno Chriſti 43. ſeu potius 45. ſcriptum a D. Marco Evangelium exiſtimo, & quidem Græce, non Latine. Nam Auguſtinus lib. 1. de Conſenſu Evangeliſt. cap. 2. *Horum ſane quatuor*, inquit, *ſolus Matthæus Hebræo ſcripſiſſe perhibetur eloquio, ceteri Græco*. Quod etiam Hie-
Pag. 697. ronymus epiſt. 123. certum affirmat: *De novo nunc loquor Teſtamento, quod Græcum eſſe, non dubium eſt, excepto Apoſtolo Matthæo, qui primus in Judæa Evangelium Chriſti Hebraicis litteris edidit*. Tantorum virorum teſtimonio robur addit Evangelium ipſius D. Marci manu, ut creditur, ſcriptum, ſæculo XV. labente, Aquileja Venetias translatum, & religione ſumma ſervatum, quod Græcum eſſe, a peritis animadverſum, ac notatum eſt. (17)

VI.

tremo cap. 8. *Eo tempore ſcripſerunt Marcus, & Lucas, quo non ſolum ab Eccleſia Chriſti, verum etiam ab ipſis adhuc in carne manentibus Apoſtolis probari potuerunt*.

Beda in Marcum cap. 16. *Evangelium ſuum Marcus quanto tardius ceteris inchoavit, tanto in longiora ſcribendo tempora porrexit... & ad illud uſque tempus narrando pervenit., quo Apoſtoli idem Evangelii verbum totum diſſeminavere per orbem*.

(16) Verba S. Irenæi ſunt μετὰ δὲ τὴν τούτων ἔξοδον. Vox hæc ἔξοδος, *exceſſus, exitus* ambigua eſt, & æque ſignificare poteſt exceſſum e vita, atque exceſſum ex loco aliquo. Hinc illa Irenæi verba, quæ recitantur ab Euſebio lib. 5. cap. 8. ita vertit Henricus Valeſius: *Poſt horum vero interitum:* Joannes autem Erneſtus Grabe ita: *Poſt vero horum exceſſum*, atque interpretatur *exceſſum non e vita*, *ſed Urbe Roma*. Vide Renatum Maſſuetum in locum memoratum S. Irenæi.

(17) Maximilianus Miſſonius in Itinere Italico, quod anno 1688. ſuſcepit, pag. 158. Codicem illum Græcum eſſe ſcribit, quod ante ipſum ſcripſerat Cornelius a Lapide in Præfatione ad Evangelium D. Marci ex fide Canonici D. Marci Venetiis viri gravis & teſtis oculati. Montfau-

co-

VI. *Quænam ſunt, & quomodo confutantur eorum argumenta, qui Latine ſcripſiſſe putant?*

℞. Tria principio afferunt teſtimonia. Primum eſt Libri Pontificalis in Petri vita: ſecundum Eutychii Alexandrini *De originibus Eccleſiæ ſuæ*. Ille *Latina*, hic *lingua Romana* ſcriptum a D. Marco Evangelium teſtatur. Verum qualis eſt auctoritas Scriptoris incerti, cujuſmodi eſt auctor Libri Pontificalis, qui poſt ſæculum Chriſti ſextum floruit, & Eutychii magni fabulatoris, ut ſummis viris Auguſtino, & Hieronymo præponantur? Quanquam Eutychii locus nihil omnino conficit, ſi id verum eſt, quod annotatur a Seldeno, linguæ Romanæ nomine etiam Græcam quandoque ab Orientalibus intelligi. (18) Sequitur

Bar. ad an. 45. §. 39.

conius e contrario Diarii Italici cap. 4. pag. 55. *Characteres*, inquit, *etſi vix legi poſſint, evidenter Latini ſunt: nam multoties occurrunt litteræ D. & R. quæ non habent eamdem in Græcis, atque in Latinis formam*. Sed his non reſpondent ea, quæ idem Montfauconius habet in Palæographia Græca. Nam lib. 2. c. 3. pag. 127. Τȣ̃ δέλτα, inquit, *utraque forma*, ſcilicet Δ, *& D. vetuſtiſſima eſt*. Reperitur inſuper eadem forma τȣ̃ δέλτα in inſcriptionibus Athenienſibus ab eodem allatis lib. 2. c. 5. pag. 135. ubi legitur ODENI, & multa alia Græca nomina, quæ Δ Græcum referunt ut D. Latinum. Quod videre licet etiam in Alphabetis Græcis lib. 2. cap. 1. pag. 122. & lib. 4. cap. 10. p. 336. Ad litteram R. quod attinet: Præterquam quod Alphabeta memorata Rho Græcum repræſentant, ut R. Latinum, ita loquitur Montfauconius lib. 2. cap. 3. pag. 132. P. h. e. Rho *eamdem habet formam, quam Phœnicia littera; in marmoribus tamen Baudelotiano, & Herodis Attici lineolam præfert hoc ritu R, ut ad R latinum prorſus accedat*. Cetera, quæ affert contra Miſſonium, utrum vera ſint, & inconcuſſa, viderint alii. Vide Jo. Fran. Bernardi Mariæ de Rubeis Monumenta Eccleſiæ Aquilejenſis cap. 2. & Jo. Albertum Fabricium in Bibl. Eccleſiaſtica pag. 53.

(18) In notis ad eumdem Eutychium pag. 152.

Pag. 103. tur tertium Gregorii Nazianzeni, qui Carm. 44. Marcum cecinit *Auſoniæ Chriſti miracula genti*
Pag. 102. *memoraſſe*. At idem Nazianzenus Carm. 41. dixerat, Joannem *mortalibus*, hoc eſt populis omnibus ſcripſiſſe. Quemadmodum igitur nemo ſanæ mentis colligat, Joannem omnibus linguis ſcripſiſſe, quod Evangelium ſuum in uſum gentium omnium ediderit; ita haud recte ratiocinari ille videatur, qui putet ſe ſatis oſtendiſſe, Marcum in ſuo Evangelio Latina lingua uſum, ex eo quod Italorum commodo ſcripſerit. Accedit, quod non magis opus fuit Latine ſcribi a D. Marco Evangelium, quod Romanis ac Italis uſui poſſet eſſe, quam Latine ſcribi ad Romanos Epiſtolam, quæ tamen Græce a D. Paulo ſcripta eſt. Teſtimoniis addunt etiam rationem, quod Tiberii Imperatoris auctoritate, & exemplo Græca lingua Romæ jam exoleſceret. At omnino exoleviſſe non conſtat. Illud potius eſt verum, ita poſtea Romanis omnibus familiarem fuiſſe, ut,
Satyra quod conqueritur Juvenalis, qui Domitiani tem-
VI. 185. poribus vixit, mulierculæ ipſæ Græce ſcirent, & loquerentur. Atque hæc ſunt potiſſima rationum momenta, quibus adverſarii nituntur.

VII. *Quid de poſtremo hujus Evangelii capite ſentit D. Hieronymus?*

℞. Recentioribus nonnullis videtur D. Hieronymus, cum ſcriberet ad Hedibiam, Epiſt. 150. quæſt. 3. dixiſſe, totum, quantum eſt, decimum ſextum & poſtremum hujus Evangelii caput, ubi
Pag. 802. hiſtoria Reſurrectionis Chriſti narratur, in pleriſque Græciæ libris deſiderari, ac proinde apocryphum oſtendere voluiſſe: quaſi vero vox *capitulum*, qua ille utitur, aliud non poſſit ſignificare, quam ea capita, in quæ nunc Evangelium D.

Mar-

Marci ſecatur, atque ita diviſum fuerit etiam Hieronymi ætate. Hieronymus igitur de Chriſto duntaxat Magdalenæ viſo, de quo verſu 9. 10. & 11. ſermo eſt, nullam fieri in *omnibus pæne Græciæ libris* mentionem animadvertit, cetera non vocat ad examen. Tantum vero abeſt, ut illam capitis partem rejiciat, ut etiam cum aliis Evangeliſtis conciliet. Quod Auguſtinus quoque facit lib. 3. De conſenſ. Evangel. cap. 24. §. 69. nullo modo ſignificans, poſtremum hoc Evangelii caput, aut *apparitionem*, uti vocant, Chriſti Magdalenæ factam, in dubium aliquando revocatam fuiſſe. Quod item præſtat S. Gregorius Nyſſenus Scriptor Græcus, poſtquam dixit, eamdem apparitionem *in exemplaribus paullo diligentius & exactius ſcriptis* non haberi. (19) Præterea Hieronymus ipſe auctor eſt, Græcos non ſolum *eo ultimo capitulo non caruiſſe*, *ſed additamento* potius, quod tamen non probaretur, illud auxiſſe. (20) Inquit enim lib. 2. adverſus Pelag. cap. 6. *In quibuſdam Exemplaribus, & maxime Græcis Codicibus juxta Marcum in fine ejus Evangelii ſcribitur*. Deinde e veſtigio memoratum additamentum ſubjicit, quod afferre nihil attinet. Ceterum de poſtremo capite Evangelii ſecundum Marcum nos dubitare non ſinit Eccleſiæ Catholicæ auctoritas, cujus oraculis non aſſentiri extremæ impudentiæ eſt.

Pag. 579.

Concil. Trid. Seſſ. 4.

VIII. *Num in Martyrum numero habendus eſt?*

℟. Ejus Martyrium aliqui in dubium revocant, aliqui negant, quod nec Euſebius, nec Hieronymus ea de re meminerint. Sed ex horum ſilentio nihil conficiunt. Etenim Palladius Lauſiacæ Hiſto-

Bar. ad an. 64. §. 1.

(19) Oratione 2. de reſurrectione tom. 3. pag. 411.
(20) Baronius ad annum Chriſti 34. §. 185.

ſtoriæ Scriptor extremo cap. 113. narrat, Philoromium Presbyterum veniſſe *uſque ad Alexandriam, cum voviſſet, in Martyrium venerandi Athletæ Marci.* Quibus verbis oſtendit, ſub initium ſeculi V. habitum fuiſſe in numero Martyrum. Eamdem veritatem in Synodo Romana celebrata anno 494. probat Gelaſius, (21) *qui de Apoſtolis, ac ceteris Martyribus, quæ eſſent apocrypha, perſpicaci conſideravit obtutu*, quemadmodum ait Baronius ad annum 64. §. 1. Acta quoque S. Marci de ejus Martyrio nos admonent, quibus pondus addunt Beda, ceterique Martyrologiorum Scriptores non modo Latini, ſed etiam Græci, Chronicon Alexandrinum, Chronicon Orientale Latine redditum ab Ecchellenſi, Eutychius, aliique tum apud Baronium in annotat. ad Martyrologium Romanum VII. Kal. Maji, tum apud Florentinium in annotat. ad Martyrologium Hieronymianum IX. Kal. Octobris.

IX. *Corpus ejus quando Venetias translatum eſt?*

℞. *Anno Domini* 828. *ſub Juſtiniano Duce*, ut ait Andreas Dandulus Dux Venetiarum in Chronico lib. 5. cap. 5. parte 28. Verum qua ratione, quove modo translatio hæc contigerit, nullam certam habemus hiſtoriam, quæ narret. Scriptor enim ille, quem ex Vaticana Bibliotheca protulit Baronius ad an. 820. §. 29. deſcripſitque poſtea Bollandus ad diem VIII. Kal. Majas, ita rem exponit, ut eam multis poſt annis, & quidem ex vulgari fama ſcripſiſſe videatur. Quicunque tamen ſit de modo translationis aut ſermo hominum, aut opinio, certe Venetias translatum te-

(21) Apud Labbeum tom. 4. Conc. pag. 1262. & apud Harduinum tom. 2. extrema pag. 938.

teſtatur apud Mabillonium (22) etiam Bernardus Monachus Gallus, qui cum iter anno 870. in regiones Orientales ſuſcepiſſet, affirmat, D. Marci corpus id temporis Alexandriæ amplius non fuiſſe, a Venetis in Inſulam ſuam jam aſportatum. Ac Venetiis quidem eſſe, in Æde omnium magnificentiſſima eidem conſecrata reconditum, teſtis omni exceptione major eſt laudatus Dandulus, qui ſcribit, ſe bis corpus illud vidiſſe, ſemel quidem cum Procuratoris, iterum cum Principis perſonam ſuſtineret. (23)

(22) In Actis Sanctorum ſæculi III. part. 2. §. 6. pag. 523.

(23) Dandulus vixit uſque ad annum 1354. Hæc habet lib. IX. Chronici capitulo 9. part. 6. & 8. apud Muratorium tom. 12. Rer. Italic. pag. 251. & 252. *Eodem anno, videlicet Ducis* (Phaledri) *anno* X. (Chriſti 1094.) *dum glorioſiſſimi Marci Evangeliſtæ Corpus intra quamdam columnam de lapidibus marmoreis factam, Duce, & quibuſdam conſciis eſſet repoſitum, ut ibi cautius ſervaretur, contigit, ut occiſo Petro Candiano Duce cum filio, Eccleſiaque cum Palatio igne conſumta, & ceteris, quibus hoc patuerat, ex tranſcurſu temporum ſublatis, nemo, ubinam ſanctus eſſet theſaurus, jam renovata Eccleſia, poſſet cognoſcere, & nec aliquibus indiciis invenire: fit ex hoc planctus in Clericis, deſolatio ingens in Laicis, mæror imminet univerſalis. Formidabat ſiquidem Plebs devota, ne Patronus tam inclytus furtive fuiſſet ſublatus: ideoque jejunium ſolemne indicitur, & Proceſſio ſolemniſſima ordinatur. Et ecce videntibus cunctis, & ſtupentibus lapides a columna * proſiliunt, & Arcam, ubi corpus latebat, cunctis evidenter oſtendunt. Mox devotas laudes agunt Creatori omnium, qui ſuum eis eſt dignatus revelare Patronum; ſicque dies illa, videlicet ſexto exeunte Junio, illuſtrata tanti prodigii gloria, annis decurrentibus, poſteris fit feſtiva, & generalis Proceſſio in memoriam devotiſſime renovatur. Die itaque octava Octobris ſubſequentis Deo dicata Eccleſia, conſciis Duce, Primicerio, & Procuratore, reverendum Corpus in ea ſecrete collocatur. Locus igitur omnibus uſque in hodiernum diem præter eorum ſucceſſoribus exſtat incognitus: nec propterea neſcientium fides vacillet, cum ego, qui loquor, primo Procuratoris gerens officium, nunc Chriſti gratia Dux effectus, poſſim dicere verba Joannis capitulo XXI.* Et qui vidit teſtimonium

Digitized by Google

nium perhibuit, & verum eſt teſtimonium ejus, & ille ſcit, quia vera dicit, ut & vos credatis; *& Joannis Apoſtoli Cap.* .... ut credentes ejus meritis vitam habeatis*: dies enim illa ſingulis annis celebratur. His Henrico Auguſto patefactis, devotione motus Venetias veniens Beato Marco reverentiam exhibuit. Urbemque gyrans ſitum, & politiam inſigniter commendavit.* Eadem habet Petrus Juſtinianus Rer. Venetarum lib. 1. pag. 27.

* In margine Codicis Ambroſiani annotatur: *Alibi eſt legere, Columnam illam eſſe, quæ ad Aram D. Leonardi ſtat.* Conſentit Petrus Juſtinianus Rer. Venetarum lib. 1. pag. 27.

Martyrologium Romanum pridie Kal. Februarii: *Eodem die Translatio S. Marci Evangeliſtæ, cum ſacrum ejus corpus ex Alexandria Ægypti Urbe, a barbaris tunc occupata, Venetias allatum ibidem in Majori Eccleſia ejus nomine conſecrata honorificentiſſime conditum fuit.*

In memorata *Majori Eccleſia* die 25. Junii Venetiis celebratur etiam *Apparitio S. Marci Evangeliſtæ*, ut eſt apud Bollandum die 25. Aprilis pag. 352. §. 3.

Jamdiu ante translationem Corporis D. Marci Venetias, Sedes ejus ſub Heraclio Imperatore ablata, ab eoque donata Venetis traditur a Baronio ad an. 820. §. 21.

DE

DE S. LUCA EVANGELISTA.

I. *Lucas quis fuit?*

℞. LUCAS natione Syrus fuit, patria Antiochenus, profeſſione medicus. Qui enim dubitant, num Lucas medicus idem ſit ac Evangeliſta, faciunt ii contra teſtimonium Euſebii, & omnium antiquorum. (1) Eumdem eſſe, atque Lucium D. Pauli cognatum, cujus meminit Paulus ipſe ſcribens ad Romanos cap. XVI. 21. rentur aliqui. Ethnicuſne, an Judæus fuerit, ambigitur. Mihi eorum diſputatio ad veritatem propius accedere videtur, qui ex Ethnico circumciſionis experte Chriſtianum factum exiſtimant, pe-

X rinde

(1) Euſebius lib. 3. Hiſt. Eccl. cap. 4. *Lucas domo Antiochenus, arte medicus.*

Hieronymus, in Epiſt. ad Philemonem pag. 216. *Ceterum cooperatores Evangelii, & vinculorum ſuorum, cum ad Philemonem epiſtolam ſcriberet, Marcum ponit, quem puto Evangelii conditorem... & Lucam medicum, qui Evangelium, & Actus Apoſtolorum Eccleſiis derelinquens, quomodo Apoſtoli de piſcatoribus piſcium piſcatores hominum facti ſunt: ita de medico corporum in medicum eſt verſus animarum: cujus liber quotieſcunque legitur in Eccleſiis, toties ejus medicina non ceſſat.* Et Paulinus carm. 24.

Hic medicus Lucas, prius arte, deinde loquela:
Bis medicus Lucas, ut quondam corporis ægros
Terrena curabat ope, & nunc mentibus ægris
Compoſuit gemino vitæ medicamina libro.

Vide infra annotat. 3. & 6.

rinde atque Cornelium Centurionem, qui incircumciſus Chriſti fidem profeſſus eſt. Lucam enim Judæum fuiſſe, negare videtur Paulus in Epiſtola ad Coloſſenſes cap. IV. 10. 14. ubi eum nominat ſeorſum ab iis, *qui ſunt ex circumciſione*. Quod vero Ethnicus fuerit, id nihil obſtat, quominus habeatur idem, ac Lucius D. Pauli cognatus. Nam exemplo S. Timothei, qui patrem Ethnicum habuit, & matrem Judæam, docemur, Ethnicos cum Judæis matrimonii jure fuiſſe aliquando conjunctos. Omnino autem rejicitur opinio Epiphanii, qui Hær. 51. §. 6. & 11. Lucam in duobus & ſeptuaginta Diſcipulis enumerat, iiſque accenſet, qui abſceſſerant a Chriſto audita
Joan. VI. 54. ejus voce: *Niſi quis manducaverit carnem meam, & biberit ſanguinem, non eſt me dignus*, ſubjun-
Bar. ad an. 58. §. 34. & 35. gens poſtea, hunc Pauli, ut Marcum Petri, opera revocatum. Lucas enim ipſe Evangelii initio teſta-
Cap. I. 2. tur, ſe ea ſcribere, quæ acceperat ab iis, *qui viderant, & miniſtri ſermonis fuerant*, aperte demonſtrans, ſe non eſſe ex duobus & ſeptuaginta Diſcipulis, qui cum Domino verſati ſunt. Unde
Bar. ad an. 58. §. 14. etiam illi confutantur, qui putant, alterum fuiſſe ex duobus diſcipulis, quibus pergentibus Emmauntem Chriſtus redivivus ſe comitem adjunxit. Non igitur Chriſti diſcipulus fuit Lucas, ſed Apoſtolorum, præſertim D. Pauli, cujus ſpiritua-
Pag. 221. lem filium appellat Hieronymus in Eſaiam cap.
Pag. 271. 65. *& omnis peregrinationis ejus comitem* in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum cap. 7. (2)

II.

(2) S. Irenæus lib. 3. adverſus Hæreſes cap. 11. *Lucas autem ſectator & diſcipulus Apoſtolorum*.

Tertullianus lib. 4. adverſus Marcionem cap. 2. *Lucas non Apoſtolus, ſed Apoſtolicus, non magiſter, ſed diſcipulus, utique magiſtro minor, certe tanto poſterior, quanto poſterioris Apoſtoli ſectator, Pauli ſine dubio*.

II. *A quo electus eſt comes peregrinationis D. Pauli?*

℞. Ab Eccleſiis comes Paulo datus eſt. Chryſoſtomus hom. 1. in Act. cum alias laudes D. Lucæ, tum hanc exponit his verbis: *Porro, quod Lucas non fuerit expers Spiritus, pluribus argumentis perſpicuum eſt, vel e miraculis, quæ nunc per illum fiunt, vel quod tum quilibet participes fiebant Spiritus Sancti, non ſolum eximii, qualis erat Lucas vel ipſius Pauli de illo teſtimonio: ait enim:* cujus laus eſt in Evangelio: *vel ex hoc, quod Eccleſiarum ſuffragiis delectus fuit. Siquidem ſupra dictis & illud adjicit:* Quin etiam electus eſt ab Eccleſiis, ut nobis peregrinationis ſit comes in hac gratia, quæ adminiſtratur a nobis. Pag. 448. 2. Cor. VIII. 18. 19.

III. *Quandonam cum D. Paulo cœpit peregrinari?*

℞. Nimirum id temporis, quo Paulus anno Chriſti circiter 51. per nocturnam ſpeciem viri Macedonis petentis opem monitus a Deo, decedens Troade in Macedoniam profectus eſt. Ex eo ſiquidem tempore Lucas, ut animadvertit Baronius ad an. 51. §. 63. in deſcribendis Pauli geſtis tertia ſemper perſona uti ſolitus, mutata dicendi ratione, iis, qui cum Paulo erant, ſe ſe annumerans, primam multitudinis perſonam uſurpat. Quamobrem tunc primum Lucam cum D. Paulo peregrinari cœpiſſe, vult Irenæus lib. 3. cap. 14. ubi itinera, quæ Paulus, & Lucas una fecerunt, circumſcripte ac breviter deſcribit. (3) Act. XVI. 9. 10.

X 2 IV.

(3) Qui anno Chriſti 43. Lucam Antiochiæ cum Paulo fuiſſe dicunt, eos minime probari video: idemque ferri judicium de Nicephoro, qui lib. 2. cap. 43. narrat, Thebis Bœo-

IV. *Quibus regionibus peregrinatus eſt?*

Act. XVI. 11. ℞. Lucas Troade una cum Paulo ſolvens in inſulam Samothraciam navigavit, die inſequente Neapolim tenuit, atque inde Philippos primariam Macedoniæ urbem contendit. Eumdem porro Theſſalonicæ fuiſſe cum D. Paulo, ejuſque diſcipulis Timotheo, Tito, aliiſque, negat Baronius ad an. 51. §. 75. par eſſe judicans credere, Lucam interim alio prædicandi Evangelii cauſſa a D. Paulo miſſum. Rurſus dubitant alii, is ne fue-
2. ad Cor. VIII. 18. rit, quem D. Paulus ex Macedonia Corinthum ſimul cum S. Tito ſe miſiſſe ſcribit. Eum ſiquidem nonnullis Barnabam, aliis Silam, aliis Marcum fuiſſe placet. Plures tamen tum ex veteribus, tum ex recentioribus Lucam fuiſſe arbitrantur. Itaque Titum & Lucam ſecutus Paulus, Corinthum & ipſe venit, unde ſcripſit ad Romanos, ſalutem eis dicens etiam nomine Lucii, quem eumdem ac Lucam, ut paullo ante dixi, aliqui faciunt. Poſt hæc Philippos reverſi Troadem maritimo itinere intra dies quinque remigrarunt. Deinde iis locis peragratis, quæ in Actis Apoſtolorum cap. 20. & 21. deſcribuntur, Hieroſolymam tandem conceſſerunt. Romam uſque, in quam Urbem Paulus a Nerone, quem appellaverat, judicandus a Feſto miſſus fuerat, Lucas tranſire non dubitavit. Ibi fuit, cum Pau-
Cap. IV. 12. lus ad Coloſſenſes & Philemonem ſcriberet: at-
Ad Phil. verſ. 24. que ſolus eidem præſto erat, cum alteram ad Timotheum epiſtolam paullo ante mortem daret.
Cap. IV. 11. Quare Chryſoſtomus hom. 1. in Act. hoc præſer-
Pag. 446. tim Lucam ſummis laudibus dignum cenſet, *quod præ-*

Bœotiæ Urbe Lucam ad Paulum acceſſiſſe, ejuratiſque erroribus patriis, Chriſto nomen dediſſe, & qui ante corporum curator fuerat, animarum medicum evaſiſſe.

Digitized by Google

præceptori ſuo indivulſus adhæſerit, quodque per omne tempus illum fuerit aſſectatus. (4)

V. *Paulo interfecto, quid pro Chriſto Lucas egit?*

℞. S. Epiphanius hær. 51. §. 11. ſcribit, Lucam Evangelium prædicaſſe *in Dalmatia, Gallia, Italia, & Macedonia, ſed in Gallia præ ceteris.* Nazianzenus Orat. 25. addit Achajam, quod idem non obſcure ſignificat Hieronymus in lib. de Script. Eccl. cap. 7. ſcribens; oſſa D. Lucæ ex Achaja Conſtantinopolim translata. Utrique conſentit Nicephorus, qui in lib. 2. cap. 43. tradit, Roma in Græciam reverſum plurimos divinæ doctrinæ lumine illuſtraſſe. In Ægypto, Lybia, Thebaide munus Apoſtolicum obiiſſe, legas apud Metaphraſtem. Auctor Conſtitutionum lib. 7. cap. 47. contendit, Abilium tertium Eccleſiæ Alexandrinæ Antiſtitem a D. Luca Epiſcopatu initiatum. Ad extremum damnatam ab eo Antiochiæ hæreſim Ebionitarum, habet Jacobi Sirmondi Prædeſtinatus lib. 1. cap. 10.

Bar. ad an. 61. §. 7.
Pag. 438.
Pag. 271.

X 3 VI.

(4) *Itaque*, ſubjicit idem Chryſoſtomus, *cum Demas & Hermogenes illum in periculo deſeruiſſent, alter in Galatiam profectus, alter in Dalmatiam, audi quid de hoc dicat*: Lucas, *inquit* (2. ad Tim. IV. 11.) adhuc ſolus mecum eſt. *Quin & Corinthiis ſcribens de eodem:* Cujus, *inquit* (2. ad Cor. VIII. 18.) laus eſt in Evangelio per omnes Eccleſias. *Rurſus cum* (1. ad Cor. XV. 5.) *dicit*, Conſpectus eſt Cephæ, deinde duodecim*: Item cum ait*, juxta Evangelium, quod accepiſtis, *de Lucæ Evangelio ſentit: ut jam non aberrarit a vero, qui voluminis hujus deſcriptionem ad hunc auctorem retulerit.*

Euſebius lib. 3. Hiſt. Eccl. cap. 4. Lucæ *Evangelium ajunt a Paulo deſignari ſolitum eſſe, quoties tamquam de proprio quodam Evangelio ſermonem faciens dicit:* Secundum Evangelium meum.

Digitized by Google

VI. *An cenſes, etiam in Galliam, quod ait Epihanius, Lucam veniſſe?*

℞. Recte requiris. Sunt enim viri docti, qui, poſthabita Epiphanii auctoritate, negant, Lucam Gallis Chriſtianæ religionis præcepta tradidiſſe. Nullum ſane teſtem Epiphanio contrarium proferunt, ſed omnium Hiſtoricorum, & præſertim Eccleſiarum Gallicanarum hac de re ſilentium ſatis ipſis videtur, ne omnem fidem Epiphanio adjungant. Quamquam quid vetat dicere, eum Galliam Ciſalpinam intellexiſſe? Nam etiam poſt Galliam ab Auguſto trans Alpes redactam, & Auguſtum vita defunctum Scriptores nobiliſſimi Strabo lib. 5. Plinius lib. 3. c. 14. Joſephus lib. 4. de bel. Jud. cap. 11. eamdem illam regionem Galliæ Ciſalpinæ nomine appellarunt. Similia his
Pag. 90. habet Petavius in animadverſionibus ad memoratum Epiphanii locum, quem Petrus de Marca (5) immerito vexat ſcribentem: *Lucam in Gallia prædicaſſe, nullus, quod ſciam, prodidit. Atque haud ſcio, an Galliam Ciſalpinam intelligat, per quam in Dalmatiam, Græciamque contenderit.*

VII. *Habeo de rebus a D. Luca geſtis; nunc de ejus ſcriptis quæro.*

Bar. ad an. 58. §. 31.32.33. ℞. *Lucas*, ut ait S. Gaudentius Brixiæ Epiſcopus ſerm. 17. *& Evangelii librum, & Actus Apoſtolorum miranda examinatione conſcripſit*, Græco uſus

(5) In Epiſtola ad Henricum Valeſium, quam idem Valeſius præmittit ſuæ verſioni Hiſtoriæ Euſebianæ & Bollandiani die 30. Junii pag. 544. afferunt. Sed vide Launojum in epiſtola ad Stephanum Canuſium cap. 3. pag. 77. tom. 2. Operum ejus part. 1.

uſus ſermone, cujus erat peritiſſimus. (6) Ad Evangelium quod attinet: poſt Matthæum, & Marcum ſcripſiſſe, veteres recenteſque conſentiunt; nec ipſis heterodoxis probantur ii, qui Lucam Evangeliſtis omnibus præponere non dubitarunt. (7) Ea autem litteris prodidit, quæ a D. Paulo, & ceteris Apoſtolis acceperat, & quidem *eo tempore*, ut ait Auguſtinus lib. 4. de Conſenſu Evangel. extremo cap. 8. *quo non ſolum ab Eccleſia Chriſti, verum etiam ab ipſis adhuc in carne manentibus Apoſtolis probari potuerunt*, anno Chriſti circiter tertio, vel ſexto ſupra quinquageſimum. Theophilo cuidam Evangelium perinde, atque Acta inſcripſit, quo vocabulo ſeu generatim quemlibet Dei amicum, ſeu potius virum peculiarem, cui Theophilo nomen, ſignificare voluit. (8) Laudatur enim a Chryſoſtomo hom. I. in Act. quod Pag. 449. *unius hominis cauſa tam diligentem ſolicitudinem ſuſcepiſſet, ut totum Evangelium conſcriberet, atque breviter, & quomodo, & quo tempore, & quo*

 loco

(6) Hieronymus in Eſajam cap. 6. pag. 25. *Evangeliſtam Lucam tradunt veteres Eccleſiæ tractatores, medicinæ artis fuiſſe ſcientiſſimum, & magis Græcas litteras ſciviſſe, quam Hebræas. Unde & ſermo ejus tam in Evangelio, quam in Actibus Apoſtolorum, ideſt in utroque volumine, comptior eſt, & ſecularem redolet eloquentiam, magiſque teſtimoniis Græcis* (ex verſione LXX. interpretum) *utitur, quam Hebræis*. Idem epiſt. 145. ad Damaſum pag. 785. *Lucas inter omnes Evangeliſtas Græci ſermonis eruditiſſimus fuit.*

(7) Grotius in Lucam cap. I. tom. VI. Criticorum Sacrorum pag. 235. *Quod vero quidam exiſtimant, Matthæo, & Marco priorem in ſcribendo Lucam fuiſſe, plane ut credam, induci non poſſum. Refragatur vetuſtiſſimus librorum ordo apud omnes nationes, refragatur traditio vetus Irenæo, & Tertulliano teſtibus ſuffulta, refragatur ipſe Lucas, qui ita Matthæi, & Marci Hiſtoriam auxit additis narrationibus, ut, ubi res eaſdem narrat, eadem quoque verba non raro uſurpet.*

(8) *Solus Lucas & præfatur operi ſuo, & nominatim dicat libros ſuos:* Eraſmus in Lucæ Evangel. cap. 1. pag. 204. to. 6. Critic. Sacr.

loco ſecundum carnem Chriſtus natus ſit, *explicaret*. (9) Quemadmodum autem *Evangelium ſicut audierat*, *ſcripſit*, ita *Acta Apoſtolorum*, *ſicut viderat*, *ipſe compoſuit*, (10) ex quibus *non minor*, *quam ex ipſis Evangeliis*, teſte eodem Chryſoſtomo, *utilitas* percipitur. (11) Quam fortaſſe ob rem OEcumenius librum hunc ait *Sancti Spiritus acta continere*, (12) ſicut *Evangelium actiones Chriſti*. (13) *Conſpicies autem hic*, ut verba ipſa Chryſoſtomi exprimam, *Apoſtolos ceu volucres terram*, *mariaque percurrentes*, *ac timidos illos quondam*, *rudeſque ſubito in alios homines eſſe verſos*, *faſtuque*, *divitiarum gloria*, *ira*, *concupiſcentia*, *breviter rebus omnibus ſuperiores eſſe factos*. *Videbis ſummam inter ipſos concordiam*, *nec quidquam omnino prioris illius livoris*, *aut invidentiæ reſidere*, *nec jam loci principis ambitum inter ipſos fervere*, *ſed omnem virtutem in eis abſolutam perſpicies*, *tum ſummam eximiamque caritatem in illis relucentem*. *Nam de hac quoque multa illis* Chriſtus *præceperat*, *dicens:* Per hoc cognoſcent omnes, vos eſſe meos diſcipulos, ſi dilexeritis invicem. *Quin & dogmata quædam hic reperi-*

Pag. 445.

Jo. XIII. 35.

(9) S. Ambroſius in Luc. cap. 2. pag. 26. tom. 3.

(10) S. Hieronymus de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 7. pag. 273.

(11) Idem Chryſoſtomus ibidem pag. 447. *Quod maxime agit hic liber*, *eſt reſurrectionis declaratio*. Quare *ipſe liber incipit legi a Dominica Paſchæ*, *ſicut ſe conſuetudo habet Eccleſiæ*, ut ait D. Auguſtinus ſerm. 315. §. 1.

(12) Quia videlicet nobis exhibet, quid Apoſtoli Spiritu Sancto die Pentecoſtes afflati atque per eumdem edocti egerint ad Eccleſiæ Catholicæ, & Fidei Chriſtianæ propagationem, confirmationem, incrementum.

(13) In Argumento ad Acta Apoſtolorum. Vide Calmeti Præfationem in eadem Acta pag. 801. tom. 7.

Evangelia hiſtoria ſunt eorum, *quæ Chriſtus fecit & dixit: Acta vero eorum*, *quæ alius Paracletus dixit & fecit:* Chryſoſtomus in Act. Apoſt. hom. 1. pag. 9. edit. Montfaucon.

perire licebit, quæ, niſi liber fuiſſet proditus, haudquaquam fuiſſent ulli tam dilucide cognita: quin potius, quod eſt caput ſalutis noſtræ, fuiſſet occultum, & in obſcuro latuiſſet: tam de his loquor, quæ ad bene vivendum, quam quæ ad Fidei noſtræ dogmata pertinent. Porro eorum, quæ hic tractantur, major pars ſunt acta Pauli, qui plus omnibus laboravit. 1. Cor. *Ejus rei cauſſa eſt, quod is, qui librum hunc con-* XV. 10. *ſcripſit, diſcipulus, & cultor Pauli fuit.* Extendit Bar. ad vero Hiſtoriam ab aſcenſu Chriſti in Cælum ad an. 61. §. primam, & biennem Pauli in Urbe moram, vi- 6. delicet ad annum Chriſti 61. ſeu 63. *ex quo intelligimus*, ut ait S. Hieronymus de Script. Eccleſ. Pag. 271. cap. 7. *in eadem Urbe librum eſſe compoſitum*. (14)

VIII. *Quid potiſſimum admirandum in Apoſtolis Lucas in Actis narrat?*

℟. Reſpondet memoratus Chryſoſtomus hom. I. in Act. his fere verbis: Omnia quidem eſſe ad- Pag. 446. miratione digna, quæcunque hoc libro continen- & 447. tur, ſed illud potiſſimum admirandum in Apoſtolis, quod ſe ad rudium captum demiſerint, atque hac una re Sancto inſtincti Spiritu ſe ad diſpenſationem Verbi Dei paraverint. Itaque multa de Chriſto differentes, pauca dixiſſe de ejus divinitate, plura vero de humanitate, morte, reſurrectione, & aſcenſu. Tunc enim id in primis agebatur, ut crederent homines, Chriſtum a mortuis excitatum in cælum aſcendiſſe. Ceterum quo magis ſe demitterent, hoc uberiorem Divini Spiritus gratiam accepiſſe, & majora, quam ipſe fecerat, ejus ope adjutos feciſſe, ut auditores ſuos eri-

(14) Clemens Alexandrinus apud Euſebium lib. 6. Hiſt. Eccl. cap. 14. ait, *Lucam epiſtolam Pauli ad Hebræos Hebraico ſermone primum ſcriptam, Græco ſermone ſtudioſe interpretatum, Græcis hominibus edidiſſe.*

Digitized by Google

erigerent, & ſermonem de Chriſti reſurrectione probabilem redderent.

IX. *Cur Lucas Paulo ſuperſtes ejus hiſtoriam non eſt proſecutus?*

℞. Duabus de cauſſis, ut docet Chryſoſtomus. Primum quia ea, quæ ſcripſerat, ſatis erant erudiendis iis, *qui vellent animum advertere:* deinde quia *Evangeliſtæ ſemper incubuerant in ea, quæ magis urgebant, nec illis curæ fuit hiſtorias conſcribere.* Eam ob rem, ut idem Chryſoſtomus notat, librum inſcripſit *Acta Apoſtolorum*, non *Miracula Apoſtolorum*. Non enim miracula ab Apoſtolis patrata, ſed præclare ab ipſis pro Chriſto geſta nobis imitanda proponuntur. (15)

X. *Suntne imagines Deiparæ Virginis a D. Luca depictæ?*

℞. De imagine Deiparæ Virginis a D. Luca depicta omnium primus meminiſſe creditur Theodorus Lector, qui ſæculo Chriſti ſexto vixit, cum ſub initium lib. 1. Hiſt. Eccl. ait, *Eudoxiam ab Urbe Hieroſolymitana ad Pulcheriam miſiſſe imaginem Matris Domini, quam Lucas depinxerat.* Meminit etiam Simeon Metaphraſtes Sæculi IX. Scriptor. Utroque junior Nicephorus lib. 2. cap. 23. utpote qui ab anno 1240. ad annum 1305. floruit, ex Epiphanio neſcio quo hæc nobis exhibet totius Virginei oris lineamenta. *Colore fuit triticum referente, capillo flavo, oculis acribus, ſubflavas tamquam oleæ colore pupillas in eis habens. Supercilia ei erant inflexa, & decenter nigra, naſus longior, labia florida, & verborum ſuavitate plena,* fa-

(15) In Act. Apoſt. hom. I. pag. 446. & ſerm. 12. tom. 5. pag. 155.

Digitized by Google

facies non rotunda & acuta, ſed aliquanto longior, manus ſimul, & digiti longiores. Hæc Nicephorus; quæ cum Baronius ad an. 48. §. 26. retuliſſet, e veſtigio ſubjecit: *Ex pictura aliqua prototypa potius deſcripta, quam ex viventis ipſius imagine videri accepta. Ceterum alibi Nicephorum teſtari, S. Lucam Dei Genitricis pinxiſſe imaginem*. (16) Allata teſtimonia improbant aliqui, non eas tamen, cur improbent, rationes afferunt, quæ omnino inconcuſſæ videantur. Etſi enim hujuſce rei ſcriptoribus ad fidem faciendam vetuſtas deeſt, non adducor tamen, ut credam, eos rem tanti momenti temere creditam ſine aliqua ſaltem Patrum memoria litteris mandaſſe. Scriptura ſane D. Lucam profeſſione medicum, ut Petrum piſcatorem, & Matthæum telonarium facit, non tamen inficiatur, illum pingendi artem calluiſſe. Neque ex eo, quod pingendi ars exſecrabilis apud Judæos eſſet, poteſt recte colligi, Lucam, qui Judæus non erat, pictorem non fuiſſe. Adde, quod ſi Lucas Judæus fuit, Judaica religione jam ejurata, Deiparæ imaginem pinxit ea ſpecie, quam vel oculis, vel auribus hauſerat. Tandem etſi Judæis non licuit picturam publice profiteri, nihilominus privatim animi cauſſa pingere eiſdem licuiſſe, crediderim, Chriſti præſertim ætate,

quo

(16) Lib. 14. Hiſt. Eccl. cap. 2. pag. 440. & lib. 15. cap. 14. pag. 607. tom. 2. Calmetus extrema præfatione in Evangelium S. Lucæ pag. 380. *Quæ S. Lucas narrat cap. 1. & 2. de Vita B. Virginis, de infantia Jeſu Chriſti, de Cantico ejuſdem Virginis, colloquio cum Angelo, profectione ad Eliſabeth, & Zachariam, deque eadem Virgine conſervante, & conferente in corde ſuo quidquid novi Salvatori contingeret: hæc ſatis ſignificant, S. Lucam cum ea familiariter fuiſſe verſatum, & ex ipſo ejus ore multa accepiſſe, quæ ad ejuſdem vitam, & Jeſu Chriſti pertinerent.*

Grotius in Lucam cap. II. 51. tom. 6. Criticorum Sacrorum pag. 299. *Quod ideo videtur a Luca expreſſum, quia ipſam habebat harum narrationum auctorem.*

quo tempore, cum Pilatus, referente Joſepho lib. 2. de bello Jud. cap. 9. Cæſaris imagines Hieroſolymis exponere tentaſſet, probabile eſt, illuc pictores aliquos ea occaſione arceſſitos. (17) Quare cum D. Auguſtinus lib. 8. de Trinit. cap. 5. §. 7. ait; *Neque enim novimus faciem Virginis, ex qua ille mirabiliter natus eſt*, de vera, non de picta loquitur Virginis facie, eamque nos nec vidiſſe dicit, nec noviſſe, ac proinde nos talem credere, qualem effingimus, cum de Maria loquimur, aut cogitamus, ut integrum Auguſtini locum legentibus liquebit. (18) Scio, Nicænam ſe-

(17) Hoc modo Virginis Deiparæ imagines, quæ a D. Luca depictæ feruntur, defendit adverſus Piceninum Ludovicus Vincentius Gotti in *Vera Eccleſia* tom. 2. part. 2. art. 16. de veneratione ſacrarum imaginum §. 15. num. 87. Atque ante ipſum eas ab Hoſpiniani & Magdeburgenſium criminationibus vindicavit Jacobus Gretſerus in Syntagmate de imaginibus a S. Luca pictis cap. 18. & 19. pag. 205. tom. 15. Vide Lambertinum De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 4. part. 2. cap. 10. num. 28.

(18) Ita ille: *Neque enim novimus faciem Virginis Mariæ, ex qua ille a viro intacta, neque in ipſo partu corrupta mirabiliter natus eſt. Nec quibus membrorum lineamentis fuerit Lazarus, nec Bethaniam, nec ſepulchrum, lapidemque illum, quem removeri juſſit, cum eum reſuſcitaret, vidimus, nec monumentum novum exciſum in petra, unde ipſe reſurrexit, nec montem Oliveti: unde aſcendit in Cælum. Neque omnino ſcimus, quicumque iſta non vidimus, an ita ſint, ut ea cogitamus, imo vero probabilius exiſtimamus, non eſſe ita. Namque cum alicujus facies vel loci, vel hominis, vel cujuslibet corporis eadem occurrerit oculis noſtris, quæ occurrebat animo, cum eam, priuſquam videremus, cogitabamus, non parvo miraculo movemur; ita raro, & pæne numquam accidit: & tamen ea firmiſſime credimus, quia ſecundum ſpecialem generalemque notitiam, quæ certa nobis eſt, cogitamus. Credimus enim Dominum Jeſum Chriſtum natum de Virgine, quæ Maria vocabatur. Quid ſit autem virgo, & quid ſit naſci, & quid ſit nomen proprium, non credimus, ſed rurſus novimus. Utrum autem illa facies Mariæ fuerit, quæ occurrit animo, cum iſta loquimur, aut recordamur, nec novimus omnino, nec credimus.*

ſecundam Synodum, OEcumenicam VII. nullam, ut Catholico dogmati adverſus Iconomachos robur adderet, pictam a D. Luca Deiparæ imaginem protuliſſe. Sed quid proferrent adverſus Hæreticos pervicaciſſimos, qui vel certiſſima Fidei argumenta negabant? Credibile igitur eſt, D. Lucam Virginis imaginem poſteris reliquiſſe.

XI. *Nunc, quod ſupereſt, D. Lucæ mortem enarra.*

℞. D. Lucam *vixiſſe octoginta & quatuor annos*, tradit Hieronymus de Scriptor. Eccl. extremo cap. 7. ſolum *octoginta* Nicephorus lib. 2. Hiſt. Eccl. cap. 43. Nonnulli putant deceſſiſſe, Domitiano adverſus fideles ſæviente, anno Chriſti 95. ſi ſubiit pro Chriſto martyrium, ut antiquis bene multis creditum. Nimirum Lucam martyribus accenſent Gregorius Nazianzenus orat. 3. Gaudentius Brixienſis ſerm. 17. & Paulinus Nolanus epiſt. 32. alias 12. Nicephorus vero loc. cit. martyrii genus deſcribens, eum narrat *ex fructifera oleæ arbore ſuſpenſum, quod aridi ligni, unde crux fieret, copia non eſſet*. Morti ejus Achajam locum aſſignant Veteres, a quibus immerito recedunt Beda, Uſuardus, & Ado, qui Bithyniam tribuunt. Martyrii dies diſcrepat. Nam XV. Kal. Novembris Lucæ Evangeliſtæ memoriam celebrat Bedæ, Adonis, & Romanæ Eccleſiæ Martyrologium; XI. Kal. Octobris Hieronymianum; & III. Idus Octobris Kalendarium Carthaginenſe Mabillonii pag. 166. Veterum Analectorum. (19)

Pag. 271.

Bar. ad an. 61. §. 7. Pag. 76. tom. 1.

DE

(19) Quamvis in Græco Nazianzeni textu, quem ego conſului, Lucæ nomen non appareat: videtur tamen apparuiſſe Eliæ Cretenſi, qui in hunc ipſum Nazianzeni locum ita habet pag. 322. tom. 2. *Joannes, cujus hic mentionem facit, item Lucas, haudquaquam interemti ſunt; verum cum permultas propter Chriſtum, & ejus Evangelium calamitates pertuliſſent, in pace ad eum, qui pacis Deus eſt, reverſi ſunt.*

DE SEPTEM DIACONIS.

I. *Quinam ſunt ſeptem Diaconi?*

Act. VI. 5. ℟. PRimus apud D. Lucam eſt Stephanus, ſecundus Philippus, tertius Prochorus, quartus Nicanor, quintus Timon, ſextus Parmena, ſeptimus Nicolaus.

II. *Putaſne, hos ex numero duorum ſeptuaginta Diſcipulorum electos?*

℟. Ita prorſus exiſtimat Epihanius hær. 20. §. 4. ſed ejus ſententia multum habet dubitationis, & doctiſſimis viris minime placet. Auctor enim Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 2. cap. 55. Diaconos a Diſcipulis diſtinguit, quamvis divinam veritatem ab ipſo Chriſto eos didiciſſe velit. Illos numero Diſcipulorum omnino eximit Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 17. §. 24. vocat enim Eccleſiæ ſuæ Hieroſolymitanæ *filios primogenitos*. Ad S. Stephanum quod attinet, dubitat Auguſtinus Serm. 316. cap. 3. §. 3. fueritne *ex illis, qui prius in Chriſtum crediderant, an forte ex illis, qui poſt aſcenſum Domini* Apoſtolorum ſermonibus permoti, ejuſdem Chriſti fidem profeſſi ſunt. Idem tamen Enarratione in Pſal. 108. §. 19. Stephanum inter eos videtur recenſere, quorum tenebris Spiritus Sanctus ipſo Pentecoſtes die lumen attulit. S. Hilarius quoque in Matth. cap. 17. §. 13. Stephanum Petri prædicatione converſum

ſum putat, cui aſſentiens D. Ambroſius tum lib. 5. Hexaem. cap. 6. tum in Lucam cap. 5. dicit Stephanum fuiſſe primum, quem Petrus hominum piſcator factus rete concluſit. Nicolaus certe Antiochenus erat, & Proſelytus, videlicet ex Ethnico Judæus: (1) non potuit igitur eſſe in numero Diſcipulorum, qui origine Judæi traduntur. His adde Græca Diaconorum nomina; adde cauſſam, propter quam electi ſunt. Inde enim conſectarium eſt, ad Græcos deliniendos, omnemque diſſidii occaſionem in poſterum tollendam, aliquos ſaltem etiam ex Græcis Diaconos eſſe creatos, ac proinde ex duobus ſeptuaginta Diſcipulis, qui omnes origine Judæi erant, delectos non fuiſſe. Pag. 64. tom. 1. Pag. 73. tom. 3.

III. *Cur electi ſunt?*

℞. Septem Diaconorum electioni cauſſam præbuere querelæ Helleniſtarum adverſus Hebræos. Act. VI. 1. Id enim Græcos urebat, *quod deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ eorum*, hoc eſt, quod viduis ſuis, perinde ac Hebræorum viduis eleemoſynas diſtribuendi negotium non daretur, ſeu potius, quod parcius viduis ſuis, quam Hebræis, eleemoſynæ erogarentur. Huic igitur diſſidio tollendo ſeptem Diaconos Apoſtoli elegerunt, Fideli populo eorum probitatem confirmante, *ne quis indignus obreperet*, ut notat S. Cyprianus Epiſt. 68. Pag. 256. Electos precationibus adhibitis, & manibus impoſitis ſuo muneri conſecrarunt.

IV. *Quodnam igitur eorum munus erat?*

℞. Munus eorum erat, non ut antea viduarum, Bar. ad an. 34. §. 285.

(1) Vide annotat. 21. ad Diſputationem noſtram Hiſtoricam 2.

rum, communibus ſolum menſis miniſtrare, ſed etiam ſacris, in quibus panis divinus frangebatur, id eſt, Chriſti corpus ab Apoſtolis conſecratum Fidelibus dividebatur, juxta illud D. Pauli:
1. Cor. X. 16. *Panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini eſt?* Quid enim opus fuit miniſtris cura tanta delectis, & ritu tam ſolemni initiatis, ab eo videlicet parum diſtante, quo Presbyteri, & Epiſcopi conſecrantur, ſi eleemoſynas pauperibus dividendo ea duntaxat procurare debuerunt, quæ ad vitam ſuſtentandam pertinerent? Ignatius certe, qui Diaconorum miniſterio interfuit, in Epiſt. ad Trallianos cap. 2. *Oportet*, ait, *& Diaconos, miniſtros exiſtentes myſteriorum Jeſu Chriſti, ſecundum omnem modum omnibus placere. Non enim ciborum & potuum ſunt miniſtri, ſed Eccleſiæ Dei miniſtri*. Eadem eſt ſententia Cypriani ita ſcribentis
Pag. 244. Epiſt. 65. ad Rogatianum: *Diaconos poſt aſcenſum Domini in Cælos Apoſtoli ſibi conſtituerunt, Epiſcopatus ſui, & Eccleſiæ miniſtros*. Hieronymus vero, qui epiſtolam 85. ad reprimendos ætatis ſuæ Diaconos inſoleſcentes adverſus Presbyteros ſcripſit, & de altero duntaxat eorum munere loquens, *menſarum, & viduarum miniſtros* appella-
Pag. 623. & 624. vit, ita ad extremum ſubjecit: *Et ut ſciamus traditiones Apoſtolicas ſumtas de veteri teſtamento, quod Aaron, & filii ejus, atque Levitæ in Templo fuerunt, hoc ſibi Epiſcopi, & Presbyteri, & Diaconi vendicant in Eccleſia*. Quis autem ignorat, Levitas miniſtros fuiſſe ſacrificiorum? Igitur etiam Diaconi Levitis ſimiles eodem in Eccleſia ſacro munere jam inde a principio fungebantur. Præterea ſi Eccleſiæ initia repetas, ut ex D. Paulo animadvertit Auguſtinus Epiſt. 54. cap. 5. & poſt ipſum Baronius ad an. 34. §. 284. cognoſces, conſueviſſe aliquando Chriſtianos Euchariſticam menſam cum menſa communi conjungere. Cur igitur

gitur Diaconos communium menſarum miniſtros a ſacræ menſæ procuratione fuiſſe prohibitos exiſtimemus? Profecto Juſtinus martyr Apologia ſecunda teſtatur, Euchariſtiam & iis, qui Fidelium cœtui Dominico die intererant, a Diaconis fuiſſe porrectam, & iis, qui aberant, ab eiſdem delatam fuiſſe. Septem igitur Diaconi non ſolum pecuniæ in pauperes erogandæ cuſtodes erant, ſed etiam ſacris Altaribus inſerviebant. (2) Pag. 97 & 98.

Y V.

(2) Ab Euchariſtiæ diſtributione ad conficiendam Euchariſtiam Diaconi tranſire non dubitarunt, auſi perinde ac Sacerdotes aliquando Miſſam celebrare, & Sacrificium facere. Eorum ſiquidem audaciam ita repreſſit Concilium Arelatenſe I. can. 15. *De Diaconibus, quos cognovimus multis locis offerre, placuit minime fieri debere*, ut eſt apud Labbeum tom. I. Conc. pag. 1428. & apud Harduinum tom. I. pag. 265.

Eiſdem tamen *conceſſum in extrema neceſſitate ut Confeſſiones excipiant, & Pœnitentias imponant: non vero ut Abſolutionem Sacramentalem conferant. Preces fundere poſſunt ſuper Pœnitentes, quibus divinam miſericordiam, & peccatorum remiſſionem ipſis adprecentur, non vero illos ſacramentaliter abſolvere, quia Claves non habent. Itaque Synodi non permiſerunt Diaconis adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ, ſed ceremoniæ cujuſdam ex earum rerum numero, quas Theologi vocant* Sacramentalia, *exhibitionem, qua in abſentia veri Sacramenti, & illius conſequendi impotentia, moribundi contritio excitaretur, & caritas ferveret: atque Deus interiori ejus diſpoſitione, & precibus Eccleſiæ motus, ipſi effectum Sacramenti tribueret. Porro quod Confeſſiones in arctiſſima neceſſitate audire poſſit Diaconus, non mirum: ſiquidem id & Laicus poteſt. Qua de re S. Thomas quæſt. 8. Supplementi articulo ſecundo hæc habet:* Sicut Baptiſmus eſt Sacramentum neceſſitatis, ita & Pœnitentia. Baptiſmus autem, quia eſt Sacramentum neceſſitatis, duplicem habet Miniſtrum: unum, cui ex officio baptizare incumbit, ſcilicet Sacerdotem: alium, cui ratione neceſſitatis diſpenſatio Baptiſmi committitur. Et ita etiam Miniſter Pœnitentiæ, cui ex officio Confeſſio eſt facienda, eſt Sacerdos: ſed in neceſſitate etiam Laicus vicem Sacerdotis ſupplet, ut ei Confeſſio fieri poſſit. *Et in reſponſione ad primum:* In ſacramento Pœni-

V. *An cenſes de omnibus aliquid eſſe enarrandum?*

℞. Minime: ſed tantum de Stephano, Philippo, & Nicolao. Nam ceterorum nomen ſolum Scriptura recitat, & quæ de his ab aliis narrantur, ſunt prorſus incerta. At vero Stephani, & Philippi geſta exhibet D. Lucas in Actis Apoſtolorum, & ea de Nicolao a veteribus traduntur, quæ ſilentio præteriri non debent. Dicam igitur primum.

nitentiæ, *inquit*, non ſolum eſt aliquid ex parte Miniſtri, ſcilicet Abſolutio, & Satisfactionis injunctio; ſed etiam aliquid ex parte ipſius, qui ſuſcepit Sacramentum, quod eſt etiam de eſſentia Sacramenti, ſicut Contritio, & Confeſſio. Satisfactio autem jam incipit eſſe a Miniſtro, inquantum eam injungit, & a Pœnitente, inquantum eam implet: & ad plenitudinem Sacramenti utrumque debet concurrere, quando poſſibile eſt. Sed quando neceſſitas imminet, debet facere Pœnitens, quod ex parte ſua eſt, ſcilicet conteri, & confiteri cui poteſt: qui quamvis Sacramentum perficere non poſſit, ut faciat id, quod ex parte Sacerdotis eſt, Abſolutionem ſcilicet; defectum tamen Sacerdotis Summus Sacerdos ſupplet. Nihilominus Confeſſio ex defectu Sacerdotis Laico facta, Sacramentalis eſt quodammodo; quamvis non ſit Sacramentum perfectum, quia deeſt id, quod eſt ex parte Sacerdotis. Natalis Alexander extrema diſſertat. 4. in Hiſt. Eccl. Sæculi III. Morinus lib. 8. de adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ cap. 23. & 24. & Benedictus XIV. De Synodo Diœceſana lib. 7. cap. 15. num. 4. ad 7. Vide annotat. 4. ad Urbanum VIII. Pontif. CCXXXVIII. in Vitis Pontificum Romanorum a nobis deſcriptis.

DE

DE
S. STEPHANO
PROTOMARTYRE.

Ille a corona digne appellatus Stephanus, (1) *inter Diaconos nominatur primus, ſicut inter Apoſtolos Petrus.* (2) *Incertum eſt, unde fuerit; utrum ex illis, qui prius in Chriſtum crediderant, ſicut Nicodemus, qui ad eum venit nocte; an forte in illis, qui poſt aſcenſum Domini veniente Spiritu Sancto, quando impleti ſunt diſcipuli, & loquebantur linguis omnium gentium.* (3) *Cum eſſet ab Apoſtolis ordinatus, in brevi ad paſſionem praeceſſit ordinatores ſuos,* (4) *& primus ex omnibus hominibus ſectatus eſt veſtigia Martyrii Domini propter Chriſti confeſſionem primus interfectus.* (5) Rei geſtæ Hiſtoriam admirabili ordine deſcripſit S. Lu-

Y 2 cas

(1) S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 17. §. 24. pag. 275.

(2) Auctor ſermonis 217. apud Auguſtinum in Appendice. Stephano *pulcbritudo erat corporis, flos ætatis, & eloquentia ſermocinantis, & ſapientia ſanctiſſimæ mentis, & operatio divinitatis.*

(3) In Chriſtum crediſſe Stephanum permotum prædicatione S. Petri, ſcribit S. Ambroſius lib. 5. Hexaem. cap. 6. pag. 64. tom. 1. & S. Hilarius in Matthæum cap. 17. §. 13.

(4) S. Auguſtinus ſerm. 316. cap. 1. & 3.

Idem ſerm. 298. cap. I. *Petrus ordinator S. Stephani fuit. Quando ordinatus eſt Diaconus Martyr Stephanus, inter alios Apoſtolos eum ordinavit Apoſtolus Petrus. Petrus illius ordinator, Paulus illius perſecutor.*

In Sancta Eccleſia Sion Archidiaconus *fuerat ordinatus*: Lucianus Presbyter in epiſtola de revelatione corporis S. Stephani cap. 8. apud Auguſtinum Benedictinorum tom. 7. Lovanienſium tom. 10.

(5) S. Irenæus lib. 3. adverſus hæreſes cap. 12. pag. 230.

Cap. VI. VII. & VIII. cas in Actis Apoſtolorum. Chriſtianæ doctrinæ evulgandæ cum intentiorem operam daret, & mira faceret, diverſi generis Judæorum in ſe odium concitavit. Libertini in primis (quo nomine, Pag. 555. ut ſcribit Chryſoſtomus in Act. hom. 15. *appellabantur, qui a Romanis libertate donati erant*) Stephanum diſceptando ſuperare tentarunt. Diſputatione victi, falſis teſtibus, & criminibus juvenem innocentiſſimum circumvenire conantur. Captum quaſi violatæ Legis reum trahunt in Concilium. Interrogatus a Concilii præſide, verane eſſent, quæ in ipſum dicerentur, objecta crimina refellere aggreſſus, ſermonem producit longius, ut deferveſcente interim furore ad ſanam mentem redirent. Verum cum vano id incepto conari ſe, divino, crediderim, inſtinctu animadvertiſſet, quod obſtinata incredulitate orationem ſuam reſpuerent, tam acriter, tamque libere in eorum pervicaciam invectus eſt, ut illos reos agere non dubitaverit, quod Spiritui Sancto ſemper reſiſterent, imitati peſſima Majorum exempla, qui Prophetas primum, deinde Chriſtum ipſum interfecerant. *Sævire videtur: lingua ferox, cor lene. Clamabat, & amabat. Sæviebat, & ſalvos fieri volebat. Quis non crederet iratum, quis non crederet odiorum facibus inflammatum, quando dicebat:* Dura cervice, & non circumciſi corde & auribus? *Interea de Cælo Dominus aſpexit, & vidit. Apertum eſt cælum: vidit Jeſum tamquam exhortantem athletam ſuum. Nec tacuit, quod vidit:* Ecce video, *inquit*, cælum apertum, & filium hominis ſtantem ad dexteram Majeſtatis. *Illi hoc audito, quaſi blaſphemia eſſet, quod ille dixiſſet, aures obturaverunt, ad lapides cucurrerunt.* (*6*) In ipſa

(*6*) Hæc S. Auguſtinus ſerm. 315. alias 93. de diverſis cap. 13. §. 5.

S. Pau-

ipſa lapidatione non deſtitit pro iis orare: *& ſic*, quemadmodum dicit S. Irenæus lib. 3. adverſus hæreſes cap. 12. *perfectam doctrinam adimplevit, per omnia Martyrii Magiſtrum imitans, & poſtulans pro eis, qui ſe interficiebant*. Nec fruſtra miſſæ preces. *Nam ſi Martyr Stephanus non ſic oraſſet, Eccleſia Paulum hodie non haberet. Sed ideo de terra erectus eſt Paulus, quia in terra inclinatus exauditus eſt Stephanus*, ut loquitur D. Auguſtinus ſerm. 382. extremo cap. 4. Stephanum mortuum ſepeliendum curarunt viri quidam pii & religioſi, qui eum *planctu magno*, honeſto ſcilicet & amplo funere, comitantibus Apoſtolis, humaverunt. (7) Annus mortis ejus Baronio eſt annus Domini 35. per diem unum inchoatus: Petavio, Uſſerio, Tillemontio annus ipſe, quo Chriſtus paſſus eſt: aliis omnino incertus. Atque his dies quoque Stephani ſupremus eſt in obſcuro. Si ceteros audias, quibus aſſentior, VII. Kal. Januarii & Cælos apertos vidit, & ad JESUM,

Y 3 quem

S. Paulus apud Lucam Act. XXII. 20. *Cum funderetur ſanguis Stephani teſtis tui, ego aſtabam, & conſentiebam, & cuſtodiebam veſtimenta interficientium illum.*

S. Auguſtinus in Pſal. 147. §. 25. & ſerm. 215. cap. 5. §. 7. *Omnium lapidantium veſtimenta ſervabat, ut omnium manibus lapidaret.*

Unum ex his lapidibus a quopiam Chriſtianorum collectum, in Italiam poſtea fuiſſe translatum, & Anconæ repoſitum, docet Baronius ad an. 34. §. 305. ex D. Auguſtino ſerm. 323. alias 32. de diverſis cap. 2.

(7) Hieronymus Epiſt. 25. cap. 3. pag. 164. *Stephano fecerunt Hieroſolymæ fratres planctum magnum; & utique planctus magnus non in plangentium exanimatione, ut tu putas, ſed in pompa funeris, & exequiarum frequentia intelligendus eſt.*

Idem epiſt. 53. ad Riparium, ſcribens adverſus Vigilantium, pag. 404. *Ergo martyrum immundæ ſunt reliquiæ? Et quid paſſi ſunt Apoſtoli, ut immundum Stephani corpus tanta funeris ambitione præcederent, ut facerent ei planctum magnum, ut eorum luctus in noſtrum gaudium verteretur?*

quem videbat, martyrum omnium primus evolavit. Nulla enim alia videtur eſſe cauſſa, cur jam inde a quarto, aut quinto ſæculo, ut ex Auguſtino, aliiſque colligitur, poſtridie Natalem Chriſti diem Stephani Martyrium Eccleſia celebraverit. Illud tamen animadvertendum, in Cappadocia, & Ponto, ubi VIII. Idus Januarii ortus Chriſti Domini recolebatur, diem inſequentem fuiſſe Stephano ſacrum, variata quidem ratione temporis, ſed antiquo Eccleſiæ more ſervato, ut hæc duo Feſta conjungerentur. Miro enim conſenſu Stephani mortem cum Natali Chriſti die copulavit antiquitas. Diu *latuit corpus ejus*, teſte Auguſtino ſerm. 319. cap. 6. Nunc Venetiis colitur in Eccleſia S. Georgii Majoris, *& pro celebriori devotione perpetuis temporibus augenda decretum exſtitit, ut Dux invitatus cum inſigniis Ducalibus Veſperi, & Miſſæ Feſtivitatis debeat intereſſe*, ut ſcribit Dandulus in Chronico lib. 9. cap. 11. part. 11. pag. 263.

DE

DE
S. PHILIPPO,
QUI EST *EVANGELISTA* DICTUS.

PHILIPPUS *unus ex ſeptem* Diaconis, *ſecundus a Stephano*, (1) Cæſareæ in Palæſtina, referente Iſidoro Peluſiota lib. 1. epiſt. 449. natus eſt. Uxorem habuit, ex eaque filias quatuor ſuſcepit. A D. Luca *Evangeliſtæ* nomine commendatur, ſeu *propter promtum prędicationis eloquium*, ut viſum Auguſtino Serm. 266. §. 4. ſeu quod omnium primus poſt aſcenſum Chriſti in Cælum Samaritis Evangelium prædicavit, ut placet Baronio ad an. 35. §. 8. Cum enim poſt illatam Stephano necem Chriſtiani omnes, præter Apoſtolos, Hieroſolyma relicta, in diverſa abiiſſent, Philippus Samariam conceſſit. Ibi & miraculis editis, & pluribus ad Chriſtum converſis inclaruit. Apoſtoli, qui erant Hieroſolymis, audito, Samaritas Chriſto per baptiſmum a Philippo initiatos, miſerunt illuc Petrum, & Joannem, a quibus Confirmationis Sacramentum, & gratiam conſequi poſſent. Ex quo facile perſpicitur, eum, qui baptizaverat, *Confirmandi* poteſtatem nullam habuiſſe, ac proinde Philippum Diaconum, non Philippum Apoſtolum, quemadmodum perperam creditum nonnullis antiquorum, (2) Samaritis præ-

Act. XXI. 8.

Act. VIII.

 di-

(1) Chryſoſtomus in Act. hom. 18. pag. 580.

(2) S. Iſidorus Peluſiota epiſt. 450. lib. 1. *Quod ſi is, a quo Baptiſmum acceperant* Samaritæ, *ex Apoſtolorum claſſe ac numero fuiſſet, Spiritus donandi poteſtatem profecto habuiſſet. At vero baptizabat duntaxat ut diſcipulus. Apoſtoli autem gratiam explebant ac perficiebant, ut qui hujuſmodi muneris tri-*

dicaſſe: qua de re dubitavit etiam Auguſtinus Tract. 6. in Joan. §. 18. qui tamen citato ſerm. 266. §. 4. *unum* fuiſſe *de ſeptem Diaconibus* diſerte confirmat. Inter ceteros a Philippo baptizatus eſt Simon Magus, is, quem poteſtatem conferendi Spiritum Sanctum oblata pecunia emere volentem, Petrus hominis audaciam execratus, rejecit. Samariæ, uti creditur, commorantem Philippum Angelus admonuit, ut obviam iret Eunucho Candacis Reginæ Æthiopum diſcedenti Hieroſolyma, quo religionis cauſſa venerat. Statim imperata faciens eum in curru, quo vehebatur, legentem Eſaiam Prophetam invenit, explicatoque, quem legebat, Prophetæ loco, *oſtendit ei JESUM, qui clauſus latebat in littera*, credentemque *inter vias fortuita aqua tinxit*, (3) & *Apoſtolum genti Æthiopum miſit*. (4) Eunucho vixdum baptizato, ra-

tribuendi poteſtatem atque auctoritatem divino beneficio accepiſſent.

Eos, qui *Philippum Diaconum intelligentes appellavere Apoſtolum, & cum majoribus Apoſtolis conjunxere, erroris forſitan immunes fuiſſe, aſſerit* Cotelerius in Conſtitut. Apoſt. lib. 6. cap. 7. §. 9. pag. 337. *quod certum ſit, & a multis etiam veteribus obſervatum, Apoſtoli nomen indi quoque viris Apoſtolicis, qualis exſtitit Philippus Diaconus & Evangelii prædicator*.

(3) Tertullianus de Baptiſmo cap. 4. pag. 225.

(4) Hieronymus epiſt. 103. pag. 673. & in Eſaiam cap. 53. pag. 171. Eamdem ſententiam habet S. Irenæus lib. 3. adverſus Hæreſes cap. 12. pag. 229. & S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 17. §. 25.

Eunuchus *primus ex gentibus divini verbi myſteria percepit, totius orbis Fidelium primitiæ factus*: Euſebius lib. 2. Hiſt. Eccl. extremo cap. 1.

Alii multo probabilius Judæum, aut Proſelytum faciunt, & primum ex Ethnicis Chriſtianum eſſe Cornelium Centurionem probant. Baronius ad an. 35. §. 27. affirmat, omnes Eccleſiaſticos Scriptores conſentire, *hunc fuiſſe proſelytum, ex Gentilibus ad Judæorum religionem adductum*.

Auguſtinus ſerm. 99. extremo cap. 11. *Impleto baptiſmatis mi-*

raptus ſubito ab Spiritu Philippus, & per aerem delatus Azotum translatus eſt: qua regione peragrata, Chriſtianæ religionis præcepta Civitatibus cunctis tradidit, donec veniret Cæſaream Palæſtinæ, ubi domicilium ſuum habuit, & cum filiabus quatuor cœlibatu, & prophetia claris manſit. (5) Inde ſimilius vero fit, in ea potius urbe, quam Hierapoli, mortuum, & tumulatum fuiſſe, ut exiſtimant Latini. Nam Græci Trallibus in Lydia vita defunctum credunt. (6)

miniſterio, & ſacramento, ne hominum putaretur donum Spiritus Sancti, non exſpectatum eſt, ſicut tunc, ut venirent Apoſtoli, ſed continuo venit Spiritus Sanctus. Et ſerm. 266. §. 5. *Illud ſcriptum eſt, quia mox ut aſcenderet de aqua, venit Spiritus Sanctus ſuper Spadonem.* Qua de re nihil hodie legitur in Vulgata: ſed Auguſtino conſentiunt libri aliquot Græci, & ipſe D. Hieronymus in Dialogo adverſus Luciferianos cap. 4. pag. 424.

(5) S. Hieronymus epiſt. 27. ad Euſtochium, in qua Paulæ vitam enarrat, cap. 3. pag. 176. ſcribit, illam, cum perveniſſet Cæſaream, *vidiſſe Philippi ædiculas, & cubicula quatuor virginum Prophetarum.* Vide Interrogat. 3. ad S. Philippum Apoſtolum.

(6) Latini Philippi memoriam celebrant die 6. Junii, ut eſt in Martyrologio Romano ad eumdem diem, Græci die 11. Octobris, qui quidem eum *Apoſtoli* nomine appellant, ut eſt in eorum Menologio apud Caniſium Lectionum Antiquarum tom. 3. part. 1. pag. 478. & apud Ughellum tom. 10. Italiæ ſacræ part. 2. p. 273. ac in Menologio Baſilii, in quo illud *minus ſacro textui convenit, quod ipſimet Eunucho nomen fuerit* Candax, *vel* Candaces, *cum id Reginæ ſit*, quemadmodum obſervatum eſt a Bollando die 6. Junii pag. 619. §. 3. & ante Bollandum a Beda Retract. in Act. cap. 1. pag. 3. tom. 5. ubi hæc addit: *Reginæ Æthiopum, ſicut ex veterum monumentis comperimus, omnes antiquitus ſic appellari ſolebant.*

DE

DE
NICOLAO.

NICOLAUS Antiochenus fuit, Proſelytus, hoc eſt ex Ethnico Judæus. Cum nomen Chriſto dediſſet, iis virtutibus eluxit, ut dignus habitus ſit, qui in ſeptem primis Diaconis numeraretur. Poſtea eam ſubivit infamiam, quæ ſatis purgari numquam potuit. Nimirum veteres plurimi eum auctorem faciunt Hæreticorum, quibus *Nicolaitis* nomen: plurimi contra putant, eam dumtaxat ob rem Nicolaitas a viro tanto nomen ſumſiſſe, ut inſignem titulum turpitudini obtenderent, & in ejus auctoritate deliteſcentes facilius hominibus fucum facerent. Libet utriuſque partis teſtimonia afferre, ut per ſe quiſque judicare poſſit, utra vincere debeat. Nicolaum itaque uxorem, quam habebat, pulcherrimam dimiſiſſe, ut viros Deo penitus addictos imitatus caſtitatem ſervaret, ſcriptum reliquit Epiphanius Hær. 25. §. 1. qui addit, eumdem in incepto haud perſiſtentem uxori ſuæ rurſus adhæſiſſe, & cum allatas, ne id in ſe reprehenderetur, excuſationes minime accipi intellexiſſet, tandem auſum eſſe effutire: *Niſi qui diebus ſingulis luxuriæ vacet, ſempiternam ſalutem neminem poſſe conſequi*. Epiphanium ſecuti ſunt Hilarius, Gregorius Nyſſenus, Philaſtrius, Hieronymus, Caſſianus, Gregorius Magnus, & alii a Natali Alexandro, Cotelerio, Tillemontio collecti, quorum ex ſcriptis intelligi licet, Nicolaum auctorem fuiſſe ſectæ Nicolaitarum. (1) Quod ſentit etiam Irenæus lib. 1. ad-

(1) Natalis Alexander in Hiſt. Eccl. ſæc. 1. Diſſertat. 9. pag.

adverſus hæreſes cap. 27. omnium, quos nominavi, antiquiſſimus. Tertullianum vero prætereo, quia caput 46. *De præſcriptionibus*, ubi Nicolaus hæreticus dicitur, a Tertulliano ſcriptum non eſt. Quandoquidem convenit inter doctiſſimos, librum ejus de Præſcriptionibus quinque tantum, & quadraginta capitibus contineri.

E contrario S. Clemens Alexandrinus, multo ante Epiphanium natus, & honorifice de Nicolao loquitur, & rem aliter narrat lib. 3. Strom. pag. 456. Scribit enim, Nicolaum, exprobrata eidem ab Apoſtolis erga uxorem zelotypia, eam in omnium conſpectum produxiſſe; eique poteſtatem feciſſe nubendi, cui vellet. Minus ille quidem caute egiſſe videtur, ſed appoſite ad avertendam noxam. Non pravo certe animo tunc ab Nicolao productam, vel ex eo liquet, quod Clemens ſubiicit, illum nullius feminæ, niſi uxoris ſuæ, notitiam habuiſſe; liberos autem ita educaſſe, ut filiæ virgines conſenuerint, & filius perſeveraverit incorruptus. Subjungit Clemens, dixiſſe illum; *Quod carne uti oporteat*, eodem ſenſu, quo ferunt dixiſſe Matthiam, videlicet, *Nihil ei impudicum largiendo ad voluptatem:* quod idem omnino, eſt, atque carnem coercere, & pravas animi cupiditates aſſidua corporis exercitatione domare. Qui igitur Nicolai *factum & dictum abſolute, & inconſiderate ſequentes fornicantur*, eorum *infoſſa eſt anima in cœno vitii, ut qui decretum ipſius voluntatis, non autem Apoſtolici viri ſequantur*. (2) Hoc S. Clementis loco Euſebius lib. 3. Hiſt.

pag. 129. tom. 3. Cotelerius in Conſtitutionum Apoſtolicarum librum ſextum cap. 8. pag. 339. num. 16. Tillemontius in Nicolao Diacono pag. 43. tom. 2.

(2) Clemens Alexandrinus lib. 2. Strom. pag. 456. & 434.

Moris fuit Hæreticorum, virum aliquem Apoſtolicum ſectæ

Hiſt. Eccl. cap. 29. confutavit Nicolaitas, qui Nicolaum *ſectæ ſuæ auctorem jactabant*. (3) Quod fecit etiam Nicephorus lib. 3. cap. 15. Multo apertius Clementis ſententiam probat Theodoretus. Nam lib. 3. Hæretic. Fabul. cap. 1. docet, Nicolaum permiſiſſe uxori ſuæ nubere, cui vellet, *non hoc lege aliqua decernentem, ſed ut accuſatorum calumniam redargueret*. Sanctus quoque Auguſtinus in lib. de hæreſibus cap. 5. Clementis locum redactum in pauca deſcribit, & anſam potius ad docendam hæreſim dediſſe, quam docuiſſe, ſubjungit. Sed omnium apertiſſime Victorinus Petavionenſis Commentario in Apocalypſim: *Nicolaitæ*, inquit, *ſub nomine Nicolai Miniſtri fecerunt ſibi hæreſim*, (4) atque *falſo*, ut ait Theodoretus, *ſibi de ejus appellatione nomen arrogarunt*. Omitto Conſtitutionum Apoſtolicarum auctorem, qui lib. 6. cap. 8. *Nicolaitas falſo nomine dictos* refert, & Caſſianum, qui Collat. 18. cap. 16. dicit, quoſdam aſſerere, Nicolaum magiſtrum Nicolaitarum alium eſſe a Nicolao Diacono: ſiquidem utrumque video parum probari. Habes utriuſque partis momenta præcipua, ut poſſis utram malis amplecti. Ego illis, qui Nicolaum culpa liberant, ma-

ſectæ ſuæ ducem jactare, ut aliquid celebritatis ſibi acquirerent, & facilius impia fraude minus cautos obligarent. Sic Baſilides, teſte S. Clemente Alexandrino Strom. lib. 7. pag. 749. magiſtrum ſibi adſcribebat Glauciam, qui D. Petri interpres fuerat: ſic Valentinus gloriabatur, ſe audiviſſe Theodadem Paulo familiarem. *Tales autem ſunt*, ut ait idem Clemens Strom. lib. 2. pag. 434. *qui dicunt, ſe ſequi Nicolaum, adducentes ejus viri aliquid litterarum monumentis mandatum, ſed ab eis detortum, nempe oportere carne uti*.

(3) Nicolaus le Nourry in Apparatu ad Bibliothecam Maximam veterum Patrum Diſſertat. 1. cap. 8. tom. 1. pag. 16. *Quid aliud hoc verbo* jactabant, *innuit Euſebius, quam Nicolaum hujus hæreſeos non eſſe auctorem?*

(4) Bibl. Patr. tom. 3. pag. 415.

magis credo ; ita tamen , ut exiſtimem , ſi non errorem , erroris certe occaſionem , licet præter voluntatem , præbuiſſe . (5) Quam ob cauſſam nec a Latina, nec a Græca Eccleſia hujus Diaconi memoriam invenies honore ullo conſecratam.

II. *Aliine reſtant ad Hiſtoriam Apoſtolicam abſolvendam?*

℟. Reſtant viri Apoſtolici duo, Titus, & Timotheus ſocii laborum D. Pauli , & ex epiſtolis ejuſdem Pauli notiſſimi. De utroque, pauca diſſeram: ac primum quidem

(5) Nourry loco citato : *Irenæus & Clemens antiquiores & præcipui utriuſque opinionis fautores coævi erant, & a* Nicolai *temporibus tam parum remoti ut ab ejuſdem* Nicolai *amicis aut diſcipulis potuerint facile diſcere , num ab illo vere profecta ſit ea hæreſis . Et Clemens quidem ſe id non indiligenter inveſtigaſſe ſignificat . Neque tamen eo repudianda eſt Irenæi ſententia, quia ab uno ex ſeptem primis Eccleſiæ Diaconis hæreſim illam ortum ſuum duxiſſe, improbabile videatur . Nam cum Chriſtus ab uno e ſuis Apoſtolis, ne doctrinam ſuam propagaret, ad necem ſit venditus, potuit & unus ex ſeptem illis Diaconis alicujus hæreſeos inventor eſſe ac propugnator .*

DE

DE
S. TITO
D. PAULI DISCIPULO,
CRETENSIUM EPISCOPO.

TITUS Ethnicus fuit : unde oriundus, ignoratur. Chryſoſtomus putat *fortaſſe Corinthium* fuiſſe, & eumdem, ac Titum *Juſtum*, in cujus domum hoſpes receptus eſt Paulus, cum eſſet Corinthi. (1) Sed hæc ſententia aliis ſacrarum litterarum interpretibus non probatur. Titus enim Pauli diſcipulus ſe Paulo mancipavit ante Concilium Hieroſolymitanum anno Chriſti 51. celebratum, ac proinde ante adventum Pauli Corinthum, quo pervenit anno tantum inſequente. Idem a D. Paulo Chriſti fidem videtur hauſiſſe, quoniam ab eo filius appellatur. Cum cœlebs adhuc & incorruptus eſſet, *Evangelio credentem accepiſſe baptiſma, & virginem permanſiſſe*, *exiſtimat* Hieronymus in Epiſt. ad Titum cap. 2. Epiſtola vero 150. quæſt. 11. Pauli interpretem facit, quod Paulus *divinorum ſenſuum majeſtatem digno non poterat Græci eloquii explicare ſermone*. (2) Quæ cauſſa perperam aliquibus non probatur; quandoquidem Paulus ipſe ſe *imperitum ſermone*, etſi *non ſcientia* appellat epiſt. 2. ad Corinthios cap. XI. 6. (3) Anno memorato Chriſti

Ad Gal. II. 3. Act. XVIII. 7.

Bar. ad an. 45. §. 32.

Ad Tit. I. 4.

Pag. 205.

Pag. 809.

(1) In Epiſt. ad Titum hom. 1. pag. 1693. & in Act. Apoſt. hom. 39. pag. 713.

(2) Vide annotat. 53. De Apoſt. in univerſ.

(3) Vide ſupra pag. 30. 98. 143. atque Baronium ad an. 45. §. 32. & 37. & Lambertinum De ſerv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 3. cap. 48. §. 11. & 12.

ſti 51. Hieroſolymam cum Paulo ad Concilium proficiſcente venit, ubi falſis fratribus, qui eum ad circumciſionem adigere tentaverant, neque ipſe, neque Paulus conſenſit. Diſſidio inter Fideles Corinthi ſuborto, illuc ad res componendas ab Apoſtolo miſſus, honorifice exceptus eſt, magnaque lætitia affectus, quod Corinthii ſibi dicto audientes fuiſſent. Corintho in Macedoniam ad Paulum ſe contulit, unde paullo poſt Corinthum remigrare juſſus obſequentiſſime paruit: qua occaſione delatam ab eo alteram ejuſdem Apoſtoli ad Corinthios epiſtolam, haud ego equidem ambigam. Anno Chriſti 57. ut placet Baronio, ut aliis 63. Cretenſis Epiſcopus a D. Paulo factus eſt, atque in Creta relictus, ut incolæ, qui *nuper crediderant*, quemadmodum loquitur Hieronymus, *haberent Apoſtolicum virum, qui ea, quæ videbantur deeſſe, corrigeret, & conſtitueret per Civitates Presbyteros*, ſeu, ut vult Chryſoſtomus, *Epiſcopos*. (4) Anno inſequente a Paulo per literas monitus eſt, ut cum Artemas, vel Tychicus

Ad Gal. II. 1. 4.

2. ad Cor. VII. 7. 15.

Ad an. 57. §. 209. & ad an. 58. §. 1.

Ad Tit. III. 12.

(4) Hieronymus in Epiſt. ad Titum cap. 3. pag. 209. Chryſoſtomus in eamdem Epiſt. hom. 2. pag. 1700. tom. 2. Petrus de Marca lib. 1. De Concordia Sacerdotii & Imperii cap. 3. §. 2. *Hoc Apoſtolorum fuiſſe propoſitum, illuſtrius ſane oſtendi non poteſt, quam ex demandata Tito Cretæ inſulæ ſolicitudine, ut Preſbyteros (ſeu magis Epiſcopos, ut ipſemet Paulus ſequenti verſiculo interpretatur) oppidatim conſtitueret. Cum enim dixiſſet* (inquit Theodoretus in Epiſt. ad Titum cap. I. 7. pag. 509. tom. 3.) ut conſtituas per Civitates Presbyteros, *ſubjunxit*, Oportet enim Epiſcopum eſſe ſine crimine.

Hinc S. Hieronymum ejus fuiſſe opinionis, ut crederet, eumdem olim fuiſſe Presbyterum ac Epiſcopum; & conſuetudine potius, quam Dominica inſtitutione factum, ut Presbyteris majores eſſent Epiſcopi, ſcribit Baronius ad an. 58. §. 3. ubi etiam alia D. Hieronymi in eam rem argumenta enarrat, ejuſque deinceps ſententiam exponit. Quod facit etiam Petavius lib. 2. de Eccleſiaſtica Hierarchia cap. 5. tom. 5. Theologic. Dogmat. pag. 739.

cus in Cretam veniſſet impleturus locum ejus, ipſe ſtatim Nicopolim Macedoniæ contenderet, qua in Urbe Paulus hyemare decreverat. Ex Creta igitur ad Paulum Nicopoli agentem acceſſit. Poſtea ejuſdem Apoſtoli mandato in Dalmatiam profectus eſt, qua in regione adhuc morabatur, cum alteram epiſtolam ad Timotheum Paulus da-
2. ad Tim. IV. 10. ret. Inde reverſus in Cretam, Inſularum, quæ Cretæ circumjacerent, incolas Chriſtianæ religionis præceptis dicitur imbuiſſe. Natus annos quatuor & nonaginta in Inſula Creta mortuus, tumulatuſque eſt. Ejus diem feſtum Græci VIII. Kal. Septembris, Latini pridie Nonas Januarii celebrant. (5)

(5) Vide Bollandum die 4. Januarii pag. 163.

DE

DE
S. TIMOTHEO
D. PAULI DISCIPULO,
ANTISTITE EPHESIORUM.

TIMOTHEUS, Derbenſiſne, an Lyſtrenſis fuerit, ambigitur. Lyſtrenſem ut potius credam, Chryſoſtomi facit auctoritas, (1) cui favere videtur Lucas, dum ſcribit: Fratres, qui Lyſtræ, non qui Derbæ agebant, de vera Timothei fide, ac pietate teſtes fuiſſe. Ex quo apparet, Timotheum Chriſto jam antea adhæſiſſe. Nam licet Ethnico patre natus, matrem habuit Judæam Eunicem nomine, & aviam Loidem, ambas Fideles, & ſpectatæ virtutis feminas, quæ puerum Chriſtianæ religionis præceptis ad veram pietatem informaverant. (2) Hunc igitur, qui *ab infantia ſacras litteras noverat*, ſocium laboris adſcivit Paulus, (3) atque *circumcidit*, *ut circum-* Bar. ad an. 51. §. 61. 62.

Z *ci-*

(1) Hom. 19. in Epiſt. ad Rom. pag. 235. Timotheus *erat ex Lyſtris Civis*. Et hom. 8. in Epiſt. 2. ad Tim. pag. 1674. *Antiochiam Piſidiæ dicit Lyſtram, ex qua Timotheus erat oriundus*.

(2) Lucas Act. cap. XVI. 1. 2. *Pervenit autem Derbem, & Lyſtram. Et ecce diſcipulus quidam erat ibi, nomine Timotheus, filius mulieris fidelis, patre Gentili: Huic teſtimonium bonum reddebant, qui in Lyſtris erant, & Iconio fratres*.

Paulus epiſt. 1. ad Timotheum cap. I. 5. *Recordationem accipiens ejus fidei, quæ eſt in te non ficta, quæ & habitavit primum in avia tua Loide, & matre tua Eunice*.

S. Hieronymus epiſt. 89. pag. 633. *Timotheum* dicit *filium hominis gentilis, utique & ipſum gentilem*.

(3) Paulus epiſt. 2. ad Timotheum cap. III. 15.

Theo-

ciſionem tolleret, (4) ut ſcilicet Judæi circumciſum libenter audirent, quem circumciſionis expertem contemſiſſent. Quantum vero hujus curæ omnes, vigiliæ, cogitationeſque ad cæleſtem Chriſti doctrinam evulgandam laboraverint, ipſius Pauli teſtimonio docuiſſe ſuffecerit. *Paulus itaque ipſum vocat filium, & filium dilectum, & fidelem, quæ verba omnem ipſius virtutem demonſtrare ſufficiunt. Sanctorum enim judicia nec ad gratiam, nec ad inimicitiam fiunt, ſed ab omni ſunt præſumta opinione libera.* (5) Eumdem ait ſibi, tamquam *Patri filium*, *in Evangelio* adfuiſſe, & ſibi in Domini opere faciundo prorſus ſimilem, & adeo carum, ut de eo, cum preces ad Deum funderet, ſemper meminerit. (6) Eumdemque omnium primum Eccleſiam Epheſinam adminiſtraſſe, auctor eſt Euſebius lib. 3. Hiſt. Eccl. cap. 4. quicum facit Chalcedonenſis Synodus, quæ Epiſcopos ſeptem & viginti a Timotheo uſque ad Stephanum, Epiſcopatu ab illa dejectum, numerat. (7) Quo autem tempore Epheſinæ Eccleſiæ a Paulo præpoſitus fuerit, latet. Illud eſt certum, Epiſcopatu initiatum eſſe a D. Paulo, & jam tum Epiſcopum fuiſſe, cum primam ad eum epiſtolam Paulus ſcriberet. Siquidem in ea modum illi præſcribit recipiendæ accuſationis adverſus

Theodoretus in argumento Epiſtolæ I. ad Timotheum pag. 463. tom. 3. *Relicta & patria, & domo, & parentibus, ſecutus eſt Apoſtolum, ejus conſuetudinem omnibus ſimul anteponens. Huic Aſiæ curam commiſit divinus Paulus.*

(4) Chryſoſtomus in Act. hom. 34. pag. 684.

(5) Chryſoſtomus hom. 1. ad populum Antiochenum pag. 5. tom. I.

(6) Paulus epiſt. 1. ad Corinthios cap. IV. 17. Ad Philippenſes cap. II. 22. I. ad Cor. cap. XVI. 10. II. ad Tim. cap. I. 3.

(7) Apud Labbeum tom. 4. Conc. pag. 700. & Harduinum tom. 2. pag. 558.

ſus Presbyterum, eumque monet, ne ulli cito manus imponat, (8) & ne aquam adhuc ad potum adhibeat, ſed modico vino utatur propter languentem *ſtomachum*, *& frequentes infirmitates*. (9) Alteram poſtea epiſtolam accepit Timotheus haud multo ante mortem Roma a D. Paulo ſcriptam, *quam ſibi teſtamenti cujuſdam vice ſervaret*. In ea Timotheo mandabat Paulus, ut feſtinaret ante hyemem Romam ad ſe venire, tum quod *cuperet*, *antequam excederet vita*, *plurima fortaſſis illi commendare*, tum quod *neminem* præter Lucam *haberet adjutorem in Evangelio*. (10) Ut autem li-

(8) S. Hieronymus in Eſaiam cap. 58. pag. 192. explicans hoc monitum D. Pauli: *Non eſt*, inquit, *peccatum leve*, *mittere margaritas ante porcos*, *& dare ſanctum canibus*, *& Ordinationem Clericatus nequaquam ſanctis*, *& in Lege Dei doctiſſimis*, *ſed affectis ſuis tribuere*, *& vilium officiorum miniſtris*, *quodque his dedecoroſius eſt*, *mulierculārum precibus*.

S. Leo epiſt. 1. ad Epiſcopos Africanos cap. 2. *Quid eſt cito manus imponere*, *niſi ante ætatem maturitatis*, *ante tempus examinis*, *ante meritum laboris*, *ante experientiam diſciplinæ Sacerdotalem honorem tribuere non probatis?*

(9) Paulus I. ad Timoth. cap. V. 19. 22. 23.

Chryſoſtomus cit. hom. 1. ad populum Antiochenum pag. 5. tom. 1. *Timothei virtuti quid æquale? Sic delicias aſpernabatur*, *& lautam menſam deridebat*, *ut in morbum ex victus aſperitate*, *& nimio caderet jejunio*.

Julianus Pomerius lib. 2. De Vita Contemplativa cap. 2. (extat in appendice Operum S. Proſperi Aquitani) inquit: *Timotheo ſuo diſcipulo*, *qui ſe longa abſtinentiæ diſtrictione jam fregerat*, *& ſtomachum ſuum aquæ perceptione corruperat*, *modico vino uti debere præcipit*. Et Salvianus De Gubernatione Dei lib. 1. cap. 3. *Legimus*, *Timotheum Apoſtolum carne infirmiſſimum fuiſſe*. *Nunquid negligebatur a Domino*, *aut ob infirmitatem Chriſto non placuit*, *qui ad hoc infirmus eſſe voluit*, *ut placeret? quemque etiam ipſe Apoſtolus Paulus*, *licet nimiis jam infirmitatibus laborantem*, *non tamen niſi pauxillum vini ſumere ac delibare permiſit*: *hoc eſt*, *ita eum voluit infirmitati ſuæ conſulere*, *quod noluit tamen ad fortitudinem pervenire?*

(10) Chryſoſtomus in 2. ad Timotheum hom. 9. pag. 1681. & hom. 10. pag. 1685.

Digitized by Google

libentius iter ingrederetur, ſcribit, ſe Epheſum miſiſſe Tychicum, ut abſentis munia obiret. (11) Quo res evaſerit incertum eſt. Epheſi quidem certe Timotheus, *cum Dianæ immolantes argueret, lapidibus obrutus* deceſſit. (12)

(11) Paulus epiſt. II. ad Timotheum cap. IV. 6. 12. 21.

Chryſoſtomus Pręfat. in epiſt. 1. ad Tim. pag. 1519. *Si quis perquirat, quid ſit cur* Tito, *ac* Timotheo *tantum ex omni diſcipulorum numero ſcribat, cum* Silas *&* Lucas *probati quoque ac mirabili virtute præditi fuerint . . . Quod his jam Eccleſiæ gubernacula, curamque tradiderat: illos vero ſecum adhuc circumducebat.* Ob id, *epiſtolam ſcribit, quæ magiſtro præceptorique congrueret.*

(12) Martyrologium Romanum die 24. Januarii.

Bollandus die 24. Januarii pag. 562. & 563. §. 1. 2. 4. 5. *Latini plerique (non tamen, quod exiſtimavit Baronius, omnes)* S. Timothei *natalem* XXIV. *Januarii celebrant: Græci vero* XXII. ejuſdem menſis, *quo interemtus eſt, de eo agunt. Eodem* XXII. *die Januarii eum Uſuardus, Maurolycus, Galeſinius, Caniſius, aliique Latinorum referunt: quidam utroque die. VVandelbertus* XVI. *Maji. Denique* XXVII. *Septembris Martyrologium S. Hieronymi* editum a Florentinio pag. 878. & 881.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IN-

INDEX

RERUM.

A

ABgari morbus. 207. Epiſtola ejus ad Jeſum, & epiſtola Jeſu ad eum non eſt ſuppoſititia. 208. & *ſequentibus*.

Actorum Apoſtolicorum liber ſcriptus eſt a D. Luca 326. Continet *Acta Spiritus Sancti*. 328. Quod maxime agit, eſt reſurrectionis declaratio. *ibid.* Cur inſcriptus *Acta Apoſtolorum*, non miracula Apoſtolorum. 330.

Alogi hæretici quinam. 173

Andreas S. Apoſtolus habuit in matrimonio ſororem uxoris S. Petri. 9. Primus Apoſtolorum omnium a Chriſto vocatus. 147. Petrum fratrem ſuum ad Chriſtum adduxit. 148. Quibus prædicaverit. *ibid.* Non inſtituit Eccleſiam Conſtantinopolitanam. 149. Cruci affixus moritur. 150. Ejus reliquiæ Conſtantinopolim ab Imperatore Conſtantino translatæ. *ibid.*

Anni per quos Apoſtoli Evangelicæ prædicationi operam dederunt. 60.

Antiochena Eccleſia a Petro fundata. 84

Antiochia *prima primi Apoſtoli Sedes*. 84. *Cognominati primum Antiochiæ diſcipuli* Chriſtiani. 271.

Apparitio, quæ dicitur facta Jacobo *Minori*, fabuloſa eſt. 231.

Apocalypſis Joannis divinæ eſt auctoritatis. 172.

Apocryphorum claſſes variæ in Notitia Gelaſii. 42. In apocryphis invenitur aliqua veritas. 241. Apocrypha ſcripta quænam. 242. Apocryphorum duo ſunt genera. 278.

Apoſtolorum nomen quid ſibi velit. 2. Apoſtoli quot. *ibid.* Secundum Petrum quinam primas tenuerint. 3. Idiotæ. 4. Quo ordine vocati. 5. Eorum vocatio quotuplex. 6. Galilæi. 7. Alii præter duodecim *ibid.* & 301. Quinam matrimonio conjuncti. 8. 9. Baptiſmo Chriſti baptizati. 10. Sacerdotes creati. 11. Quando, & quis omnium primus Miſſam celebrarit. 12. 13. Quo pane, & quo ritu. 14. 15. 16. Qua lingua. 17. Qua veſte. 18. Nulla exſtat legitima Apoſtolorum Liturgia. 21. Epiſcopatus Ordinem a quo acceperint. 24. Apoſtolis ſcriptum nullum tradidit Chriſtus. 24. Quo tempore afflati ſint Spiritu Sancto.

cto. 25. Quo in loco. 26. In domo Joannis *Marci* ſolebant conventus ſuos agere. *ibid.* Omnium linguarum ſcientia donati. 28. Habuerunt interpretem. 30. Eorum diſceſſus in provincias. 32. Prædicationis initium fecerunt Hieroſolymis. *ibid.* Symbolum. 34. & 35. Ad conficiendum Sacramentum Confirmationis uſi ſunt Chriſmate. 51. Laborabant manibus ſuis. 52. 53. Quo cibo uterentur. 54. Quibus veſtibus. 54. Utebantur Sandaliis. 56. 57. Utebantur libris Veteris Teſtamenti tum Hebræis, tum Græcis ex verſione Septuaginta. 57. 58. Feminas ſecum ducebant duplici de cauſſa. 59. Annos XXV. Evangelicæ prædicationi operam dederunt. 60. Omnes ſimul in carcerem conjecti. 62. Apoſtolis ſunt omnibus aliis Sanctis præferendi. 64. Sanarunt ægrotos ſola corporis umbra. 130. Primus ex Apoſtolis Martyr. 153. Feſtum omnium Apoſtolorum olim colebatur Kal. Maji 194. Apoſtoli alii præter D. Thomam Chriſti vulnera tetigerunt. 204. Apoſtolorum, Petri tantum, Pauli, Joannis & Thomæ nota ſepulcra. 213. Apoſtoli cum Chriſto cognatione juncti Jacobus *Minor*, & Judas, ſeu Thaddæus 223., & 224. Quinam præter duodecim Apoſtoli appellati. 226. 297. 312. & 344. Apoſtoli columnæ Eccleſiæ. 225. Apoſtoli *honoratiores*. 3. Non prædicarunt apud inferos. 286. 154. 227. Apoſtolorum nomine multa ab hæreticis ſcripta. 242.

Apoſtolus quis. 114. 138.

Ara *Ignoto Deo* Athenis poſita. 120. & 121.

Aſiarchæ quinam. 125.

Athenienſis Eccleſiæ Epiſcopus primus Dionyſius. 120.

B

B*abylonis* nomine Romam Petrus ſignificavit. 99.

Baptiſmus in nomine tantum Chriſti num ab Apoſtolis adminiſtratus. 47. Quomodo ab iiſdem adminiſtratus ante præſcriptam a Chriſto formam. 49. Quando adminiſtrari cœperit per infuſionem. 292.

Barathrum Athenienſium. 132.

Barnabas S. a quibus ſic dictus. 269. Nomen *Barnabæ* quid ſignificet. *ibid.* Fuit Levita, & ex ſeptuaginta duobus Diſcipulis. *ibid.* Fit Apoſtolus. 270. Geſta ejus ex Actis Apoſtolorum. 271. Inter ipſum, & Paulum orta diſſenſio. 273. Non inſtituit Eccleſiam Mediolanenſem. 275. Moritur. 277. Barnabæ Epiſtola ab Hugone Menardo, ali-

aliiſque edita non eſt verum hujus Apoſtoli opus. 278.
Bartholomæus S. fuit Galilæus. 195. Diverſus a Nathanaele. 195. & 197. Ejus peregrinationes. 196. Ejus memoria alio ab aliis die celebratur. 199.
Beſtiæ D. Pauli quæ. 124.

C

CÆlum, ad quod raptus D. Paulus, quid. 111. & 112.
Canones & Conſtitutiones Apoſtolorum quando prodierint 40. & 41. Cujus ſint auctoritatis. 41. & 42. Canones novem Concilii Antiocheni ſuppoſititii. 42.
Carceres celebratiſſimi. 132.
Catenæ D. Petri quibus innexus juſſu Herodis Agrippæ. 95. ſolitæ coruſcare miraculis. 96. Item Catenæ D. Pauli. 135.
Catenarum Petri, & Pauli miraculum. *ibid.* Ex his elimata ſcobes ad viros principes mitti ſolita. *ibid.*
Cathedra S. Jacobi *Minoris*, & S. Petri conſervata a majoribus magna reverentia. 229. S. Marci Alexandriæ colebatur. 310. Omnium fere Apoſtolorum Cathedræ religioſiſſime ſervatæ. *ibid.* & 311.
Cenchreæ pagus & navale Corinthiorum. 118.
Cephæ nomen quid. 66. *Cephas* a Paulo reprehenſus quinam. 83.
Chriſtianus primus ex Ethnicis quis. 344.
Chriſtus ſcriptam Apoſtolis doctrinam ſuam non tradidit. 24. Ejus veſtis alba quid. 56. Poſt reſurrectionem Petro primum inter viros ſe conſpiciendum præbet. 73. & 74. Eidem Eccleſiæ ſuæ curam mandat. 74. & 75. Ab Ethnicis *Chreſti* nomine appellatus. 89. Ultimum Paſcha in domo Joannis *Marci* celebravit. 170. Ejus Epiſtola ad Regem *Abgarum*. 208. Nullum volumen doctrinæ ſuæ reliquit. 212. Quanti venditus ab Juda. 252. & 253. Juxta Clementem Alexandrinum prædicavit iis, qui erant apud inferos. 286.
Cleophas fuit frater Joſephi ſponſi Beatæ Mariæ Virginis. 223.
Cognati apud Judæos *fratrum* nomine appellari ſoliti. 224.
Colobium quid. 55.
Columnæ ſunt Eccleſiæ Apoſtoli. 227.
Comæ appoſitæ quo anno inventæ. 249.
Concilium Apoſtolorum Antiochenum eſt ſuppoſititium. 42. & 43. Eorumdem Concilium Hieroſolymitanum explicatur. 44. Hoc unum verum Apoſtolorum Concilium,

alia non item. 46.
Concordia D. Petri uxor. 10
Confirmationis Sacramentum adhibito Chriſmate ab Apoſtolis collatum. 51. & 52.
Cuſtodiæ modus. 117. & 128.
Cornelius Centurio. 33.

D

DAmaris nobilis femina a D. Paulo Chriſti fidem edocta. 120.
Demetrius argentarius Epheſi tumultus excitat in D. Paulum. 125.
Diaconi ſeptem quinam. 334. Non ſunt electi ex numero duorum, & ſeptuaginta Diſcipulorum. *ibid.* Cur electi 335. Eorum munus. 336. Auſi ab Euchariſtiæ diſtributione ad conficiendam Euchariſtiam tranſire reprimuntur. 337. Eis conceſſum in extrema neceſſitate, ut Confeſſiones exciperent, & Pœnitentias imponerent, non ut Abſolutionem Sacramentalem conferrent. *ibid.*
Dionyſius Areopagita a D. Paulo ad Chriſti fidem traductus. 120. Athenienſis Eccleſiæ primus Epiſcopus fuiſſe traditur. *ibid.*
Diſcipuli fuerunt ne ſeptuaginta duo, an duntaxat ſeptuaginta. 298.

E

ECcleſia prima Romæ conſecrata quænam fuerit. 87.
Epheſina Eccleſia a D. Paulo erecta, a S. Joanne aucta, & confirmata. 122.
Epheſiorum Epiſcopus primus Timotheus. 171. & 372.
Epiſtolæ D. Petri duæ quo tempore, quo ſermone, quo loco ſcriptæ. 98. & 99. Earum auctoritas. 100. Epiſtolæ D. Pauli. 140. Harum epiſtolarum ſtylus. 143. Epiſtolæ Joannis tres. 176. 177. Epiſtola Abgari ad Jeſum. 207. Epiſtola Jeſu ad Abgarum. *ibid.* & 208. Epiſtola Catholica Jacobi. 235. Epiſtola Catholica Judæ, ſeu Thaddæi. 240. Epiſtola Barnabæ ſuppoſita. 278.
Evangeliſtæ quid in ſcribendo ſpectaverint. 186.
Evangelium Joannis lingua Græca ſcriptum eſt, ſemperque ab Eccleſia receptum. 173. Etiam caput ejuſdem Evangelii poſtremum. 176. Evangelium D. Matthæi omnium primum. 218. Hebraice, non Græce ſcriptum. *ibid.* Qua de cauſſa ſcriptum. 219. Evangelium D. Marci Græce ſcriptum

ſcriptum. 314. & 315. Evangelium D Lucæ temere a quibuſdam habitum eſt omnium Evangeliorum primum. 327.
Euchariſtia ad eos, qui Fidelium cœtui die Dominico non intererant, a Diaconis delata. 337.
Eunuchus Candacis Reginæ non fuit primus ex Ethnicis Chriſtianus. 344.
Evodius proximus poſt Petrum Epiſcopus Antiochenus. 85.

F

FŒminas cur ſecum ducerent Apoſtoli. 59.
Fides ſine operibus nihil prodeſt ad æternam beatitatem. 236.
Fratres quatuor modis in Scripturis divinis dicti. 224.
Fratres Domini. *ibid.* Ex Apoſtolis duo tantum. 238.
Funus Stephani Protomartyris cohoneſtatum præſentia Apoſtolorum. 341.

G

G*Abella* nomen. 215.
Gallia acceperit ne Chriſti Fidem ab S. Philippo Apoſtolo. 192. Num a S. Luca. 326.
Gamaliel præceptor D. Pauli. 63.
Glaucias interpres D. Petri. 30.

H

HÆreſis omnium prima. 251.
Hæreticorum mos eſt virum aliquem Apoſtolicum ſectæ ſuæ ducem jactare. 347. 348.
Hebræi etiam divites artem aliquam addiſcebant. 104. & 105.
Hieroſolymitanus Epiſcopus cur factus Jacobus, non Petrus. 85.
Hiſtoria mulieris adulteræ eſt pars Evangelii D. Joannis. 174. & 175.
Hieroſolymitana Sedes cur dicatur *Thronus Theadelphicus*. 231.

I

J*Acobus S. Major*, & Joannes Zebedæi, & Salomes filii, 152. Cur *Boanerges* dicti *ibid.* Peccaverint ne volentes

Cælo deducere ignem, qui Samaritanos abſumeret. 153. Cur dicatur *Major*. 154. Cur dignus habitus, qui intereſſet Transfigurationi Chriſti. *ibid.* Num natu major Joanne. 155. Num in Hiſpaniam profectus. 155. 156. Gladio Hieroſolymis cæſus. 158. Primus ex Apoſtolis Martyrium ſubiit. *ibid.* Ejus corpus in Hiſpaniam translatum. 158. & 159.

Jacobus S. Minor quos habuerit parentes. 222. Tres habuit fratres. 223. Dictus frater Chriſti Domini. *ibid.* Cur. *ibid.* & 124. Fuit idem, ac Jacobus *frater Domini*. 225. Huic ſeparatim a reliquis Apoſtolis Chriſtus redivivus apparuit. 227. Conſtitutus ab Apoſtolis Epiſcopus Hieroſolymorum. 228. & 229. Ejus Cathedra diu religioſe conſervata. *ibid.* Una cum Chriſto educatus. *ibid.* Pluviam a Deo impetrat. 230. A quo Epiſcopus conſtitutus. *ibid.* & 231. Maxima ejus ſanctitas. *ibid.* Mors. 232. & 245. Epiſtola Catholica. 235.

Illyricum D. Pauli. 113.

Imagines B. Virginis a D. Luca depictæ. 330.

Interpretis officium. 30. Interpretes Petri, & Pauli. *ibid.*

Joannes Baptiſta S. Apoſtolus æterni Patris. 8. Puer in deſertum ſecedit. 281. Cur tres Miſſæ in ejus Natali. *ibid.* Ejus deſertum duplex. 283. Cibus & veſtis. 282. Munus. 283. Primus prædicavit. *ibid.* Princeps monachorum. 283. Ducitur in carcerem. 284. Cauſſa necis Joanni illatæ. 285. Manens in utero novit Chriſtum manentem in utero. 288. Quando noverit etiam de facie. 285. Novit, Chriſtum pro hominibus moriturum. 286. Quo modo baptizaret, & a quo baptizatus. 288. Omnibus Prophetis major, ſed inter mulieris, non virginis natos. 287. Huic uni licuit & prænuntiare Chriſtum & videre. 392. 289. 291. Ejus baptiſmus num dimitteret peccata. 200. Ejus diſcipuli quinam. 293. Quo die interfectus. *ibid.* Quo in loco ſepultus. 294. Fuit verus Chriſti martyr. *ibid.* Cur nullum ſignum fecerit. 295. & 296. Ultimus Prophetarum apud Judæos. 296.

Joannes S. Evangeliſta omnium Apoſtolorum minimus natu. 155. A Chriſto præ ceteris diſcipulis amatus. 160. Cur Joannem plus dilexerit Dominus, cum ipſum Dominum plus dilexerit Petrus. 161. 162. Stetit ſolus Apoſtolorum ante Crucem Domini. 162. Celebravit Paſcha Luna decima quarta. 163. Non fuit ſponſus nuptiarum in Cana Galilææ celebratarum. 165. Nec adoleſcens ille, qui, rejecta ſindone, nudus aufugit. 167. Nec Epiſcopus Epheſinus. 171. Fuit adoleſcens ille, qui cum

Jeſu atrium Caiphæ ingreſſus Petrum intromiſit. 168. Ejus Apocalypſis. 172. Evangelium. 173. & 186. Qua lingua, & quo in loco ſcriptum. 173. & 174. Ejus pars eſt hiſtoria mulieris adulteræ. 174. Item caput ejuſdem Evangelii poſtremum. 176. Tres ejus Epiſtolæ. *ibid.* & 177. Harum epiſtolarum auctoritas. 178. Eſt re vera mortuus. *ibid.* & 179. Nec eſt ad vitam revocatus. 180. Fuit martyr. 184. Quot annos vixerit. 185. Cur *Theologi* nomine donatus. 186. Bracteam auream in fronte geſtavit. *ibid.* Deſiit cum eo ſæculum Apoſtolicum. 188.

Joannis *Marci* domus, in qua Apoſtoli Spiritu Sancto afflati ſunt, in Templum converſa. 26. In ejus domo celebratum a Chriſto ultimum Paſcha. 270. Diſcipulus fuit Pauli, & Barnabæ. 312.

Judas unde dictus *Iſcariothes*. 247. Quando electus eſt ad Apoſtolatum, erat vir probus. 248. Fuit ſtatura brevi, & crine ruber. 249. Accepit Euchariſtiam. 250. Non credidit in ea contineri corpus Chriſti. 251. Judæ primum Chriſtus laviſſe pedes videtur S. Chryſoſtomo. *ibid.* Dux Sacramentariorum. 252. Quanti Chriſtum vendiderit. *ibid.* Non eo vendidit, quod ſperaret evaſurum. 225. Vana ejus pœnitentia. 256. & 257. Non credebant, Chriſtum eſſe Deum. *ibid.* Laqueo ſibi mortem conſcivit. 258. Die Veneris Majoris Hebdomadæ. 260. Ejus uxor, & filii. *ibid.* & 201. Numquam obtinuit veram Epiſcopi conſecrationem. *ibid.*

L

Laminam auream Jacobus, Joannes, & Marcus in fronte geſtaſſe dicuntur. 229.

Latini olim tribus Miſſis Nativitatem S. Joannis Baptiſtæ celebrabant. 280.

Latomiæ Syracuſanorum. 132.

Levi num diverſus a Matthæo. 214. 215.

Lex de ſuffocatis, & ſanguine quamdiu duraverit. 45.

Libri Veteris Teſtamenti, quibus Apoſtoli utebantur, qua lingua ſcripti. 57. & 58.

Limatura Catenarum D. Petri, & Pauli ad viros Principes mitti ſolita. 96. & 135.

Linguarum omnium ſcientiam Spiritus Sanctus Apoſtolis largitus eſt. 28. Eodem dono aucti etiam alii præter Apoſtolos. 31.

Lipſienſis Collector confutatus. 38.

Digitized by Google

Liturgia Apoſtolorum legitima nulla exſtat. 21.
Locuſtæ, quibus veſcebatur S. Joannes Baptiſta, quid eſſent. 387.
Lucas S. Evangeliſta gaudet ubertate loquendi. 308. Fuit medicus. 321. & 327. Non fuit ex duobus & ſeptuaginta Diſcipulis, nec alter ex duobus, quibus pergentibus Emmauntem Chriſtus redivivus ſe comitem adjunxit. 322. Fuit D. Pauli comes. 323. A quo electus comes peregrinationis D. Pauli. *ibid.* Ejus peregrinationes. 324. Non venit in Galliam. 326. Scripſit Evangelium poſt Matthæum, & Marcum. 327. Fuit Græci ſermonis eruditiſſimus. *ibid.* Imagines Deiparæ Virginis ab eo depictæ. 330. Ejus mors. 333.
Lydia purpuraria, prædicante Paulo Philippis, prima omnium credidit Evangelio. 116.

M

Marcus S. Evangeliſta interpres D. Petri. 30. & 303. Ejus vita. 303. Petri opera converſus, ejuſque filius ſpiritualis. *ibid.* & 307. Gaudet verborum paucitate. 304. Quo modo fuerit breviator Matthæi. 304. Non fuit ex duobus & ſeptuaginta Diſcipulis. 307. Ejus Pallium ſexto Chriſti ſæculo Alexandriæ ſervabatur. 306. Ejus item Cathedra ibidem olim colebatur. *ibid.* Diverſus a *Joanne Marco*. 308. Ejus Evangelium Græce ſcriptum. 310. Compoſitum ex ſermonibus Petri. 308. Venetiis ſumma religione ſervatum. 310. Fuit martyr. 313. Corpus ejus Venetias translatum. 314.
Mariæ in Evangeliis quatuor. 223. Mariæ Virginis Deiparæ imagines a D. Luca depictæ. 330. Virginei oris lineamenta. *ibid.*
Matthæus S. Evangeliſta oleribus tantum veſcebatur. 54. & 291. Dictus etiam *Levi*. 224. Fuit publicanus. 215. Relictis omnibus ſecutus eſt Chriſtum. 216. Omnium primus Evangelium ſcripſit, & quidem Hebraice, non Græce. 218. & 314. Peccatorum Evangeliſta. 220. Ubi prædicaverit, & ubi mortuus. *ibidem*, & 220. Non conſtat, utrum Iphigeniam ſolverit voto caſtitatis. 220.
Matthias S. in locum Judæ proditoris ſuffectus. 262. Sorte. 263. Quo ſortis genere. 264. & 265. Res ab eo geſtæ. 265. 266. Non eſt idem, ac Zachæus. *ibid.* Dicta ejus. 266. Scripta, quæ ejus nomine circumferuntur,

tur, ab Innocentio I. damnata. *ibid.* Vidit Chriſtum. 267.
Mediolanenſis Eccleſia a S. Barnaba inſtituta non eſt. 275. & 276.
Mel ſilveſtre Joannis Baptiſtæ quid. 291.
Melita D. Pauli quænam. 126.
Miraculum maximum, quod in Novo Teſtamento legatur. 63. Aliud miraculum. 164.
Miſſa quo ritu ab Apoſtolis celebrata. 14. Quis primus celebrarit. 13. Quatuor Miſſæ partes a D. Paulo deſignatæ. 16. Miſſa azymo ne, an fermentato pane ab Apoſtolis celebrata. 14. Quo ritu. 14. Qua lingua. 17. Qua veſte. 18.
Monachorum princeps Joannes Baptiſta. 283.
Mulieres fideles ibant cum Apoſtolis. 153.

N

NAtales tres tantum Eccleſia celebrat, Joannis Baptiſtæ, Chriſti, & B. Mariæ Virginis. 280.
Nathanael diverſus a S. Bartholomæo. 195./197.
Nazaræatus voto obſtricti ad quid tenerentur. 119.
Nicolai I. Pontificis ſententia de Baptiſmo in nomine Chriſti. 48.
Nicolaus Diaconus num auctor hæreſeos Nicolaitarum. 346. & 347.
Nudipedalia quid. 119.

O

ORdinatio Clericatus tribuenda Sanctis tantum, & in Lege Dei doctiſſimis. 355.
Oſſa Apoſtolorum multorum, neſcimus, ubi ſita ſint. 213.

P

PAllia, tunicæ, chlamydes laneæ. 55.
Paſcha poſtremum in domo Joannis *Marci* a Chriſto Domino celebratum. 170. Luna decima quarta celebratum a S. Joanne Evangeliſta. 163. Item a S. Philippo Apoſtolo. 190.
Paulus S. & Barnabas feminas ſecum non ducebant. 60.
Paulus reprehendit Petrum. 80. Ubi natus. 103. Ejus

ætatis. 53. 104. Non habuit uxorem. 105. Quo anno ætatis amplexus ſit fidem Chriſti. 107. Primus Chriſtianorum ſanguinem fudit. *ibid.* Iveritne Damaſcum pedes, an eques. *ibid.* Vidit Chriſtum. 107. & 108. Venit Hieroſolymam, ut videret Petrum. 109. Apoſtolus, & Epiſcopus conſtituitur. 110. Rapitur uſque ad tertium Cælum. 111. Paulus dictus e Saulo. 112. Cur ita dictus. 113. Quinquies Hieroſolymam venit. 110. Plus omnibus laboravit. 114. Quibus prædicaverit. 113. Eo prædicante ad Chriſti Fidem converſa creditur Thecla Virgo Iconienſis. 115. & 116. Quid paſſus ſit Philippis. 117. Caput in Cenchreis totondit. 118. Ejus votum *Nazaræatus. ibid.* Concionatur in Areopago. 120. Epheſios omnium primus Chriſti præceptis initiavit. 122. Ejus ſudaria & ſemicinctia morbos curabant. 123. Ad beſtias pugnavit. 124. Melitam appulit. 136. Romam venit. 127. Per biennium ibi in vinculis fuit. 128. Num inde profectus in Hiſpaniam. *ibid.* Sanavit ægrotos ſola corporis umbra. 129. Quas potiſſimum calamitates paſſus ſit. 130. Romam redit. 134. Ejus vincula Romæ aſſervata. 135. Mors. 136. Ætatis ejus diuturnitas, 138. Corporis forma. 139. Epiſtolæ quot. 140. De ejus Epiſtola ad Hebræos olim dubitatum. 141. recepta tamquam Canonica. 142. Ejus Epiſtola ad Laodicenſes. 144. Ad Senecam. 145. Orta inter ipſum, & Barnabam diſſenſio. 273.

Penula D. Pauli quid. 18. & 19.

Petronilla Petri filia. 10. 65.

Petrus S. omnium Apoſtolorum primus. 2. & 147. Singillatim & primus & ſolus nomen a Chriſto accepit. 5. Uxorem habuit. 8. Habuit interpretem. 30. Primus Miſſam celebravit. 13. Petrus Judæorum, Paulus Gentium Apoſtolus. 46. Lupinis alebatur. 54. Num fuerit major natu fratre ſuo Andrea. 65. Cur dictus *Petrus*. 66. 67. Omnium Apoſtolorum primus Chriſti divinitatem novit, & rebus omnibus nuntium remiſit. 67. Unde habuerit gladium. 70. Ejus lapſus non excuſandus. 72. Chriſti in terris Vicarius. 74. Ei primum inter viros Chriſtus redivivus apparuit. 75. Quando geſſerit perſonam totius Eccleſiæ. 77. Primus inter Apoſtolos Chriſtum prædicavit. 78. Præcipua ejus geſta ex ſacris litteris collecta. 77. 78. 79. Vis umbræ Petri. 79. Primum ejus miraculum non fuit ſanitas claudo conceſſa. 78. Reprehenſus a D. Paulo 80. Ipſe, non alius. 83. Sedit Antiochiæ annos ſeptem. 84. Ejus in

in Antiochena Cathedra ſucceſſor. 85. Roma pulſus. 89. Annos XXV. Romanus Epiſcopus fuit. 91. Ejus in Cathedra Romana ſucceſſor. 90. Mors. 92. Catenæ. 95. Sepulcrum. 96. Scripta. 97. Lineamenta & forma corporis. 101. Petri, & Pauli capita in Æde Lateranenſi ſervata. 97. Petrus erat primus, & princeps Apoſtolorum. 100. Maxime diſcipulorum omnium Chriſtum amavit. 161. Prima ejus Pontificia Sedes in Baſilica Vaticana hactenus cuſtoditur. 229. Ejus ſolea Romæ pariter aſſervata. 57. Cur noluerit Evangelium ſcribere. 313.

Philippus S. Apoſtolus Petri, & Andreæ popularis. 189. Ejus geſta ex Evangelio. *ibid.* Ejus filiæ in Virginitate conſenuerunt. 190. & 191. Celebravit Paſcha Luna decima quarta. 190. Non docuit Chriſtianam fidem in Galliis. 192. Quodnam ſubierit mortis genus. 193.

Philippus S. Diaconus cur dictus *Evangeliſta*. 343. Baptizat Simonem Magum, & Eunuchum Candacis Reginæ. 344. Ejus memoria celebratur 6. Junii. 345.

Planctus magnus in morte S. Stephani Protomartyris quid. 341.

Primatus D. Petri. 3. 68. 74. 75. 76. 77. 262. 109.

Primus ex Ethnicis Chriſtianus. 344.

Profundum maris, in quo fuit D. Paulus, quid ſit. 132.

Publicani peccatores ex officio. 217.

Q

Querelæ Helleniſtarum adverſus Hebræos cauſſam præbuerunt electioni ſeptem Diaconorum. 335.

Quæſtio de Circumciſione in Concilio Apoſtolorum Hieroſolymitano definita. 44.

R

Roma *Babylonis* nomine a D. Petro nuncupata. 99.

Romana Eccleſia poſt Antiochenam a D. Petro fundata. 84.

Reliquiæ Martyrum non ſunt immundæ, ſed magno in honore habendæ. 341.

S

S

SAbbati jejunium. 89.
Sacramentarii ducem habent Judam Iſcariothem Chriſti proditorem. 252.
Sæculum Apoſtolicum deſiit cum Joanne Evangeliſta. 188.
Sancta Sanctorum ingredi licuit ſummo tantum Pontifici. 288.
Sandalia Apoſtolis permiſſa. 56. Quid ſint. 57.
Sedes Jacobi Hieroſolymitana, & Petri Romana religioſe aſſervata. 229.
Semicinctia D. Pauli. 123.
Septem Diaconi quinam. 334.
Septuaginta duo diſcipuli & dicuntur, & ſunt Apoſtoli. 301. & 302. Fuerunt revera ſeptuaginta duo. 302. Quinam iſti ſint. 303. 304.
Septuaginta duo Interpretes ſacræ Scripturæ. 302.
Sepulcra tantum Petri, Pauli, Joannis, & Thomæ ſunt manifeſta, aliorum Apoſtolorum nuſquam nota. 213.
Serry Hyacinthus confutatus. 24. & 28.
Sicera quid. 282.
Simon S. Apoſtolus unde dictus *Cananæus*, & unde *Zelotes*. 243. Diverſus a Simone Epiſcopo Hieroſolymorum fratre Domini. 244. Ejus peregrinationes. 245. Ejus non fuerunt nuptiæ in Cana Galilææ celebratæ. 246.
Simon proximus poſt Jacobum *Minorem* fratrem ſuum Epiſcopus Hieroſolymorum. 223.
Simon *Magus* a Petro victus 88. 89. Cur emere voluerit Spiritum Sanctum. 79.
Sindon, qua amictus ſuper nudo adoleſcens quidam Chriſtum ſequebatur, quid eſſet. 167.
Solea D. Petri Romæ aſſervata. 57.
Sors in electione D. Matthiæ adhibita. 263. Quid fuerit. 265.
Spiritus Sancti Apoſtoli quinam. 8.
Spiritum Sanctum alii præter Apoſtolos acceperunt. 27.
Stephanus S. Protomartyr num unus ex duobus & ſeptuaginta Diſcipulis. 334. Petri prædicatione ad fidem Chriſti traductus. 335. Ejus nomen quid ſignificet. 339. Vita. *ibid.* Lapidatio. 340. Planctus magnus in ejus morte. 341. Comitantibus Apoſtolis elatus eſt. *ibid.* Dies inſequens ortum Chriſti Domini Stephano ſacer. 342.

Stimu-

Stimulus carnis D. Pauli quid fuerit. 133.
Sudaria Pauli quid. 123.
Symbolum Apoſtolicum. 35. Num ſinguli ejus articuli a ſingulis Apoſtolis pronunciati. 36. Vocatur *teſſera*. 34. *Indicium*, & *collatio*. 35. Vere traditum ab Apoſtolis. 36. Specimen diſcriminum inter prima Symbola. 38.

T

TEſtamentum Novum Græcum eſt, excepto Evangelio D. Matthæi. 99.
Thaddæus S. fuit trinomius. 27. Jacobi *Minoris* frater, & idem ac Judas frater Domini. *ibid.* Habuit nepotes. 238. Ejus geſta. 239. Epiſtola Catholica. 240.
Thecla Virgo, & protomartyr. 115. & 116.
Thomas S. aliis etiam nominibus appellatus. 200. Dubitavit de Chriſti reſurrectione. 201. & 203. Eidem abſenti æque, ac ceteris Apoſtolis præſentibus collata poteſtas remittendi peccata. 202. Tetigit vulnera Chriſti. 204. Quæ regio ipſi ad prædicandum obtigerit. 205. Fratrem ſuum Thaddæum unum ex duobus & ſeptuaginta Diſcipulis ad Abgarum Regem miſit. 206. Qua de cauſſa miſerit. 207. Martyr obit. 212.
Timotheus S. D. Pauli diſcipulus cujas fuerit. 353. A D. Paulo circumciſus. *ibid.* Primus Epheſiorum Epiſcopus. 171. & 354. Aquam bibebat. 355. Ejus memoria colitur die 24. Januarii. 356.
Titus S. D. Pauli diſcipulus, & interpres. 30. & 350. Ejus vita breviter expoſita. 350. & 351.
Trina Petri negatio, & trina confeſſio. 74. & 75.
Tullianus carcer Romanorum. 132.
Tunicæ, & pallii color albus. 55.

V

VEſtes Apoſtolorum: 54. & 55.
Veſtium genera duo apud Hebræos. 56.
Umbra D. Petri mortuum ſuſcitavit. 79.
Umbra ſingulorum Apoſtolorum ægros ſanabat. 130.
Vocatio Apoſtolorum trina. 6.
Votum *Nazaræatus* quas obligationes induceret. 119.
Uxor D. Petri martyrii gloria nobilis traditur. 65.

Z

ZAcharias Pater S. Joannis Baptiſtæ non fuit ſummus Sacerdos. 287.
Zelotarum ſecta. 243.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google